BULLARIUM

Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci

CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Rescriptorum, & Oraculorum &c. quæ à S. Sede Apostolica pro Ordine Capucino emanârunt.

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

SIGISMUNDI A FERRARIA

Totius dicti Ordinis Ministri Generalis

Variis notis & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

Ejusdem Ordinis Concionatore, olim Sacræ Theologiæ Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali.

TOMUS QUINTUS

DIVISUS IN DUAS PARTES

Documenta Provinciarum Galliæ & Hispaniæ continentes.

PARS PRIMA

Complectens Bullas, Brevia, Decreta, Provincias Galliæ, videlicet Parisiensem, Turonensem, Normanniæ, Britanniæ, Lugdunensem, Sabaudiæ, Burgundiæ, Sancti Ludovici, Lotharingiæ, Campaniæ, Tolosanam, Aquitaniæ, Alsatiæ, Insulensem: nec non Hiberniam concernentia.

ROMÆ, MDCCXLVIII.

Typis Joannis Zempel Austriaco-Viennensis prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.



Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. ad Phil. 3. 7.

Stern inv. et pin. Joseph Canale scul. R.

SANCTO LUDOVICO

Ordinis Minorum S. P. FRANCISCI
Professori

TOLOSANÆ ECCLESIÆ EPISCOPO.

I*N librorum dedicatione potissimum id curari, ut liber à Patrono recipiat decus, & Patronus à libro mutuet placitum, litteratorum nemo est, qui ignoret. Eò certior quoque sequitur Patroni dignatio, quò aptior est libri ad eum connexio.*

Deponendo, SANCTE TOLOSANE PRÆSUL, *ad pedes tuos hunc quinti Bullarii tomum, utrumque me attigisse, & libro in Te splendo-*

rem, & Tibi in libro acceptam materiam dedisse arbitror. Primi non linquitur dubietas, ubi secundi divisa præcedit ratio. Liber complectitur Monumenta Apostolica, quæ Provincias nostras Galliæ, & Hispaniæ concernunt; & ipse, qui Te inter-& utramque hanc Monarchiam, sub duplici unius regiæ & Tibi agnatæ Domûs Sceptro jam conflorentem viget, nexus, beneplaciti tui pollicetur sequelam. Si iis, qui contra plures agunt Genealogos, fidem adhibeamus, Gallia in sua Phocensi Provincia, Brinolium, quod juri Patris tui tunc obsequebatur, pro loco felicis tui ortûs dedit: Dedit Tibi & sanguinem ex ipso S. Ludovici Regis genere, cum tuus hic fuerit Propatruus. dedit & hujus in Baptismo nomen, ut, quem imiteris, ex nomine collato agnosceres. Lutetia Parisiorum, Monspellium, Tarascum, & alia regni loca vocem tuam in virtute Evangelii audiverunt: Tolosa Te stupuit Episcopum dotibus omnibus, quas D. Paulus recenset, ornatum: Brinolium ipsum, quod cunas dedit, æquè patientiæ, qua rigidioris morbi dolores pertulisti, ac magni spiritûs, *quo* ultima vidisti, *& maturum vitæ occasum acceptâsti, mærens fuit testis: Cadaver tuum Massilia, quò cadentes de cœlo radii id comitabantur, devota excepit, & tuæ apotheoseos solemnia regiâ celebravit pompâ.*

Nec minora sunt, quibus Hispaniam exornâsti, tum tuæ virtutis, tum suæ sortis, decora. Barcino-

cinona nacta est Te pro Patre tuo CAROLO II. *Siciliæ Rege obsidem, & canam virtutem pubescenti ætati eâ perfectione unitam spectavit, ut non virtus, sed natura videretur. In ipso, quo detinebaris, castro, votum vovisti Domino* super excelsa terræ calcandi, *Regna Siciliæ, Hungariæ &c. ex morte Fratris, jure hæreditario tua, aliaque tui ortûs* lucra, *quæ* pro Christo detrimentum arbitratus *es, Minoriticæ paupertatis Professione commutandi: dum & ibi in Te de fallaci equo violenter dejecto salutem non læsam populus vidit, portentum clamavit, gloriam tuæ Sanctitatis prædixit, à Te ipsomet in Hispaniam reduce, & Sororem, Aragoniæ Reginam, invisente, novo virtutis splendore confirmatam. Exultat & laudat Filia Sion, Civitas Valentina, dum magnus in medio ejus quiescis Sanctus: exultat, dum sacrarum tuarum exuviarum thesaurum ab Alphonso, Rege quoque Siciliæ, è Massiliæ expugnatæ Sanctuario abductum possidet; laudat, dum exundantem semper ex eo gratiarum effluxum miratur: exultant & laudant Gallia & Hispania sociatâ devotione, dum* coronam auream *supra Mitram tuam* expressam, signum sanctitatis, gloriam honoris & opus fortitudinis *esse, Tibi, & sibi gratulabundæ recordantur.*

Accepta Tibi si reddat hæc tua cum Gallia & Hispania relatio, Monumenta, gratiora dabit reflexio, quod sint Minoritica. *Minores æstimâsti*

máſti ab ephebis, & eos ceu Angelos tuos coluiſti; à Minoribus Palladis & pietatis rudimenta hauſiſti, & in tua cum iis converſatione unicum gaudium conſtituiſti. Eodem quidem die, & diploide juſtitiæ *votivæ, Habitu videlicet Minoritico*, circumdatus, *& Mitra Eccleſiaſticæ Hierarchiæ coronatus comparere voluiſti, prius tamen illud induere voluiſti, quaſi probare velles, Te Pontificem eſſe nolle, niſi prius Minoritam factum. Minoritam Te exhibuiſti non ſolùm Habitûs nunquam dimiſſi geſtatione, ſed etiam more immaculato & ſtatui tuo accomoda obſervantia profeſſionis. Placitura eapropter Tibi confido Documenta Ordinis, qui per unitatem Regulæ, Minoriticæ Religionis inſignis eſt portio, & qui ſpiritu Fraternitatis Tecum congaudet.*

Ex quo ſplendorem præſidio conjunctum dignè ſperat à Te liber, in cujus fronte ſignatum reperitur venerandum tuum nomen. Hoc tamen non ſtringentis illationis, ſed humilis ſupplicationis effectum eſſe cupio. Dabis & acceptionis tuæ, & ſpei mei pignus, ſi protectionis tuæ gratiâ digneris inter Minores

Minimum Confratrem, & Clientem tuum
Fr. Michaëlem Tugienſem, Capuc. Ind.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

NOS infraſcripti Diffinitores Generales Ordinis Fr. Minorum S. P. Franciſci Capucinorum collegialiter uniti, de mente & mandato Reverendiſſimi P. Sigiſmundi à Ferraria, Miniſtri noſtri Generalis, vidimus, revidimus, & attentè conſideravimus Tomum V. Bullarii noſtri Ordinis, à R.P. Michaële Tugienſi, Ordinis noſtri Concionatore, & Provinciæ noſtræ Helveticæ olim S. Theologiæ Lectore &c. magna ſollicitudine, & induſtriâ collectum, variiſque notis, ac notitiis ad majorem legentium utilitatem illuſtratum. Cumque in iiſdem notis nihil ſanæ Doctrinæ, aut bonis moribus diſſonum, nec aliud quidpiam, quod in præjudicium tertii vergere poſſit, invenerimus, dignum omnino cenſemus, ut ſervatis de jure ſervandis ad debitam Provinciarum ac rerum geſtarum notitiam typis dari & imprimi poſſit.

Dedimus Romæ die 9. Septemb. 1748.

Fr. Gelaſius Goritienſis Cap. Diffinitor Generalis, manu propria.
Fr. Paulus à Colindres, Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Cherubinus à Noves, Cap. I. Diffinitor Generalis.
Fr. Hilarion à Feroleto, Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Joannes Maria à Parma, Diffinitor Generalis C. I.

Fr. Sigiſmundus à Ferraria, Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis (*l. i.*)

CUM Tomum quintum Bullarii Ordinis noſtri à R. P. Michaële Tugienſe, ejuſdem Ordinis Concionatore, Sac. Theologiæ in Provincia Helvetica ex-Lectore, & pro Natione Germanica olim Secretario Generali compilatum, variiſque notis & notitiis illuſtratum, quinque ejuſdem Ordinis noſtri Diffinitores Generales reviderint, & in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis typis imprimatur.

Datum Barcinonæ die 24. Octob. 1748.

Fr. Sigiſmundus, qui ſupra.

Loco ✠ Sigilli.

APPRO-

APPROBATIO EXTRA ORDINEM

EX commissione Reverendissimi Patris, Sac. Palatii Apostolici Magistri evolvi quintum Tomum Bullarii, Sacri Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Capucinorum, ab admodum Reverendo, Doctissimo, Religiosissimoque Patre Fratre Michaële Tugiensi, ejusdem Ordinis Minorum Capucinorum in Provincia Helvetica Professo, Sacræ Theologiæ ex-Lectore, & sui Reverendissimi P. Ministri Generalis olim Secretario collecti, variisque notis, & Scholiis illustrati: cumque in eo nihil omnino Orthodoxæ Fidei dogmatibus, Sacratiorumque morum regulis, vel Canonum Decretis adversum offenderim; quinimo totum denuo opus à methodo, eruditione, ac industria plurimùm commendabile, ad Historiæ Ecclesiasticæ illustrationem utilissimum, atque pro disciplinæ & observantiæ Regularis custodia accomodatissimum, æquè ac priora quatuor volumina, repererim, ut ex Archivorum pariter tenebris, quæ Reipublicæ profuêre nunquam, in commune obsequium, publicæ per typum luci ac immortalitati donetur, dignissimum censeo, qui subscribor.

Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam hac die 16. Sept. 1748.

Fr. Dominicus Gentis, Ord. Præd. Sac. Theologiæ Magister, ejusdemque in Universitate Coloniensi Doctor, Sac. Congreg. Indicis Consultor, ac Collegii Casanatensis de Urbe Theologus manu propria.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sac. Pal. Apost. Magistro.

F. M. de Rubeis Archiepiscopus Tharsi Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi, Sacri Palatii Apostolici Magister, Ordinis Prædicatorum.

PRÆ-

ELENCHUS SUMMARIORUM

Quæ Litteris Apostolicis, Decretis &c. in hujus V. Tomi Parte prima contentis præponuntur.

MONUMENTA APOSTOLICA.

Vel omnibus vel pluribus Galliæ Provinciis communia.

FRATRES nostros ad Gallias &c. transire, ibique Domos, Custodias, & Provincias fundare concedit *Gregorius* XIII. *cum nota.* *Fol.* 1

In Galliæ, Sabaudiæ, & Flandriæ partibus Confraternitates utriusque Sexûs instituendi, aut jam institutas, præsertim sub titulo Sanctissimi Corporis Christi, ad usum revocandi, Fr. Mathiæ à Salodio, Commissario Generali facultatem, & Confratribus, ac Consororibus, speciales indulgentias impertitur. *Idem.* 3

Epistola Sac. Congregationis Episc. & Regul. Fratres in Provinciis Galliæ Moniales cum licentia suorum Superiorum scripta, accedere &c. posse declaratur. *cum nota.* 5

Processionem ad Crucem pro novæ Domûs Regularis Fratrum in Regno Galliæ constructione erigendam, instituti solitam comitantibus, Indulgentiam plenariam concedit. *Paulus V.* 6

In causa Habitûs &c. RR. PP. Tertiarios de Pœnitentia nuncupatos inter = & Fratres nostros agitata præscriptam à Sac. Congregatione &c. distinctionem confirmat, & perpetuum desuper silentium imponit. *Idem. cum nota.* 6

A' RR. PP. Minoribus, Recollectis nuncupatis, rotundum Capucium, & Mozzettam largiorem assumi, Apostolico in Regno Franciæ Nuntio committit. *Urbanus VIII.* 8

Nuntio Apostolico Litteras Apostolicas præpositas exequi non valente, earum executionem Francisco Cardinali de la Roche-foucault, ac Episcopo Silvanectensi committit. *Idem cum nota.* 9

RR. PP. Recollectis à sententia Cardinalis Francisci appellantibus, controversiam omni ulteriore appellatione remotâ terminari, Guidoni Cardinali Bentivolo committit. *Idem cum nota.* 11

Decreto Sac. Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 25. Maji 1625. A' Fratribus Galliæ &c. intra Provincias, Missiones ad hæreticos fieri concedit. 13

Decreto Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, Facultas in causis, aliàs ad S. Officium spectantibus spectantibus contra suos Subditos procedendi, PP. Provincialibus conceditur. *cum nota.* 14

Decreto Sacræ Congregationis Sancti Officii Romanæ Inquisitionis die 25. Maji 1672. edito, Episcopis Xantonensi & Rupellensi festos dies, & Officia Apostolorum, ac jejunia in Sabbatum transferentibus, Fratres nostros nec posse, nec debere parere declaratur. *cum nota.* 14

Jus conferendi Habitum Tertii Ordinis, Fratribus ejusdem Tertii Ordinis Nationis Gallicanæ privativè quoad Capucinos competere, declarat. *Clemens X.* 15

Prædictam Constitutionem infirmat, & Fratribus nostris Habitum Tertii Ordinis Personis Sæcularibus utriusque sexûs juxta receptum jam usum con-

conferre liceré declarat. *Idem*. 16

Comitis de Argenson, in Provinciis Regni munus Syndici exercentis pietatem commendat, & hoc aliis demandandi facultatem ei largitur. *Benedictus XIII.* 17

Fratribus in Regno Galliarum existentibus, & à locorum Ordinariis ad excipiendas Monialium ægrotantium confessiones requisitis, harum claustra ingrediendi facultatem impertitur. *Clemens XII.* 18

In locis Missionum, in quibus Fratres Ecclesias proprias non habent, Indulgentias Ordinis Sæcularibus Ecclesiis communicat. *Benedictus XIV.* 19

Fr. Cherubinum de Noves, in locum Fr. Justini de Beziers extra tempus Capituli Generalis defuncti, Definitorem Generalem substituit. *Idem*. 19

Rescripto Pontificio, Decretum Diffinitorii Generalis de Confessario Ordinario, tempore, quo Extraordinarius Monialium Confessiones excipit, in Fratrum Conventus permansuro, & spiritualibus exercitiis vacaturo confirmatur. 20

Auctoritate Sac. Congregationis Supremæ, & Universalis Inquisitionis, Fratribus à P. Provinciale, & Definitorio deputatis Libros hæreticorum legendi, ac ab hæresi absolvendi facultas conceditur. 21

Series facultatum, & privilegiorum, quæ à Summo Pontifice, nonnullis Provincialibus, ceu Missionum Præfectis ad tempus officii concedi solent, cũ potestate ea aliis Fratribus communicandi. 21

PROVINCIA PARISIENSIS.

Philippo, Domino loci de Saveuse, & Mariæ de Lully Monasterium Ordinis S. Claræ (nunc Monialium Capucinarum) in Civitate Ambianensi construendi facultatem largitur. *Eugenius II. cum nota*. 29

Fr. Angelo à Jojosa, de Religione nostra ad Ordinem S. Joannis Hierosolymitani translato (seu reassumpto baptismi nomine, Henrico Jojosæo) etiam extra belli tempora, Provinciarum gubernia, ac quoscunque honores accepandi, ac veste curta, & ense incedendi facultatem largitur, ita tamen, ut manu propria occidat neminem, ac à Sacrorum Ordinum executione abstineat. *Clemens VIII.* 31

Ultra indulta jam concessa, eidem Fr. Angelo, (tunc Henrico) fructus bonorum à Parentibus &c. relictorum, seu relinquendorum capiendi, eosque sub ratione dispensatoris distribuendi licentiam concedit. *Idem cum nota*. 32

Monasterium Monialium Capucinarum, aliàs ex dispositione Ludovicæ, Franciæ Reginæ &c. in Civitate Bituricensi ædificandum, ad instantias Henrici Regis &c. in Civitate Parisiensi, sub omnimoda Ordinis obedientia construi concedit; cadaver ejusdem Reginæ ex Ecclesia Monasterii Monialium Sanctæ Claræ loci de Molinis ad Ecclesiam Monasterii noviter extructi, nec non Moniales ex quocunque Franciæ Monasterio ad arbitrium Mariæ de Luxemburgo, ad hujus directionem transportari indulget; ac Capellanos, Confessarios, ac Visitatores ordinarios à Patre Ministro Generali eligi mandat. *Idem, cum nota*. 37

Indulta pro Fr. Cornelio à S. Homero petita, ob Superiorum renitentiam concedi non posse, Reginæ Christianissimæ reponit. *Paulus V.* 47

Litteras à P. Josepho de Tremblay Provinciale &c. sibi redditas, ac ab hoc præstita pro Sedis Apostolicæ dignitate officia oretenus relata esse, Principi Condensi gratanter renuntiat. *Idem, cum nota*. 47

Adventum ejusdem Fr. Josephi sibi gratissimum fuisse; hunc opinioni de ipsius virtute concepta plenè respondisse, ac se in illius colloquio plurimùm delectatum esse, Duci Nivernensi significat. *Idem*. 48

Eundem Fr. Josephum de Tremblay, litterarum gloria clarum, pietatis artibus pollentem, rerumque agenda-

darum peritum Religiosum celebrat, eumque in concepto liberandi Orientis negotio dignè applicari, Regi Christianissimo significat. *Urbanus VIII.* 49

Eundem Fr. Josephum consilia profligendæ in Oriente impietatis sibi cum Pontificiæ curæ levamine retulisse, Reginæ Christianissimæ reponit. *Idem.* 49

Ejusdem virtutem pariter, Armando Cardinali de Richelieu commendat. *Idem, cum nota.* 50

Ex Regiis animi dotibus & virtute, à Fr. Joanne Maria de Treslon ad ædes Lauretanas, & sacra Limina ablegato sibi recensitis, uberem voluptatem se concepisse, Magnæ Britanniæ Reginæ renuntiat. *Idem.* 57

Negotium à Fr. Spiritu sibi expositum, attentè consideratum esse, Regi Christianissimo reponit. *Idem.* 57

Donationem trium jugerorum terræ cum dimidio ad mensam Archiepiscopalem Rhemensem spectantium à Ludovico, Cardinale Lotharingiæ nuncupato, Fratribus pro nova Domo Regulari in Civitate Rhemensi construenda factam, & à Cardinale Antonio Barberino approbatam confirmat. *Clemens IX. cum nota.* 57

Quatuor Moniales ex Monasteriis Civitatum Parisiensis & Turonensis, ad Monasterium Monialium Sanctæ Crucis Ulyssipone transferri &c. concedit. *Clemens X. cum nota.* 59

Fr. Athanasium, seu reassumpto Baptismali nomine, Josephum Ignatium Joannem Baptistam de Mesgriny, ad Ecclesiæ Grassensis Pontificatum promotum, ut jura Ecclesiastica, præsertim Lugdunensis Concilii Sanctionem, sartam tectam servet, admonet. *Clemens XI.* 60

Ejusdem Fratris Athanasii (tunc Josephi Episcopi) devotam erga Apostolicam Sedem obedientiam, quam tum ipsemet Pontificiæ Constitutioni præstiterat, tum ab aliis præstari curaverat, laudibus ornat, ac, ut suscepto consilio sua merita augere pergat, hortatur. *Idem.* 61

Matronis Familiæ de Melun *d'Epinois* Domum Fratrum Abbavillæ annuatim duabus vicibus ingrediendi facultatem largitur. *Idem.* 61

Epistola Apostolica, Opus triplicis explicationis in Evangelia, Summo Pontifici nuncupatum commendatur. 62

Epistola &c. Officium cum Missa de S. Ovidio Mart. ab Ordinario ante Decretum S. Rit. Congregationis, Officia de Sanctis non Canonizatis, & in Matyrologio non descriptis prohibens concessum, continuari posse, à Cardinale, dictæ Congregationis Pro-Præfecto Monialibus Civitatis Parisiensis reponitur. *cum nota.* 62

PROVINCIA TURONENSIS.

Arnaldum Sorbinum, Episcopum Nivernensem, de suo erga Ecclesiam zelo, & constructâ Fratribus nostris in Civitate Nivernensi Regulari Domo laudibus ornat. *Clem. VIII. cum nota.* 67

Capellam cum terra, horto &c. ab Abbate Monasterii Majoris Turonæ Ordinis S. Benedicti Fratribus donatam, & Fabricæ Domûs minùs aptam cum vinea Sacerdotis Antonii *Du bois* permutari committit. *Paulus V.* 68

Fratribus sex ad Fidei propagationem destinatis, spirituales gratias, & facultatem Simoniacos ab excommunicatione absolvendi largitur. *Idem.* 69

Petitionem circa gubernium Monialium Capucinarum Turonæ à Fratribus suscipiendum, à se ratam haberi, Regi Christianissimo renuntiat. *Idem, cum nota.* 70

Curam Spiritualem Monialium prædictarum à Fratribus suscipi, sub præcepto obedientiæ mandat. *Gregor. XV. cum nota.* 71

Acta Episcopi N. sese intromittentis causæ Fratris rei annullat, judicium & cognitionem illius ad Superiores Provinciæ pertinere declarat, ac Archiepiscopo Parisiensi de jure, & auctoritate Pontificia desuper procedere committit. *Urbanus VIII. cum nota.* 74

Episcopo Bajocensi, & alteri ex Provincialibus Provinciarum nostrarum Turonensis, vel Tolosanæ, aut iis impeditis, Guardiano subrogando, Capitulum RR. PP. Recollectorum Burdigalæ celebratum annullare, & novos Superiores eligere committit. *Urbanus VIII.* 75

Acta P. Ministri Generalis contra Decretum Nannetense de Provinciæ divisione editum annullat, eundemque Ministrum pro exactiore informatione danda ad Almam Urbem revocat. *Innocentius X.* 75

Decretum Definitorii Generalis de Divisione Provinciæ, & Resolutiones à Capitulo Generali factas, cum articulis moderationis expressis, approbat, & executioni demandari jubet. *Idem.* 76

Litteras Innocentii X. Prædecessoris circa controversiam Provinciæ servari committit, Fratres dissidentes non amplius audiri mandat, ac causæ silentium imponit. *Alexander VII.* 81

A Fratribus loci Sancti Agnani confessiones Monialium Ordinis Cisterciensis in casu *Infirmitatis* in earum Monasterio audiri concedit. *Clemens IX.* 83

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem mortis, ob Fidem Catholicam Servis Dei FF. Agathangelo Vindocinensi, & Cassiano Nannetensi Missionariis in Æthiopia illatæ, cum D. Promotore respondet. *cum nota.* 83

Utrique Provinciæ Custodiæ parem Conventuum, & Superiorum numerum assignari, duos Definitores ex qualibet semper eligi, & Ministrum Provincialem alternatim assumi concedit. *Clemens XI.* 86

Indulgentiam plenariam perpetuam in Ecclesia Fratrum loci S. Agnani pro die Commemorationis Defunctorum, & tota illius Octava semel lucrifaciendam impertitur. *Clemens XII.* 88

Altare Capellæ Sepulturæ Ducum de Beauvilliers, eorumque Conjugum &c. in Ecclesia Fratrum dicti loci S. Agnani constructæ pro animabus eorundem Ducum &c. in perpetuum privilegiat. *Idem, cum nota.* 88

PROVINCIA NORMANNIÆ.

Conventum & Ecclesiam PP. Servorum Beatæ Mariæ de Belletes in Civitate Harflorii situatam, Provinciæ quoad usum facti incorporat. *Innocentius X.* 97

Epistola Sac. Congregationis Episc., & Regul. Episcopum Abrincensem, Fratres in collecta eleemosynæ turbantem, ac visitationem eorum Ecclesiæ minitantem, à consilio dehortari, Apostolicus Nuntius Parisiensis jubetur, *cum nota.* 97

Fr. Nicolaum de Fallesia benignè à se exceptum, & de pietatte Ducis Longavillæ differentem, cum voluptate auditum esse, eidem Duci renuntiat. *Alexander VII.* 99

Tum à Fratribus nostris, tum à RR. PP. Tertii Ordinis, Habitum hujus Ordinis, Sæcularibus in propriis Ecclesiis respectivè conferri confirmat. *Clemens IX.* 100

Decretum SS. Rituum Congregationis, quo Monialibus Monasteriorum Ordinis S. P. Francisci, Civitatis Rothomagensis, & Oppidi Lupovariensis recitatio Officiorum Sanctorum Calendarii Capucini conceditur, Apostolica confirmatione munit. *Innocen. XII.* 101

PROVINCIA BRITANNIÆ.

Decretum Definitorii Generalis de divisione Provinciæ &c. confirmat. *Innocentius X.* 109

Sacra Rituum Congregatio, circa Beatificationem, & Martyrium Servi Dei, Fr. Cassiani Nannetensis, Missionarii Apostolici cum R. Promotore respondet. 109

Pro restituenda Provinciæ tranquillitate tres Commissarios constituit, & causam dissidii ab iis terminari mandat. *Alexander VIII.* 109

Fr. Timotheum à Flexia, Gallias repetentem, Cardinali de Polignac commendat. *Clemens XI.* 110

Item R. P. Michaëli le Tellier, è Socie-

cietate Jesu, Regis Christianissimi Confessario. *Idem.* 111

Nec non Magno Hetruriæ Duci. *Idem.* 111

Eidem, tunc Episcopo Beritensi, Indulgentias plenarias, & Apostolicam Benedictionem pro mortis articulo impertitur. *Clemens XII.* 112

Fratres Missionarios à cura Spirituali Monialium Capucinarum Civitatis Ulyssiponensis eximit, hasque juri Ordinarii subjicit. *Idem.* 112

PROVINCIA LUGDUNENSIS.

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ Feria v. die 1. Julii 1610. Domum Missionum Tononii à Provincia separari, & in peculiarem Provinciam erigi confirmatur. *cum nota.* 117

Epistola Sac. Congregationis Episc., & Regul. Ne RR. PP. Reformati, aliàs Recollecti nuncupati, in Civitate Valentiæ in Delphinatu, Domum Regularem construant &c. caverur. *cum nota.* 118

Erectionem Conventûs Lugdunensis, etiam distantiâ juxta formam Constitutionis fel. mem. Clementis VIII. non observatâ, validam declarat. *Urbanus VIII.*, *cum nota.* 121

Apostolico jussu, & litteris P.Guardiano Mimatensi inscriptis, progressus Fratrum contra hæresin in illa Dioecesi facti commendantur. 123

Ad instantias Regis Christianissimi Provinciam Burgundiæ, Lugdunensi Provinciæ uniri. & ab hac ob crescentem ex hac unione illius vastitatem nonnullos Conventus dismembrari, & Custodiæ Campaniæ conjungi concedit. *Innocentius XI.*, *cum nota.* 124

Transitum Ludovici Depoldt de Ordine nostro, ad Canonicos Regulares, Ordinis Sancti Spiritûs, legitimum, & in utroque foro sustineri declarat. *Clemens XI.* 124

Rescripto Apostolico, Eleemosynam ex libro jam typis edito redactam, ad novi operis expensas converti, Fr. Andreæ à Grazaco indulgetur. 125

PROVINCIA SABAUDIÆ.

Pro Capella Beatæ Virginis Mariæ ad pontem Cugnini Conventui Fratrum Camberii unienda, receptis Documentis desuper confectis illicò Apostolici consensûs litteras expediendas fore, Episcopo Gratianopolitano renuntiat. *Gregorius XIII.*, *cum nota.* 132

A' Fr. Spiritu sibi commissa relata, & pariter alia ipsi referenda esse, Francisco de Sales, tunc Præposito Ecclesiæ Cathedrali Genebensis (jam Sanctorum albo adscripto) renuntiat. *Clemens VIII.* 133

Apostolica auctoritate Fratribus Missionariis ad partes Tononii, & Civitatis Genebensis ablegatis præhabitæ in Vallis Pedemontanæ Missione facultates spirituales conceduntur, *cum nota.* 133

Epistola Apostolica, in Civitate Sedunensi Domum Regularem Fratribus erigi, Episcopus curare monetur. 136

Fr. Paulum à Cæsena, Tononium ad S. Mariæ de Compassione Domum, aliasque in Vallesiæ, Lausanæ, Friburgi &c. Provinciis institutas Missiones visitandas ablegat. *Paulus V.*, *cum nota.* 136

Auctoritate Apostolica, Fratres in Domo Tononii, locisque circumvicinia Concionatores constituuntur, iisque variæ facultates conceduntur. 137

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Feria v. die 1. Julii 1610. emanato, Statutum Definirorii Generalis circa Domûs Tononiensis à Provincia Lugdunensi separationem, ac ejus cum aliis Sabaudiæ Conventibus in Provinciam peculiarem erectionem confirmatur, *cum nota.* 138

A' Fr. Dominico, litteras electionem Episcopalem intimantes, cum voluptate à Sanctitate Sua receptas esse, Hildebrando Electo Sedunensi significatur. 140

Conventum RR. PP. Carmelitarum

in

in loco Sirenen, vel Gerondæ Fratribus nostris cum omnibus annexis consignari committit. *Paulus V.* 140

Fr. Didacum à Civitate novâ Regi Christianissimo pro executione negotii in Civitate Gebennensi peragendi commendat. *Urbanus VIII.* 141

Commendat Eundem pro eodem fine Reginæ Christianissimæ. *Idem, cum nota.* 141

Decreto Sac. Congregationis Episc.; & Regul. In loco S. Mauritii, fabricam Domûs terminari, & Fratres saltem sex in eâ morari indulgetur. 142

Decreto ejusdem Sacræ Congregationis, In Domo Regulari Castilionis octo dumtaxat Fratres commorari conceditur. 142

Decreto ejusdem Sacræ Congregationis, In loco Morgiaci numerus Fratrum cohabitantium ad sex limitatur. 142

Litteris Apostolicis, Zelus Fratrum Missionariorum in gratiatum actione commendatur, & illius continuatio inculcatur. 143

Decreto Sac. Congregationis Episc., & Regul. Fratri, tempore Jubilæi, Confessario Sæculari confitendi facultate uti à Patre Provinciale impedito, novum Indultum concedi, in Provincialem acriter eapropter animadverti, ac Patrem Procuratorem moneri, statuitur, sententiâ Sac. Congregationis à Papa plenè approbatâ. 143

PROVINCIA BURGUNDIÆ.

Altare Capellæ S. Margaritæ in Ecclesia Domûs Fratrum Dolæ in perpetuum privilegiat. *Clemens VIII.* 146

Legatum duorum millium scutorum, Domibus Salinensi, & Fontisaliensi à Nobili Claudio Lunet relictum remittit, & debito juxta R. P. Ministri Generalis assensum, solutione mille scutorum duntaxat, satisfactum esse declarat. *Urbanus VIII.* 146

Fratres in ætate legitimâ constitutos durantibus contagio, & bello per annum ad Sacros Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis promoveri indulget. *Idem.* 147

Epistola Sac. Congregationis Episc., & Regul. Fabrica Monasterii in Terra S. Claudii à RR. PP. Carmelitanis Discalceatis quæsita, ob nostræ Domûs ibidem præjudicium inhibetur. 147

Decreto Sac. Congregationis Episc., & Regul. Fratribus Monialium S. Claræ Civitatis Bisuntinæ Confessariis facultas earum claustrum in casu infirmitatis ingrediendi committitur, *cum nota.* 148

Provincias ad instantias Regis Christianissimi Provinciæ Lugdunensi uniri mandat. *Innocentius XI.* 149

Abbatissæ, & Monialibus prædictis S. Claræ, sub directione spirituali Fratrum existentibus, Indulgentias, & gratias spirituales, Monialibus Capucinis aliàs concessas, communicat. *Clemens XII., cum nota.* 149

Rescripto Papali, Privilegium, Altari Mjori aliàs annexum, ad Altare B. V. Mariæ in Ecclesia Fratrum Grajaci transfertur, *cum nota.* 151

PROVINCIA S. LUDOVICI.

Epistola Sac. Congregationis Episc., & Regul. Communitati Brinolii facultatem erigendi Conventum concedi, Ordinario loci committitur. 160

Ad instantias Hieronymi Episcopi Cavallicensis fundationem Monasterii Sanctimonialium Capucinarum in Terra Insulæ approbat; à Monasterio eleemosynas Dotales in communi retineri posse declarat; provisiones ab Episcopo tum circa spirituale gubernium confirmat, ac Monialibus privilegia, & indulta aliarum Monialium Capucinarum communicat. *Clemens VIII.* 160

Auctoritate Apostolica. Crucem ante fores Ecclesiæ fabricæ Domûs loci Maritimæ, seu Martici erigi conceditur, & omnibus benedictioni ejus, & Processioni intervenientibus, centum dies, & iis, qui confessi, aut contriti coram dicta Cruce oraverint, septem

anni

anni de injunctis pœnitentiis ad decennium relaxantur. 162
Eadem auctoritate, In ejusdem Domûs Capella, in Beatæ Virginis Mariæ festivitatibus, ac in festo Sancti Patris Francisci, Litanias Marianas, aut ter Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam &c. recitantibus, decem anni, & totidem quadragenæ de injunctis pœnitentiis in perpetuum relaxantur. 162
Emptionem, & Donationem pro fabrica Domûs Fratrum in loco Insulæ factas confirmari committit, & duodecim saltem Fratres in hac morari sancit. *Paulus V.* 163
Auctoritate Apostolica, Recitantibus in Capella nostræ Dominæ *de Montagu* nuncupatæ, loci Tarasconis, Litanias Beatæ Virginis, aut ter Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in Natali Domini Nostri Jesu Christi, festivitatibus ejusdem Beatæ Virginis, & singulis diebus Sabbathi decem anni, & totidem quadragenæ, aliis verò diebus quadraginta dies de injunctis pœnitentiis in perpetuum relaxantur. 165
Decreto Sac. Congregationis Episc., & Regul. Fratres in Civitate, & Comitatu Avenionensi &c. Crucem propriam in Processionibus pro libitu portare posse, ad instantias Consulum, & Consiliariorum Civitatis Valreacensis declaratur. 166
Litteris Apostolicis, Visitatio Ecclesiæ Fratrum ab Episcopo Sisteronensi vi facta reprobatur, & Episcopum de læso Regularium privilegio moneri, Vice-Legato Avenionensi committitur, *cum nota*. 167
Decreto Sac. Congregat. de Propaganda Fide coram Sanctissimo 11. Martii 1641. habitæ, à Missionariis Provinciæ, eleemosynas tempore perceptionis fructuum collectas, conservari posse conceditur. 169
Cæmenta, & alia materialia veteris Domûs Pertusii, per Syndicos vendi, & in solutionem debitorum ob fabricam novam contractorum converti indulget. *Urbanus VIII.* 169
Epistola Sacræ Congregationis Concilii, In locis, ubi Fratres Conventus non habent, Parochos, vel Vicarios pro revidenda Quæstuantium licentia deputari, Episcopus Aquensis monetur &c. 170
Litem & causam circa testamentum, quo Joannes Angelus Deveras Domum propriæ habitationis, summamque duorum millium scutorum pro Domo Novitiatûs in Civitate Avenionensi construenda cum onere Missæ perpetuæ legavit, à Monialibus Ordinis S. Augustini excitatas, ad se avocat, silentium imponit, & Cardinalis Vice-Legati sententiam confirmat. *Clemens X. cum nota*. 170
Restrictam prius facultatem circa Moniales Civitatis Massiliensis à Fratribus gubernandas perpetuat, & adinstar Monasterii Parisiensis has vivere, & Capellanos &c. eligi debere sancit. *Idem, cum nota*. 173
Decreto Sacræ Rituum Congregationis, In Ecclesia Conventûs Tarasci, Officium de S. Martha, ceu Patrona Principali, & non de S. Armando recitari debere declaratur. 180
Rescripto Pontificio, Mariæ Annæ à Bullione, Ducis Uzetiæ Conjugi, ingressus in Domum Fratrum Civitatis Uzetiæ indulgetur. 181
Litteris Apostolicis, Fratres Civitatis Avenionensis exactione gabellæ, molestari prohibetur. 181
Pallium à Fr. Cherubino de Noves, ceu Nuntio, postulatum, Henrico Francisco Xaverio de Belsunce &c. Episcopo Massiliensi assignandum esse renuntiat. *Clemens XII.* 181
Libros è Bibliotheca Fratrum loci Tarasconis, curâ ejusdem Fr. Cherubini à Noves &c. collocatos, extrahi sub censuris, & pœnis prohibet. *Idem, cum nota*. 182
Eundem Fr. Cherubinum, Procuratorem Missionum Gallicarum, & Hyberniæ &c. constituit. *Idem, cum nota*. 184
Sacramentales Fidelium confessiones
exci-

excipiendi, generalis facultas eidem Fr. Cherubino concessa, confirmatur. *Idem.* 186

Semel in anno cuilibet Christifidelium, præsertim Peregrinis, in Ecclesia Fratrum loci Tarasconis, Indulgentia plenaria conceditur. *Benedictus XIV. cum nota.* 186

Ex Ecclesia Fratrum loci præfati, Sacras Reliquias, & Sanctorum litteras, curâ Fr. Cherubini prædicti collocatas, extrahi prohibet, & prohibitionis exemplum valvis Ecclesiæ affigi mandat. *Idem, cum nota.* 187

Decreto Sac. Rituum Congregationis, Officium cum Missa Sacrarum Reliquiarum in Ecclesia eadem à Fratribus, sub Ritu dupl. min. die ab Ordinario semel designando recitari, ac Missam tantùm, & respectivè à Sacerdotibus quibusvis ad prædictam Ecclesiam die assignato confluentibus, celebrari indulgetur. 190

Decreto Sacræ Congregationis Indulgent. Indulgentiæ centum annorum recitantibus Lytanias omnium Sanctorum in Capella Sancta Tarasci in perpetuum conceduntur. 192

Fidelibus Scalam, prope Ecclesiam prædictam orationi tantùm destinatam, ascendentibus, quatuor vicibus per annum Indulgentiam plenariam concedit, & in reliquis anni diebus centum dies de injunctis, seu debitis pœnitentiis relaxat. *Benedictus XIV. cum nota.* 192

PROVINCIA LOTHARINGIÆ.

Ad instantias Margaritæ à Sabaudia, Comitissæ à Lineyo, omnibus Christifidelibus confessis, & communicatis in Ecclesia Fratrum loci de Lineyo in Dominica Palmarum, ac festivitate Assumptionis B. V. Mariæ Indulgentias plenarias, nec non ad pulsum Campanæ ejusdem Ecclesiæ vespertinum, Salutationem Angelicam flexis genibus recitantibus 40. annos, totidemque quadragenas &c. in perpetuum impertitur. *Sixtus V.* 198

Curam Spiritualem Monialium Capucinarum Civitatis Nancei à Fratribus suscipi, sub præcepto obedientiæ mandat. *Paulus V.* 199

Domos, seu Conventus in Dominio Regis Christianissimi sitos, à Provincia separari approbat. *Urbanus VIII.* 199

Provinciâ bello turbatâ, Guardianos extra tempus Capituli eligi concedit. *Idem.* 200

Fr. Antonio de Reling, Ducissæ Viduæ, ejusque Natorum Confessario, commodum itineris, sicut & Socio indulget. *Clemens XII.* 100

PROVINCIA CAMPANIÆ.

Vacat.

PROVINCIA TOLOSANA.

Donationem Capellæ Sancti Lupi, ad mensam Archiepiscopalem Narbonensem spectantis, pro Domo Fratrum construenda, à Francisco Cardinale Jojosæo factam, ratihaberi committit. *Gregorius XIV. cum nota.* 207

Concessionem Ecclesiæ à Capitulo, & Canonicis Civitatis Carcassonensis, & Donationem Domûs, & horti eisdem Capitulo, & Canonicis per Bernardum Moreum Consiliarium Regium, titulo permutationis, pro construenda ibi Fratrum Domo factas, confirmat. *Clemens VIII.* 209

Donationem Ecclesiæ, & Hospitalis S. Rochi Oppidi Castronaudarii pro construenda Domo Fratribus à Communitate factam confirmat. *cum nota.* 210

Episcopo Bajonensi, & alteri ex Provincialibus Fratrum nostrorum Provinciæ Turonensis, vel Tolosanæ, aut iis impeditis, Guardiano subrogando, Capitulum RR. PP. Recollectorum Burdigalæ celebratum annullare, & novos Superiores eligere committit. *Urbanus VIII.* 213

Hortum Domui Fratrum Perpiniani confinem, commutata Testatoris voluntate, iisdem Fratribus applicari, & ab his mille Missas semel celebrari committit. *Idem.* 215

Fr.

Fr. Joannem Pessulanensem de rebus Ordinis locuturum, à Rege Christianissimo benignè recipi postulat. *Urbanus VIII.* 217

Concessionem, & donationem sitûs à Præceptoria Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Oppidi Milhaudensis dependentis, à Commendatario Francisco de Mars Livier pro Fabrica Domûs, & Ecclesiæ inibi factam ratihabet, omnesque defectus supplet *Innocentius X.* 217

Antiquam Ecclesiam cum agello contiguo, in loco Beatæ Mariæ Virginis de Oriente, aliàs ab Æditimis Ecclesiæ Sancti Saturnini dependentem, ad favorem Fratrum vendi committit, ita tamen, ut centum scuta monetæ Franciæ in loco securo ad annuum prædictorum Æditimorum fructum deponantur. *Alexander VII.* 218

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, Missis perpetuis, quibus nonnulli Provinciæ Conventus gravati reperiebantur, numero Missarum à Cardinale, & Archiepiscopo Narbonensi determinandarum satisfieri indulgetur. 218

In causa Domûs Regularis à RR.PP. Carmelitis antiquæ observantiæ in Oppido Cereti construendæ, alios Judices subrogat, & illam ab his terminari committit *Alexander VII.* 219

Causam eandem, ad instantiam Joannis de la Nuca, Domini temporalis Cereti, Incolarum, Cleri, & Fratrum nostrorum denuo ex integro examinari committit *Clemens XI.* 220

PROVINCIA AQUITANIÆ.

Transitus Fratris N. N. ad RR. PP. Observantes sine debita licentia nullum declarat, ac invalidum *Innocentius X.* 224

Decreto S. Congregat. Episc. & Regul. Capitulum interjecta appellatione non obstante, validum declaratur. 225

PROVINCIA ALSATIÆ.

Auctoritate Apostolica, Donatio areæ ab Abbate, & Monasterio Stivagiensi Ordinis Præmonstratensium, pro construenda Fratrum Regulari Domo in Keiserspèrg ratihabetur. *cum nota.* 230

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ 30. Januarii 1626. Executio Missionis à Fratribus in Urbe Colmariæ instituendæ P. Procuratori Generali committitur. 231

Rescripto Pontificio, Fratribus loci Vinbachii confessiones Monialium Ordinis Sanctæ Claræ in Alspach excipiendi facultas conceditur. 231

Provinciam erigi, & prærogativis aliarum Provinciarum gaudere debere decernit *Benedictus XIII. cum nota.* 231

Decreto Sacræ Congregationis de Propsgada Fide, habitæ die 9. Decembris 1748. Circa usum pecuniarum tum in Parochiis, tum in Xenodochiis cum Patre Provinciale sub nonnullis conditionibus dispensatur, & dispensandi facultas datur. 233

PROVINCIA INSULENSIS.

FF. Clementi de Ligny, Ivoni Insulensi, ac Leonardo Laico Sepulchrum Domini, aliaque Loca Sancta transmarina visitandi facultatem largitur *Urbanus VIII.* 237

Monasteria Monialium Tertii Ordinis Capucinarum, primùm in Diœcesi S. Audomari, & postmodum per alias Diœceses erecta, gubernio & jurisdictioni Episcopali subjicit, & Nuntium Apostolicum eorum Protectorem, & Conservatorem constituit. *Idem.* 237

Decretum Sacræ Congregationis negotiis Regularium præpositæ de validitate Professionum Monialium Capucinarum prædictarum emanatum confirmat. *Idem cum nota.* 238

Constitutiones Monialium prædictarum à Sacra Congregatione Episcopor. & Regularium recognitas &c. confirmat. *Idem.* 245

Fr. Basilium de Ayra Visitatorem Ordinis Sancti Pauli, primi Eremitæ, cum Episcopo Bosnæ constitutum esse, Sigismundo, Regi Poloniæ & Sueciæ significat. *Idem*. 265

Decreto Sacræ Congregationis Episcop. & Regul. Conventus Insulenses in Custodiam & Provinciam eriguntur, locis sub Dominio Regis Christianissimi existentibus eidem unitis. *cum nota*. 266

Transactionem circa P. Ministrum Provincialem, & Definitores Provinciæ eligendos, nec non Custodes ad Comitia generalia mittendos confirmat *Clemens XI*. 269

Litteris Sacræ Congregationis S.Officii Inquisitionis, Ceram, seu panis massam, tum in Provincia, tum in Germania contra maleficia sub præscriptis clausulis confici posse declaratur. 270

PROVINCIA HIBERNIÆ.

Decreto Apostolico, Missio Fratrum per Angliam, Scotiam, & Hiberniam firmatur; iis omnia aliorum in illis partibus degentium Regularium privilegia communicantur, & quoad gestationem Habitûs, & observantiam statutorum Ordinis dispensatur. *cum nota*. 278

Decreto Sacræ Congregationis Episcop. & Regular. Fr. Malachiam Dalachan inter PP. Observantes professum, post suum ad nos transitum molestari non debere sancitur. 279

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide 24. Decembris 1631. habitæ, Nonnulla circa Missionarios in Conventu Carolopolitano degentes præscribuntur. 279

Zelum Fidei Jacobi Domini Plunketi, Domini de Longvood, commendat, in illius partem studium Fratrum nostrorum ab eo vocari consulit, ac Fr. Patritio de re Catholica locuturo, plenam fidem adhiberi mandat *Urb. VIII*. 280

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide 15. Aprilis 1636. emanato, Domos, in quibus Fratres Missionarii conversioni Acatholicorum vacant, in Constitutionibus de Monasteriis construendis non comprehendi declaratur. 280

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, quo prætensa Collegii Insulensis ad omnes Hiberniæ Provincias communio fuit rejecta, & ad duas dumtaxat Provincias, Lageniæ scilicet & Mediæ restricta, Apostolica confirmatione confirmat *Urban. VIII. cum nota*. 281

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 3. Decembris 1640. Præfectura Missionis ad Sedanum in personam Fr. Josephi de Morlaix ad instantias Ducis Bullionii transfertur. *cum nota*. 282

Apostolica auctoritate, Fratres in Civitate Galviensi confirmantur, quacumque aliorum Regularium oppositione non obstante. *cum nota*. 284

Decreto Sac. Congregationis de Propaganda Fide 25. Februarii 1650. coram Sanctissimo habitæ, Fratribus Missionariis in Regno Hiberniæ Conventus, & Hospitia per decem annos erigendi facultas, & pro hujus extensione novus recursus conceditur. *cum nota*. 285

Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, habita die 26. Novembris 1631. In beneficium Militum & Nautarum Anglorum &c. in Galliis existentium Capucini, in Missionarios declarantur, & sub Præfectura P. Commissarii Hiberni constituuntur. 289

Decreto Sacræ Congregationis Episcop. & Regul. Decretum generale de Commissario, seu Custode per canonicam electionem quolibet triennio constituendo, & de facultativo hujus ad Capitula generalia accessu, & concursu confirmatur. 289

Rescripto Apostolico, Fr. N. N. laicus, ad statum Clericalem transire volens in sua vocatione manere jubetur. 290

Ad instantias Regis Christianissimi Custodiam in Provinciam erigit *Clemens XII*. 290

ELEN-

ELENCHUS SUMMARIORUM

Quæ Litteris Apostolicis, Decretis &c. in hujus V. Tomi Parte secunda contentis præponuntur.

MONUMENTA APOSTOLICA.

Vel omnes, vel plures Hispaniæ Provincias concernentia.

IN Regnis Hispaniarum à Fratribus Monasteria & Domos Regulares recipi, & construi posse declarat, constitutione Clementis VIII. non obstante *Paulus V.* 295

Fratres nostros in Confessarios extraordinarios Monialium Capucinarum in locis & Diœcesibus expressis ab Ordinariis privativè deputari; ab his illarum Monasteria semel saltem annuatim visitari; loca Confessionis, & Communionis vel muro claudi, vel in locis publicis aperiri jubet, & Mulieres sæculares in illarum Monasteria sine expressa Pontificia licentia induci prohibet *Urbanus VIII.* 296

Decretum Definitorii generalis, circa Capitula Provincialia in Hispania, & præcipuè in Provincia Valentiæ de triennio in triennium celebranda, confirmat *Innocentius XI.* 296

Electionem Discretorum in utriusque Castellæ Provinciis abrogat *Innocentius XII.* 297

Abolitionem Discretalem prædictam tum ad Castellæ, veteris & novæ, tum Bæticæ & Navarræ Provincias extendit. *Idem.* 298

Nec non ad Cataloniæ, Valentiæ, & Aragoniæ Provincias &c. *Idem.* 300

PP. Custodes, & Ex-Provinciales immediatos, in Regnis Hispaniarum, quibus per Apostolicas litteras votum loco Discretorum abrogatorum concessum fuerat, hoc non in Definitoriis, sed in Capitulis habere posse, declaratur. *Idem.* 301

Electionem Discretorum Provinciis Hispaniæ restituit. *Benedictus XIII.* 302

Discretos Capitulares in omnibus Hispaniarum Provinciis noviter abrogat, iisque Ex-Provinciales, Ex-Definitores &c. substituit. *Benedict. XIV.* 303

In locis Missionum, in quibus Fratres Ecclesias proprias non habent, Indulgentias Ordinis, Ecclesiis Sæcularium tum pro ipsis Fratribus, tum pro Personis sæcularibus communicat *Idem.* 305

PROVINCIA CATALONIÆ.

Capellam, seu Eremitorium Beatæ Virginis Mariæ de Spe, Oppidi Mataronis, cum Domo & Viridario contiguis, Fratribus pro constructione Domûs Regularis concedi, ac hos cum omnium privilegiorum usu in eam induci committit *Sixtus V.* 310

Apostolica auctoritate Monasterium Monialium Capucinarum sub perpetua Fratrum jurisdictione in Civitate Barcinonæ erigi committitur. *cum nota.* 311

Erectionem Monasterii Monialium prædictarum Barcinonæ approbat, iis omnium privilegiorum Ordinis usum concedit, ac curam Monasterii loci Ordinario addicit *Clemens VIII.* 313

Erectionem prædicti Monasterii, privilegiorum usum, ac curam Monasterii confirmat *Paulus V. cum nota.* 313

Legatum duorum millium scutorum à Michaële Grimosats cum onere tot Missas, & anniversaria celebrandi à Fratri-

tribus in Fabricam Domûs Regularis Arenatum, sive *de Arens* converti, ac à Fratribus duo millia Missarum pro Testatoris animæ refrigerio semel celebrari indulget, seu committit *Paulus V.* 315

Epistola Sacræ Congregationis Episcop.& Regul. Circa Fabricam RR.PP. Carmelitarum Discalceatorum in territorio Villæ de Sarria attentatam, Apostolica Decreta servari, instantibus Fratribus nostris, Episcopo Barcinonensi committitur. 315

Onus Missæ menstruæ, ex relicta Bibliotheca Conventui Oppidi Figueriarum impositum, ad ducentas Missas semel dicendas reduci committit *Urbanus VIII.* 316

Legatum pium, seu eleemosynam, in beneficium Fabricæ novi Conventûs, prope Villam Balneolarum, commutat. *Idem, cum nota.* 316

Pium Legatum pro construendo in terra *de Reus* novo Conventu aliàs relictum, ad reparationem aliarum Provinciæ ædificiorum impendi indulget. *Idem.* 317

Litteris Sac. Congregationis Episc., & Regular. Erectionem Domûs Conventui Fratrum Barcinonæ dominantis, à Sacerdote Bernardo Mascaro intentam inhiberi committitur. 318

Decreto Sac. Congregationis Concilii, Fratrem ad PP. Observantes transeuntem, in Provincia suscepti Habitûs permanere non debere, nec posse, & per novissimas Constitutiones litteris Alexandri VII. non derogatum fuisse declaratur. 318

Decreto Sac. Congregationis Episc. & Regular. Transactio inter Capitulum Cathedrale Gerundæ, & Syndicum nostrum circa novum Conventum in Domo per Marchionem Petrum de Cartalla vendita reædificandum facta ratihabetur. 319

Decreto Sac. Congregationis Episc. & Regul. Concordia inter R. P. Provincialem Societatis Jesu, Provinciæ Aragoniæ, & Residentiam Sanctæ Speluncæ Sancti Ignatii de Loyola extra muros Civitatis Manresæ = & P. Provincialem, ac Diffinitores nostræ Provinciæ Cataloniæ, ac Conventum Sancti Bartholomæi, ejusdem Civitatis, & Syndicum Apostolicum, circa dictam Sanctam Speluncam conclusa, ac ab utriusque Religionis PP. Generalibus approbata, cum pactis & conditionibus in ea expressis ratihabetur, & à Sanctissimo confirmatur. 322

Decreto Sac. Rit. Congregationis, Electio B. V. Mariæ de Monte Serrato in Patronam Provinciæ Principalem, & S. Eulaliæ Virg. Martyris in minus principalem concesso officio, rituque præscripto confirmatur. 329

Decreto Sac. Congregationis Episc. & Regul. Erectio novi Monasterii Assumptionis B. V. Mariæ Monialium Capucinarum Oppidi Mataronis approbatur; Paulo Marti nomen Protectoris, electio omnium Puellarum prima vice ad Habitum suscipiendum, & postmodum duarum; illo autem vitâ defuncto tum nomen Protectoris, tum nominatio duarum puellarum Magistratui addicitur, & pro loco Archivi, & capsæ pecuniariæ Sacrarium Ecclesiæ Parochialia destinatur. *cum nota.* 330

PROVINCIA VALENTIÆ.

Controversiam RR. PP. Recollectos inter — & Fratres nostros circa fabricam Domûs nostræ Oriolæ versantem, terminari committit. *Urbanus VIII. cum nota.* 333

Pro quiete Monialium Civitatis Valentiæ nec regulam (quinque punctis exceptis) nec Constitutiones, eas sub peccato obligare, illasque sub jurisdictione Episcopi existentes, privilegiis Ordinis frui posse declarat *Alexander VII.* 335

In Ecclesia Monialium loci de Cocentayna supellectilem ex argento, & corallis confectam retineri, ad instantias Comitis S. Stephani Proregis &c. indulget *Innocentius XI.* 336

Epi-

Epistola Sac. Congregat. Episc. & Regul. Constructio Domûs Conventualis in Villa de Monavar Ordinario loci committitur. 337

Hospitium Fratrum in Villa Biar in Conventum erigi, Archiepiscopo Valentino committit *Clemens XII.* 337

In Provincia Custodias erigi, & alternativam circa præcipua Provinciæ Ministeria stabiliri &c. Fratri Felici Mariæ à Parma, Sanctæ Inquisitionis Qualificatori, Examinatori Synodali, ac Capellano Regio, & Visitatori committit. *Idem.* 339

Commissione præpositarum litterarum Apostolicarum finem suum non attingente, Fr. Paulum à Colindres Apostolicum Provinciæ Visitatorem, & Reformatorem motu proprio constituit *Benedictus XIV.* 340

PROVINCIA ARAGONIÆ.

Concordiam RR. PP. Carmelitas Discalceatos inter — et Fratres nostros circa Domûs Conventualis constructionem in Oppido de Tamarite factam, firmat *Urbanus VIII., cum nota.* 343

Situm Domûs Terræ Fragæ deseri, vendi, & pretium indè redactum fabricæ novæ Domûs loci de Daroca impendi indulget. *Innocentius X.* 347

Hortum Fratrum Aragoniæ, novo Oliveti petio ampliari, & hoc à Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, pro alio terræ petio permutari concedit. *Idem.* 347

Epistola Sac. Congregat. Episc. et Regular. Fundatio Novitiatûs in loco *Cucullada* nuncupato, Apostolico Hispaniarum Nuntio committitur. 348

Cadavera Joannis Augustini de Sanz, Comitis de Atares, & Magdalenæ de Angullano, Conjugis, ex veteri Monialium Civitatis Oscensis Ecclesia ad novam à Magdalena constructam transferri, & pecunias pro translatione cadaveris Joannis Augustini ad Ecclesiam Parochialem de Xabienegay aliàs impendendas, commutatâ ultimâ ejus voluntate in emptionem paramentorum &c. pro dictæ novæ Monialium Ecclesiæ usu converti committit *Clemens X.* 348

Ad sopienda dissidia occasione Capituli Provincialis exorta, Patri Ministro Generali speciales facultates impertitur *Idem.* 349

PROVINCIA NAVARRÆ.

Decreto Sac. Congregat. Episc. et Regul. Fabrica Domus in loco Vianæ Fratribus interdicitur. 353

Decreto Sac. Congregat. prædictæ. Fundatio prædicta conceditur. 353

Decretum prædictum revocat, & in dicto perpetuo silentio Fratres non amplius audiẽdos esse decernit. *Clem. X.* 353

Non obstantibus Decretis, & Litteris Pontificiis, ac silentio imposito, ad instantias Mariæ Annæ, Hispaniarum Reginæ Catholicæ, Domum Fratrum controversam construi, Episcopo Calaguritano committit *Innocent. XII.* 355

Custodiam Navarræ & Cantabriæ in Provinciam erigi, & erectam omnibus aliarum Provinciarum juribus & privilegiis frui & gaudere posse decernit *Innocentius XI.* 356

Decreto Sac. Congregat. Episc. et Regul. Fratres in novam Domum Oppidi Lerini introduci committitur, clausula juris Patronatûs demptâ. 357

Decreto Sac. Congregat. Episc. et Regul. In causa Domûs, seu Conventûs in Oppido Veræ fundandi RR. PP. Carmelitas inter — & Fratres nostros vertente, his fundatio conceditur, illis ostio supplicandi pro eadem licentia aperto relicto. 357

Decreto Sac. Congr. Episc. et Regul. Hospitium merè sæculare, sine Oratorio publico &c. cum habitatione unius Sacerdotis, & alterius Laici dumtaxat, à RR. PP. Carmelitis Calceatis antiquæ Observantiæ in Villa de Vera retineri indulgetur, ac instrumentum obligationis pro observantia præscriptarum conditionum à RR. PP. Carmelitis

litis

litis susceptæ, ad Sacram Congregationem mitti præscribitur. *cum nota.* 358

PROVINCIA CASTELLÆ.

Instante Maria Emmanuele, Marchionissa S. Crucis etc. in Domum ab Alvaro de Bacan, Marchione, ejus Conjuge, in memoriam reportatæ contra Turcas victoriæ in terra *del Viso* constructam Fratres induci, ac ob horum paucitatem Fratres de Observantia Discalceatos habitâ licentiâ in ea cohabitare etc. posse concedit *Gregorius XIII.*, *cum nota.* 368

Electionem Fr. Alexandri à Valentia in Concionatorem Regium ratihabet. *Urbanus VIII.*, *cum nota.* 370

Domum Fratrum in Civitate Segobiensi, etiam distantia aliàs requisita non concurrente, construi committit. *Idem.* 370

Decreto Sac. Congregationis Rit. à Sanctissimo confirmato, Corpus Principis Vincentii Gonzagæ in Fratum Sepulturâ Civitatis Salmantinæ, accedente P. Generalis assensu tumulari posse, conceditur. 371

Decreto Sac. Congregat. Episc. & Regul. Monasterium Monialium Capucinarum Matriti erigi, & Institutrices in illud introduci committitur. 371

Non obstante prohibitione de Libris è Bibliotheca non extrahendis, à Concionatoribus tales de Bibliotheca Conventûs Patientiæ Christi, Civitatis Matritensis, etiam extra Conventum, de licentia Patris Guardiani pro tempore, extrahi posse indulget *Clemens XI.* 372

PROVINCIA BÆTICA, SEU ANDALUSIÆ.

Situm ad mensam Episcopalem Ecclesiæ Hispalensis spectantem, pro aliis duobus terræ petiis in novi Conventûs ibidem commodum permutari concedit *Urbanus VIII.* 375

Custodiam Andalusiæ in Provinciam erigendi facultatem largitur *Idem.* 376

Situm Domorum Regularium Antiquariæ, & Ezixæ vendi, & pretium ad fabbrieas novas applicari indulget. *Idem.* 376

In Conventu Granatensi Novitios seorsim à corpore Familiæ habitare mandat, ac de aliis pro Novitiorum eommodo providet *Alexander VII.* 377

Decretum de Sepulturis in Ecclesia Monialium Granatæ non alienandis confirmat *Clemens X.* 377

P. Provincialem, & quatuor Deffinitores constituit *Benedictus XIII.* 379

Ad restituendam Provinciæ tranquillitatem Regis Catholici operam exquirit *Idem.* 379

Poscit opem eandem, & Fr. Franciscum Giennensem audiri commendat *Idem.* 380

APPEN-

APPENDIX

DOCUMENTORUM APOSTOLICORUM.

Earum Regularium Domuum, quæ in Locis, in quibus nec Provincia nec Custodia, sed unus aut alter Fratrum, seu Monialium Ordinis Conventus tantùm existunt, reperiuntur.

INSULA MAJORICÆ.

Fundationem novæ Domûs in Insula Majoricæ Fratribus interdicit *Clemens X.* 382

Revocatis omnibus in contrarium emanatis, Domum Fratrum prædictam, ad Civitatis & Regni preces construi indulget *Innocentius XI.* 384

ULYSSIPO.

Quatuor alias Moniales ex Monasteriis Civitatum Parisiensis, & Turonensis ad fundandum Sanctæ Crucis Monasterium Ulyssiponem transferri indulget *Clemens X.* 386

Fratres Missionarios Provinciæ Britanniæ à spirituali prædictarum Monialium cura eximit, hasque juri Ordinarii subjicit *Clemens XII.* 386

LIMA IN AMERICA MERIDIONALI.

Monialibus Civitatis Limanæ in America de fabrica Monasterii feliciter absoluta congratulatur, easque ad viam religiosæ perfectionis constanter tenendam admonet *Clemens XI.* 387

PROTE-

PROTESTATIO
COMPILATORIS, SEU AUCTORIS.

DUM in Virorum Illustrium elogiis, per hunc Quintum Bullarii Tomum sparsis, nonnulla, quæ iis Sanctitatem attribuere videntur, attingo, gesta, quæ miracula redolent, de iis recensea, aliaque, forsan in aspectu dura ad credendum historiæ immisceo, illa, ceu ab Apostolica Sede examinata, & approbata à Lectore teneri nolo, sed econtra Apostolico Sacræ Congregationis Romanæ, & Universalis Inquisitionis Decreto die 13. Martii 1625. edita, & 5. Julii 1634. confirmato integrè insistendo, juxta Declarationem ejusdem Decreti à SS. D. N. Urbano PP. VIII. die 5. Junii 1631. factam declarato, quod, quidquid Sanctitatis aut cultûs hujusmodi Viris attribuitur, id non super eorum Personas, sed mores & opinionem duntaxat cadat, & facta immixta totum auctoritatis pondus à chartis historicis, aut Auctoribus & libris, è quibus illa hausta & deprompta sunt, mutuent: eapropter omnia in eo sensu & fide, quam seclusa mea narratione obtinerent, eâ, quâ par est, erga Sanctam Sedem, reverentia & obedientia relinqui, accipi, & teneri cupio. Et ita profiteor & protestor.

MONU-

MONUMENTA APOSTOLICA

Vel omnibus vel pluribus Galliæ Provinciis communia.

Fratres nostros ad Gallias &c. transire, ibique Domos, Custodias, & Provincias fundare concedit.

GREGORIUS PAPA XIII.

EX nostri Pastoralis Officii debito ad ea libenter attendimus, per quæ singulorum Religiosorum propagationi consulatur; maximè verò, quæ alicubi ex speciali populorum devotione optantur. Cum itaque Religio Ordinis Fratrum Minorum Congregationis Capucinorum nuncupatæ, dudum in Italia salubriter instituta, nunc etiam in partibus Galliarum, & signanter in Alma Civitate Parisiensi institui cœpta, ad finem perduci desideretur: sed quia aliàs fel: record: Paulus Papa III., Prædecessor noster, ex certis tunc expressis causis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, Dilectis Filiis Vicario Generali, & Fratribus dictorum Ordinis, & Congregationis, Motu proprio præcepit; ne, donec à se in Capitulo Generali ejusdem Ordinis, quod in Urbe celebrandum erat, aliud super eo determinatum foret, se se ultra montes transferre, aut loca de novo acceptare auderent: ipsi Vicarius, & Fratres, etsi præceptum, dicti Prædecessoris obitu, creditum sit expirâsse, veriti tamen crimen transgressionis, nihil omnino contra illud absque dictæ Sedis permissione, ausi sint hucusque attrectare. Nos Religionis ampliandæ studio, prohibitionem prædictam, ac quicquid à dicto Prædecessore ejus causâ decretum est, auctoritate præsentium abrogamus, ac Vicarium & Fratres prædictos contra illa in integrum restituimus. Quin etiam illis ad Gallias, & cæteras omnes Orbis partes liberè transeundi, & ibidem Domos, Loca, Custodias, & Provincias, juxta eorum Ordinem fundandi, instituendi licentiam tribuimus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, & Congregationis prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Quia verò difficile esset, præsentes, quocumque illis opus erit, perferri, volumus, ut illarum transumptis, etiam expressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abrogationis, restitutionis, tributionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri,

tri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto Pridie Non. Maji, Pontificatus Nostri Anno IV.

Exemplar Authenticum in Archivo generali Ordinis Armario Documenta Authentica *in fasciculo colligato numero 35.*

Cæsar Glorierius.

N O T A.

QUod nostram ultra montes propaginem Reginæ Christionissimæ Catharinæ, ac Regni Proceribus in
acceptis referre debeamus, docet Regium, quod subjicitur, Documentum, quo Rex Henricus III.
Summi Pontificis consilio æmulâ pietate accessit, &, dum Hic Reformationem nostram ad omnes
mundi partes propageri, Litteris præpositis concessit, Ille eam peculiari sua protectione munitam ad omnia
Regni sui loca extendi indulsit, ut sequitur;

Henricus Dei gratia Franciæ, & Poloniæ Rex Omnibus præsentibus, & futuris salutem.

Inter ea, quæ ad Regiæ nostræ Majestatis, ad quam, Deo vocante, nuper ascessimus, munus, ac
follisitudinem spectant, Christianæ, & Catholicæ Religianis incrementum haud ignoramus potissimum
esse: qua velut certa, ac sola salutis via, ad veram Dei cognitianem ducimur, ac in eu continemur. Haud
sanè Deus Optimus Maximus benigni Patris instar, nostris infirmitatibus suo unquam auxilio defuit; illis
præsertim temporibus, in quibus Sancta Dei Religia, hominum disputationibus, ac improborum malitia
nonnihil minuenda timebatur; Viros tam morum sanctimonia, quàm doctrina illustres in ea suscitans:
quorum præclaris vitæ exemplis, atque efficacioribus monitis aberrantes in rectam salutis viam revocaren-
tur, aut saltem intra strtos legum terminos continerentur.

Quoniam verò hac tempestate evoctas ferè antiquas hæreses resurgere, ac iterum pullulare cernimus;
Deus, qui Ecclesiæ suæ suram haud negligit, eum plerosque Episcopos, Doctores, ac Divini Verbi Præ-
canes, homines magnos virtute, & doctrina excitasset; eum his quoque Viros pietate, Religione, ac
Cælesti conversatione illustres, tam Sæculares, quàm Religiosos suscitavit; atque inter hos præsertim Fra-
tres, qui Capucini nuncupantur; qui cum exactam, ac perfectam Regulæ Sancti Francisci observantiam
profiteantur, multos suis vitæ exemplis, Dei comitante gratia, à vitiis abstrahans, & ad pietatem compel-
lunt. Dumque assiduè Psalmodiæ, jejuniis, orationibus, ac Divini Verbi prædicationi incumbunt; mi-
ra, ac majora nobis in posterum, ad Divini Nominis gloriam, sui incrementa pollicentur; quæ ex fæcun-
da tum Virorum, tum Conventuum propagatione jam perspecta fiunt.

Has ratione, ac consilio ductus, Sanctissimus D. Noster Gregorius XIII. Pontifex Maximus, dili-
genti priùs de hac re inquisitione factâ, & Colendissimæ Dominæ, ac Matris Reginæ, multorumque hujus
Regni Principum, ac Optimatum postulatione permotus, nonnullis præfatæ Capucinorum Religionis Fra-
tribus, nuper ex Italia, ubi prima illorum fundamenta jacta sunt, in hoc Regnum venire permisit: in
quo honorabilissimi Domini, & Fratris nostri Caroli Noni Regis nuper defuncti (cujus anima in pace
requiescat) patrocinio freti, jam nonnulla Cœnobia construxêre: unum præsertim in Suburbio S. Hono-
rati, nostræ Urbis Parisiensis, propè palatium nostrum ad Laterariam: aliud in Pago Meudonensi Lutetiæ
proximo: tum verò alia duo in Lugdunensi, & Avinionensi Urbibus, ubi plurimâ omnium ædificatione,
atque utilitate, omni pietate Domino famulantur.

Quapropter Nos Regum Prædecessorum nostrorum vestigia sectantes, qui tum ad Religionis Christianæ
non modò conservationem, verùm etiam propagationem, ac ampliorem Divini Nominis cultum olim opes,
vitamque contulerint, præ omnibus Christianis Principibus Christianissimi, & Ecclesiæ Primogeniti sibi
nomen titulumque compararunt: Re consulta statuimus, eosdem Fratres Minores in nostri patrocinii cu-
stodiam recipere, eosque Regiis nostris literis munire.

Quamobrem cunctis notum sit, Nos hisce de causis, atque aliis, quæ animum nostrum movent, tum
eo maximè, quod Nos Populosque Nobis subjectos, prædictarum Fratrum Orationibus adiuvandos spera-
mus, dictos Fratres Capucinos nuncupatos Minores Ordinis Sancti Francisci, simul cum eorum Mona-
steriis, Domibus, Congregatione, & Familia: demum quæcumque ad eos spectant, spesiali Privilegia, ple-
na potestate, ac Regia nostra auctoritate in nostram, & Successorum Nostrorum Regum patrocinium, & tu-
telam, per has nostras Regio nostro Chirographo obfirmatas literas asseruisse, atque adscripsisse, sicut
& asserimus, & adscribimus.

Volumusque, atque ita nobis placet, ut hi omnia, ac singula loca, quæ hactenus, tum à prædicto
Domino, & Fratre Nostro, tum à præfata Domina, & Matre Nostra, liberaliter, atque eleemosynæ
illis concessa; & quæcumque post hæc tam à Nobis, quàm à quibuslibet aliis ad Ecclesias, Domos, Mo-
nasteria, Habitationes, Claustra ædificanda iis liberaliter donata fuerint, recipere, retinere, atque in
his liberè, & absque controversia habitare: Ædificia, Cœnobia, & Conventus novos construere, Divina
in his Officia persolvere, Missas celebrare, in Ecclesiis prædicare, atque alia hujusmodi in toto nostro Re-
gno, ac Provinciis nobis subjectis, secundum Sancti Francisci Regulam, laudabilesque illorum consuetu-
dines exercere valeant. Insuper volumus eos iisdem Privilegiis, Franchisiis, libertatibus, ac immuni-
tatibus frui, quas Nos, aut prædicti nostri Antecessores Reges, cæteris prædicti Ordinis Sancti Francisci
Religiosis concessimus; non secus, quàm si dicta Privilegia hic specialiter, ac de verbo ad verbum inserta
essent;

eſſent, à quorum poſſeſſione, jure ac uſu à nemine ullo unquam tempore, aut colore poſſint impediri, aut turbari.

Quamobrem omnibus dilectis, ac fidelibus noſtris Viris ſummæ Curiæ, ac rationum noſtrarum Exedræ, Baliviis, Seneſchallis, Præfectis, Tribunis, Prætoribus, cunctiſque aliis Judicibus, ac Magiſtratibus, ad quos ſpectat, mandamus, quatenus juxta mentem, ac beneplacitum noſtrum, prædictos Fratres ac Religioſos, omnibus perturbationibus, & impedimentis amotis, liberè, plenè, pacificè, ac perpetuò de ſupradictis gaudere faciant, patiantur, ac permittant: alios, quos oportuerit, ad hoc ipſum viis omnibus ac modis debitis compellentes. Non obſtantibus quibuſcunque contradictoriis, oppoſitionibus, & appellationibus; propter quas, ſine tamen earum præjudicio, nolumus præſentium exec. tionem differri. Tale enim eſt beneplacitum noſtrum. Non obſtantibus, ut ſupra, nec non quibuſcumque edictis, ordinationibus, mandatis, probibitionibus, ac literis bis contradicentibus. Quibus & aliis derogatoriarum derogatoriis, ac in bis contentis deregavimus, ac derogamus, atque, ut hæc perpetuò fixa & immota ſint, ſigillum noſtrum apponi juſſimus.

Datum Pariſiis menſe Julii anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Regni noſtri Tertio.

Henricus.

Ex primo Tomo Annalium Boveril fol. 1000.

In Galliæ, Sabaudiæ, & Flandriæ partibus Confraternitates utriuſque Sexûs inſtituendi, aut jam inſtitutas, præſertim ſub titulo Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ad uſum revocandi, Fr. Mathiæ à Salodio, Commiſſario Generali facultatem, & Confratribus & Conſororibus, ſpeciales indulgentias impertitur.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

INter cæteras curas, quibus aſſiduè urgemur, illa Nobis maximè animo inſidet, quâ ratione fidelibus ſingulis, curæ, & fidei noſtræ demandatis viam ad æternam beatitudinem præparemus, quam dum Sanctorum operum exercitio in Conventibus, ac Sodalitatibus Fidelium maximè conſequi poſſe animadvertimus, ac Religioſorum vitam ad id tendere conſpicimus, eiſdem favorem noſtrum liberaliter impartimur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Mathias à Salodio, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Capucinorum nuncupatorum Profeſſor, in Regnis Galliarum, & illis adjacentibus Commiſſarius Generalis, quod ipſe pia intentione ductus ad augendam Chriſtifidelium devotionem, & animarum ſalutem procurandam, tam in Civitate noſtra Avenionenſi, quàm in Comitatu noſtro Venaiſſino, & in cæteris Galliæ, Sabaudiæ, & etiam Flandriæ partibus ſummopere deſiderat Scholas, ſive Confraternitates utriuſque ſexûs tam Eccleſiaſticarum, quàm Sæcularium perſonarum ſub variis invocationibus, & Inſtitutis pro Civitatum, Terrarum, & locorum, ac perſonarum in illis degentium opportunitate, &, ubi idem Matthias eas diverſis rationibus ex integro inſtitui debere judicaverit, erigere, & inſtituere, aut antiquas Inſtitutiones Confraternitatum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, in locis, in quibus ſuperioribus temporibus inſtitutæ ſunt, ad uſum revocare, ſeu eaſdem jam factas Inſtitutiones innovare, ſi in his ſibi noſtra ſuffragetur auctoritas, & facultas.

Quare ejuſdem Mathiæ Nobis in hac parte porrectis ſupplicationibus inclinati, quod idem Mathias in quibuſcumque Eccleſiis Civitatis Avenionenſis, & Comitatûs Venaiſſini, nec non in Galliarum, Sabaudiæ, & Flandriæ partibus pro ejus arbitrio, & voluntate Confraternitates utriuſque ſexûs tam Sæcularium, quàm Eccleſiaſticarum perſonarum ſub invocationibus, quas pro opportunitate locorum, Terrarum, & perſonarum judicaverit expedire, & præſertim ſub invocatione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, auctoritate noſtra, ubi hactenus non ſint inſtitutæ, erigere, & inſtituere, ſeu antiquis, & ſuperioribus temporibus illarum factas inſtitutiones in locis, in quibus illæ inſtitutæ, vel erectæ fuerunt, ad uſum revocare liberè, & licitè, de conſenſu tamen Ordinariorum, valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus. Nec non utriuſque ſexûs Chriſtifidelibus, qui in Confratres earumdem Confraternitatum, per eumdem Mathiam inſtituendarum, admittentur, die illorum amiſſionis verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacram Eucharistiam ſumentibus, ac in die feſto, ſeu celebritate, ſub cujus invocatione, & nomine eadem Confraternitas conſiſtet, nec non in mortis articulo conſtitutis, plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſ-

fionem, eifdemque in illarum Confratres jam admiffis, quotiefcumque aliquod pium, & Charitatis opus fecerint, vel exercuerint, centum dies de eis injunctis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis mifericorditer in Domino relaxamus, nec non earum, quæ ad Dominici Corporis, & Sanguinis majorem cultum, & venerationem itidem inftitutarum, & impofterum inftituendarum Confraternitatum augumento, & profectui confulere volentes, cum fel. record. Paulus Papa III. prædeceffor nofter omnibus, & fingulis utriufque fexûs Chriftifidelibus verè pœnitentibus, & confeffis, qui fumpto per eos Sanctiffimo Eucharistiæ Sacramento Archiconfraternitatem ejufdem Sanctiffimi Sacramenti in Ecclefia Sanctæ Mariæ fupra Minervam de Urbe canonicè inftitutam ingreffi fuerint, nec non ter in vita dictæ Confraternitatis Confratribus etiam verè pœnitentibus, & confeffis, qui prædictum Sanctiffimum Eucharistiæ Sacramentum devotè fumpferint, refpectivè plenariam omnium peccatorum fuorum Indulgentiam, & remiffionem concefferit, ipfifque Confratribus, qui dictum Sanctiffimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad Infirmos defertur, affociaviffent, feu legitimo impedimento detenti affociari feciffent, centum dies, ipfifque Confratribus, qui proceffionibus, & divinis Officiis pro tempore per dictam Archiconfraternitatem celebrandis etiam centum dies: Deinde omnibus & fingulis utriufque fexûs Chriftifidelibus, qui fingula quaque featâ feriâ cujuslibet hebdomadæ dictam Ecclefiam Beatæ Mariæ devotè vifitâffent, decem annos, & totidem quadragenas: Infuper Mulieribus, feu Sororibus ejufdem Archiconfraternitatis, quibus non permittitur Sanctiffimum Sacramentum per Urbem affociare, quando illud ad Infirmos defertur, audito Campanellæ fono, genibus flexis, femel orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitantibus, fimiliter centum dies: Nofque denuo omnibus, & fingulis utriufque fexûs Chriftifidelibus verè pœnitentibus, & confeffis, qui fumpto per eos reverenter, & devotè Sanctiffimo Eucharistiæ Sacramento, dictam Archiconfraternitatem ingredientibus, ac Confratribus ipfius Archiconfraternitatis, etiam verè pœnitentibus, & confeffis, qui in fefto Sanctiffimi Corporis Chrifti, feu illius Octava, dictum Sanctiffimum Eucharistiæ Sacramentum devotè fumpfiffent, ipfifque Confratribus in eorum mortis articulo conftitutis refpectivè plenariam omnium peccatorum fuorum Indulgentiam, & remiffionem: Præterea Confratribus dictæ Archiconfraternitatis extra illam degentibus, vifitando quoddam Altare ejufdem Sanctiffimi Sacramenti inibi fepties orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam pro exaltatione Fidei Catholicæ, ac Hærefum extirpatione, & Infidelium converfione recitando, diebus, & temporibus, quibus in Urbis, & extra Urbem Ecclefiis Stationes funt indictæ, eafdem Indulgentias confequi voluimus, quas confequerentur, & confequi poffent, fi eafdem Ecclefias temporibus, & diebus prædictis perfonaliter vifitarent, conceffimus. Deindeque ipfis Confratribus, qui fingulis dicbus fextæ feriæ cujuslibet hebdomadæ, Altare Sanctiffimi Sacramenti prædicti vifitaviffent, & inibi, ut præfertur, oràffent, etiam centum; ipfifque Confratribus fimiliter verè pœnitentibus, & confeffis, quintâ feriâ hebdomadæ Sanctæ feptem annos, & totidem quadragenas; ad hæc ipfis Confratribus, etiam verè pœnitentibus, & confeffis, qui dictum Sanctiffimum Eucharistiæ Sacramentum ad ejufdem Altare fingulo quoque tertio Dominico die cujuslibet menfis, & feriæ quintæ ejufdem hebdomadæ Sanctæ vifitaverint, decem annos, & totidem quadragenas, nec non ipfis Confratribus fimiliter verè pœnitentibus, & confeffis, qui quinta feria hebdomadæ Sanctæ vifitaverint Sanctum Sepulchrum, in dicta Ecclefia feptem annos, & totidem quadragenas, ipfifque Confratribus, qui dictum Eucharistiæ Sacramentum in proceffione, fingulo quoque tertio Dominico die cujuslibet menfis affociaviffent, centum dies: Deinde tam ipfis Confratribus, quàm aliis utriufque fexûs Chriftifidelibus, qui affociaviffent, feu legitimo impedimento detenti affociari feciffent Sanctiffimum Eucharistiæ Sacramentum, quod ad Infirmos defertur, recitando femel orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam genibus flexis ad fonum Campanellæ, & orando pro Infirmi falute, centum dies de eis injunctis, feu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis mifericorditer in Domino relaxavimus, eafdem omnes Indulgentias, & peccatorum remiffiones ad eafdem denuo inftituendas Confraternitates, illarumque Confratres extendimus, illafque omnes earumdem Confraternitatum Confratribus concedimus, & elargimur, dantes, & concedentes facultatem Confraternitatum fub Invocatione Corporis Chrifti Confratribus Sanctiffimum Eucharistiæ Sacramentum cum luminaribus, Baldacchino, & aliis ad decorem & reverentiam ejufdem Sanctiffimi Sacramenti requifitis, dum idem ad Infirmos, vel alia pia loca, ac Civitates, Terras, Oppida, & loca prædicta quomodolibet defertur, affociandi, ac alia faciendi, quæ ad illius majorem venerationem videbuntur, nec non eidem Mathiæ unà cum confilio admitten-

tendorum, vel jam admissorum in Confratres prædictos quascumque Ordinationes, & Statuta, licita, & honesta, & Sacris Canonibus non contraria, circa earumdem Confraternitatum tranquillum statum, & regimen condendi, ac condita, ex legitima causa mutandi, & de novo alia edendi, ac pœnas in Contravenientes adjiciendi, illasque contra quoscumque exequendi, quæ, ut primum edita, & immutata fuerint, Apostolica auctoritate confirmata censeantur, auctoritatem impartimur.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ecclesiarum, & locorum, in quibus eædem Confraternitates per dictum Mathiam instituentur, aut sub invocatione Corporis Christi jam antea institutæ reperiuntur, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices, in quibus similes, vel dissimiles Confraternitates reperiuntur, & præsertim in dicta Ecclesia Beatæ Mariæ supra Minervam prædicta, & aliis Prædicatorum, aliorumque Fratrum Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in digoitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignatis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur exhibitis, vel ostensis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxv. Junii MDLXXVII. Pontificatûs nostri Anno sexto.

Cæsar Glorierius.

Autographum in Archivo Secretariæ Brevium Apostolicorum Mense, & Anno prædictis.

EPISTOLA

S. Congregationis Episc., & Regul.

Fratres in Provinciis Galliæ Moniales cum licentia suorum Superiorum scripta, accedere &c. posse declaratur.

A tergo: *R. P. Provinciali FF. Capucinorum Lugduni.*

Reverende Pater.

CUM apertè cognoscant Illmi, & Rmi Domini Cardinales S. Congregationis Episcoporum, & Regularium negotiis præpositæ, quem afferant fructum illis in partibus tui Ordinis Fratres colloquiis, & exhortationibus, quas interdum habent ad Moniales, ad eas præsertim, quarum Cœnobia Hæreticorum faucibus fuot nunc exposita, declarandum statuerunt, prout per præsentes statuunt, & declarant, Decreto, quo Regularibus ad Monasteria Monialium, eas alloquendi causâ prohibetur accessus, minimè comprehendi præfatos Fratres Tuos in illis nimirum Franciæ Provinciis commorantes, quò minus Moniales ad Monasteriorum crates visitare, & juxta Catholicæ Fidei dogmata instruere possint, dummodo id non faciant, nisi Superiorum suorum in scriptis facultate impetratâ, ac simili etiam licentiâ obtenta à Superioribus Monasteriorum in iis locis, in quibus iidem Superiores consueverunt hujusmodi licentias scriptas concedere accedentibus ad Monasteriorum crates, ut Moniales alloquantur: quod Tibi explicatum volui, ne metu pœnarum Decreti præfati contra ejusdem S. Congregationis mentem, quæ ipsa sanxit ad meliorem frugem, diversum ullo modo sortiantur effectum &c.

Romæ 23. Junii 1593.

Ex Archivo Secretariæ S. Congregationi Mens., & Anni præd. fol. 197.

NOTA.

AD 1., & 2. folium Tomi IV. regrediatur, qui cohærentem huic epistolæ materiam, cupit, latius ibi protensam.

Pro-

Processionem ad Crucem pro novæ Domûs Regularis Fratrum in Regno Galliæ constructione erigendam, instituti solitam comitantibus, Indulgentiam plenariam concedit.

PAULUS PAPA V.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis Salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUm, sicut accepimus, in locis, ad Domus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatoanm construendas destinatis, magno Christifidelium concursu, & devotione processionaliter Crux erigi solcat, Nos animarum Christifidelium saluti paternâ charitate intenti, omnibus utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra communione refectis, qui Processionem de licentia Ordinarii pro Cruce hujusmodi in dictis locis erigenda devotè comitati fuerint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus in Regno Franciæ, & ad septennium tantùm valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xv. Junii MDCXIII., Pontificatus nostri Anno Nono.

Scipio Cobellutius.

Exempl. authent. in Archivo generali Ordin.

In causa Habitûs &c. RR. PP. Tertiarios de Pœnitentia nuncupatos inter = & Fratres nostros agitata præscriptam â S. Congregatione &c. distinctionem confirmat, & perpetuum desuper silentium imponit.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio Christifidelium quorumlibet, præsertim sub suavi religionis jugo altissimo famulantium votis, per quæ eorum paci, & quieti opportunè consulitur, libenter annuimus, esque favoribus prosequimur opportunis.

Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, ac Fratres Tertiarii Ordinis ejusdem S. Francisci de pœnitentia similiter nuncupati, strictioris Observantiæ, Congregationis Regni Franciæ, quod introducta aliàs in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum causa inter Capucinos ex una, & prædictos Fratres Tertiarios ex altera partibus de & super delatione Habitûs, ad effectum, ut iidem Fratres Capucini à Fratribus Tertiariis hujusmodi dignoscantur, prædictæ Congregationis Cardinales Fratres Tertiarios hujusmodi non Sandalia, sive Calopodia ad eorum arbitrium, prout aliâs eis concessum fuerat, sed Calopodia dumtaxat portare, cordâ autem crineâ tantùm, non autem canabeâ in futurum cingi, Habitu verò, capuccio, mantello, & reliquo vestitu ex panno, qui ex quatuor lanæ naturaliter, & absque tinctura nigræ, & ex una partibus lanæ etiam naturaliter albæ, & alias juxta eorum Constitutiones in Civitate Lugdunensi de Anno MDCXIX. impressas confecta sint, uti debere censuerunt, prout in Decreto desuper sub die xx. Octobris MDCXIX. confecto plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut esdem expositio subjungebat, Capucini, & Tertiarii Fratres prædicti plurimùm cupiant Decretum hujusmodi pro majori illius validitate, & subsistentia Apostolicæ confirmationis robore communiri, ac aliàs eorum quieti, & paci per Nos, ut infra, opportunè provideri: Nos piis, & laudabilibus illorum desideriis, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas â quibusvis excommunicationis &c. censentes, supplicationibus Capuccinorum, & Tertiariorum Fratrum eorumdem Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum, & in eo contenta hujusmodi, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Insuper causam prædictam inter Capucinos, & Tertiarios Fratres prædictos super præmissis, tam in dicta Congregatione, quàm forsan coram aliis Judicibus instructas,

ctas, & pendentes, in ſtatu & terminis, in quibus reperiuntur, à Congregatione, & Judicibus hujuſmodi ad Nos, harum ſerie avocamus, illamque caſſamus, & extinguimus, nec non Capucinis, & Tertiariis Fratribus prædictis perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponimus. Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere; ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis in dicto Regno Franciæ exiſtentibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præmiſſa omnia, & ſingula ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari, non permittentes illos, ſeu eorum aliquem deſuper à quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Congregationis hujuſmodi, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis &c. permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Aprilis MDCXX. Pontificatus noſtri Anno Decimo quinto.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apoſt. Menſe, & Anno præd. fol. 89.

N O T A.

Cauſam hanc contra RR. PP. Tertiarios moleſtè agitatam gratioſo patrocinio plurimùm ſuffulſit Regina Chriſtianiſſima Motio datis ad Summum Pontificem litteris, quæ ſequuntur.

Sanctiſſime Pater.

Haud ſatis Sanctitati Veſtræ commoda, quæ Regno Galliæ Ordo PP. Capucinorum affert, explicare poſſumus: in omnibus enim hujus locis, etiam iis, quæ hæreſi ſunt infecta, eos producunt animarum fructus, ut Regi Noſtro Domino ac Filio eos ceu Religioſos utiles æſtimandi amplum præbeant motivum. Quod & efficit, ut occaſione, ſi quæ datur, æſtimationem quoque noſtram de iis captam libenter teſtemur, illos noſtræ commendationis litteris, ubi id neceſſitas exigit, communicando. Speciatim id agimus in puncto Habitûs & Caputii, quod, poſtquam per plures annos id fuiſſet iis peculiare, jam varii Religioſi cum ipſorum præjudicio aſſumere volunt, quod non niſi gravioris confuſionis ſemen foret. Pro mali hujus remedio Patres hi à Sanctitate Veſtra Breve Apoſtolicum exſpectant, quod & Nos ad illorum favorem expediri totis viribus rogamus. Per hoc autem omnibus Religioſis quocunque modo illorum Habitum, aut Capucium portare, aut illorum uſurpare nomen, prout nonnulli Religioſi faciunt, ſeſe Capucinos nigros appellantes, prohibeatur, & quidem ſub pœnis, quæ hoſce Religioſos ab uſurpatione eorum, quæ PP. Capucinis competunt, retrahant. Hi autem divinam Clementiam, ſicut & Nos ex toto corde facimus, pro incolumitate Sanctitatis Veſtræ ad Eccleſiæ bonum precabuntur. &c.

Molini 12. Sept. 1622.

Maria &c.

Fe-

Felicius & citius ut causa terminaretur, dedit & eadem Regina ad Cardinalem Ludovisium alias & sequentes literas:

Non possum non æstimare zelum, quem PP. Capucini contra nonnullos Religiosos, qui illorum Habitum & Caputium, imò illorum nomen, Capucinos nigros se vocando, usurpare contendunt exhibent. Habitus, quem portant, grossus vilisque pannus, quem in iis conspicimus, Caputium acuminatum, rudis chorda quâ cinguntur, ac illorum soleæ sunt margaritæ & pretiosæ reliquiæ paupertatis S. Francisci, quam pluris, quàm omnia alia æstimant. Quod autem illos in toto hoc Regno magis conspicuos reddit, est observantia exacta Regulæ, in qua vivunt, & statûs sui perfectioni appropiant. Inde, cum rationi non conveniat, ut alii Religiosi ad portanda prædicta distinctionis signa, in quorum possessione à longo tempore Capucini consistunt, se ingerent, scripsi Sanctitati Suæ, quatenus Apostolicum Breve, omnibus aliis Religiosis, nomen & Habitum, in quacunque sit forma, usurpari prohibens, concedere dignetur. Ad quod, ut & Dominatio Vestra concurrat, & officia sua authoritatis apud Sanctissimum interponat, toto affectu rogo, assecurando quod sim &c.

Molini 12. Sept. 1622.

Maria &c.

A' RR. PP. Minoribus, Recollectis nuncupatis, rotundum Capucium, & Mozzetam largiorem assumi, Apostolico in Regno Franciæ Nuntio committit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN supremo Apostolatûs solio, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, circa statum Religiosorum Ordinum quorumcunque in Ecclesia Dei militantium prosperè dirigendorum mentis nostræ aciem assiduè intendimus, eaque statuimus & ordinamus, per quæ prospero, fœlicique eorum statui, atque directioni consulitur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque causa inter dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinos nuncupatos ex una, ac Fratres ejusdem Ordinis strictioris Observantiæ ex altera partibus, de & super reassumptione Calopodiorum, & distinctione Habitûs ad præscriptum Bullarum per diversos Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, emanatarum, diu agitata, ac de mandato nostro in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Regularium præpositorum iterum proposita, per eosdem Cardinales auditis partibus, visisque scripturis maturè, & diligentissimè perpensa, & examinata fuerit.

Nos eorundem Religiosorum paci, & quieti, fœliciqoe, ac prosperæ directioni, quantùm in Nobis est, providere volentes, de eorundem Cardinalium consilio, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eisdem Fratribus strictioris Observantiæ, quatenus Calopodia reassumere, soleasque ubique per totam Italiam deponere, nec eas in posterum recipere debeant, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, necnon quoad Superiores, etiam suspensionis ab officiis, ipso facto incurrendis pœnis, tenore præsentium injungimus, ac insuper locorum Ordinariis, ut in caso transgressionis Religiosos strictioris Observantiæ præfatos ad id cogant, & compellant. Quò verò ad ejusdem Ordinis Fratres Recollectos nuncupatos Galliæ, qui non deferunt soleas, sed Calopodia, cum constet eos Capucium aliquantisper acuminatum deferre, Venerabili Fratri Bernardino, Archiepiscopo Damistensi, moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Franciæ Nuncio per præsentes similiter mandamus, ut opportunè curet, quod omnino rotundum Caputium, Mozzettamque largiorem assumant.

Præterea ad pleniorem, certioremque provisionem, inhærendo præsertim litteris fel. rec. Clementis VII. & Gregorii XIII. Rom. Pont. etiam Prædecessorum nostrorum, per easdem præsentes pariter mandamus, præfatos Fratres strictioris Observantiæ non molestari, quin vilioribus, & repetiatis pannis, & despecto colore utantur, sed volumus sub eisdem pœnis, quod eorum forma Habitûs, quoad Caputium rotundum, Mozzettam latam, & Mantellum perpetuò protensum sit, & esse debeat Observantiæ Fratribus omnino conformis, illumque intra duos menses aptare, & gestare debeant, atque ita per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non ob-

obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Fratribus strictioris Observantiæ, Illorumque Superioribus, & quibusvis aliis, sub quocunque tenore, & formis, ac eum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Januarii MDCXXIV. Pontificatus nostri Anno primo.

V. Theatinus.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apost. Mense, & Anno prædictis.

Nuntio Apostolico Litteras Apostolicas præpositas exequi non valente, earum executionem Francisco Cardinali de la Roche-foucault, ac Episcopo Silvanectensi committit.

Dilecto Filio nostro, Francisco tituli Sancti Calixti Presbytero Cardinali de la Roche-foucault, ac Venerabili Fratri Episcopo Silvanectensi.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte fili noster; ac Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Aliàs, cum causa inter dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Capucinos nuncupatos ex una, ac Fratres ejusdem Ordinis strictioris observantiæ ex altera partibus, de, & super reassumptione Calopodiorum, & distinctione Habitûs ad præscriptum Bullarum à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanatarum, diu agitata, de mandato nostro in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum iterum proposita, per eosdem Cardinales auditis partibus maturè, & diligentissimè perpensa, & examinata fuisset, Nos per nostras in simili forma Brevis sub die 10. Januarii proximè præteriti expeditas litteras à Nobis super causa hujusmodi statuta, & ordinata, Venerabili Fratri Bernardino, Archiepiscopo Damiatensi, nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Franciæ Nuntio, inter alia mandavimus; ut opportunè, ejusdem Ordinis Fratres Recollectos nuncupatos Galliæ, qui non deferebant soleas, sed Calopodia, eum constaret eos Capucium aliquantisper acuminatum deferre, illud omnino rotundum, mozzetamque largiorem assumere curaret, & aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenores pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem Bernardinus Archiepiscopus gravioribus nostris, & hujus Sanctæ Sedis negotiis impeditus, ad executionem mandati nostri hujusmodi, non processerit, neque procedere valeat in præsens, Nos mandatum nostrum prædictum debitæ executioni quamprimum demandari cupientes, ac de singulari vestra in Nos, & Sedem eamdem, fide, & devotione plurimùm in Domino confisi, prædictum Bernardinum Archiepiscopum ab executione mandati nostri hujusmodi Apostolica auctoritate, tenore præsentium absolvimus, Vobisque per præsentes injungimus, quatenus ad ejusdem mandati nostri prædicti executionem juxta illius formam, & tenorem, Vos, aut unus vestrûm, auctoritate nostra procedatis, super quo plenam, & amplam Vobis eadem auctoritate, tenore præsentium facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus litteris nostris prædictis, ac omnibus illis, quæ in eis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die ultima Julii MDCXXIV. Pontificatus nostri Anno Primo.

V. Theatin.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apost. regesto Mensis, & Anni prædictorum fol. 6.

N O T A.

ASsumpsêre commissam sibi spartam diligenter Reverendissimi D. D. Executores, eamque explevêre sententiâ sequenti.

Franciscus, Tituli Sancti Calixti, S. R. E. Presbyter Cardinalis de la Roche-foucault, Magnus Franciæ Elemosinarius, nec non Abbas Abbatiæ, seu Monasterii Sanctæ Genovefæ in Monte Parisiensi, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium &c.

Et Nicolaus, miseratione Divina, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopus Silvanectensis, Judices seu Commissarii executoriales causæ, seu instantiæ, & partium infrascriptorum à Sanctissimo in Christo Patre & D. D. Urbano, Divina Providentia Papa VIII. specialiter commissi & deputati, cum clausula in solidum &c. universis & singulis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

Notum facimus, quod visis per Nos litteris Apostolicis commissionis, & deputationis nostræ in forma litterarum Brevis Apostolici expeditis, sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die ultima Julii millesimi sexcentesimi vigesimi quarti, anno primo Pontificatus præfati Sanctissimi, pro parte Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci, qui Capucini nuncupantur, contra Fratres ejusdem Ordinis Strictioris Observantiæ, qui in Gallia Recollecti nuncupantur, obtentis, nobisque directis, copia debitè collationata, alterius Brevis Apostolici ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Urbani Octavi sub datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima Januarii anni prædicti millesimi sexcentesimi vigesimi quarti directi, ut dicti PP. Capucini prætendunt, Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Bernardino Archiepiscopo Damiatensi, præfati Sanctissimi, & Apostolicæ Sedis in Regno Franciæ Nuntio, quo quidem Brevi Apostolico iidem PP. Capucini prætendunt dictum Sanctissimum decrevisse & ordinasse, quod præfati Fratres Recollecti Galliæ gestarent Capucium omnino rotundum, Mozzetam largiorem, & Mantellum perpetuò protensum, & sic gestarent Habitum omnino conformem Fratribus Observantiæ, litteris citatoriis à Nobis & authoritate nostra per dictos Fratres Capucinos obtentis die decima octava præsentis & currentis mensis Novembris, virtute quarum dicti FF. Recollecti coram nobis evocati fuerunt, & juxta assignationem illis datam coram nobis comparuerunt, acto diei vigesimæ primæ ejusdem mensis Novembris, cujus tenore constat, partes coram nobis personaliter comparuisse, videlicet, Patrem Ludovicum de Parisiis, Presbyterum Capucinum Concionatorem, deputatum per R. P. Leonardum de Parisiis, Commissarium Provincialem Capucinorum Provinciæ Parisiensis, assistente cum ipso P. Ludovico, Fratre Nicolao etiam de Parisiis Capucino, & P. Polycarpum Dusay, Provincialem Fratrum Minorum Recollectorum Provinciæ Sancti Dionysii in Francia, assistente cum eo Fratre Athanasio Mareschal, etiam Recollecto, illisque auditis, maximè dicto P. Ludovico Capucino, qui dixit & sustinuit PP. Fratres Recollectos abundè Romæ fuisse auditos in eorum allegationibus, declarationibus, & defensionibus circa res, de quibus agitur: dicto P. Polycarpo contradicente, & sustinente Fratres Recollectos Italiæ tantùm, non autem Galliæ fuisse auditos, & nihilominus se, nomine Patrum & Fratrum Recollectorum suæ Provinciæ, & suo proprio nomine esse paratum assumere Caputium rotundum, & Mozzettam largiorem, ut in dicto Brevi Apostolico de die decima Januarii cavetur & continetur, nec se intendere pro executione dicti Brevis acceptare pœnas contentas in clausula controversa, omnibusque visis, discussis, & examinatis, quæ in hac parte videnda, & examinanda fuerunt.

Christi Nomine invocato.

Nos Judices & Commissarii executoriales Apostolici præfati, dicimus & ordinamus, quod juxta prædictum Breve Apostolicum, de die decima mensis Januarii novissimi, dicti Patres, & Fratres Recollecti Galliæ, sub pœnis in eodem Brevi contentis & expressis, deferant Capucium omnino rotundum, & Mozzettam largiorem. Quò verò ad articulum Mantelli perpetuò protensi distulimus executionem dicti Brevis Apostolici, pro hujusmodi articulo, donec pleniorem, & ampliorem ejusdem Sanctissimi D. N. habuerimus declarationem seu voluntatem.

Datum Parisiis in Palatio nostræ solitæ residentiæ die vigesima octava mensis Novembris, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto.

Signatum.

F. Cardinalis de la Roche-foucault,

Et Nicolaus Episcopus Silvanectensis.

Lata & pronuntiata fuit supradicta sententia per præfatum Illustrissimum, & Reverendissimum D. meum D. Cardinalem de la Roche-foucault Commissarium Apostolicum supradictis PP. FF. Ludovico de Parisiis Capucino, & Polycarpo Dusay Provinciali prædicto, & eorum Sociis, supradicta die vigesima octava Novembris 1626. me Notario Apostolico, & Ecclesiastico Parisiensi in scribam assumpto & subsignato præsente.

Sic signatum.

T. Gallot.

R.R.

RR. PP. Recollectis sententiæ latæ morem plenè non gerentibus, illam ad amussim exequi compulsi sunt per aliam & subjectam sententiam.

Acta coram nobis, Francisco, Tituli Sancti Calixti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali de la Roche-foucault, Magno Franciæ Eleemosinario, nec non Abbate Abbatiæ, seu Monasterii Sanctæ Genovefæ in Monte Parisiensi Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium; Et Nicolao miseratione Divina, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopo Silvanectensi, Judicibus seu Commissariis Executorialibus certæ causæ, seu instantiæ, & partibus infrascriptis à Sanctissimo in Christo Patre, & D. D. Urbano Divina Providentia Papa VIII. specialiter Commissis, & Deputatis cum clausula in solidum &c. Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, die Mercurii quinta mensis Februarii hora nona Matutina, ad quam diem & horam P. Ludovicus Parisinus Capucinus Concionator ad infrascriptum negotium deputatus, per R. P. Leonardum Commissarium Provinciæ Parisiensis, actor in requesta nobis per eum porrecta, die ultimu mensis Januarii novissimi, vigore & virtute ordinationis nostræ, ad calcem dictæ requestæ appositæ citari & assignari fecit, coram Nobis PP. Strictioris Observantiæ Recollectos nuncupatos, responsuros super eo, quod, licèt die vigesima octava mensis Novembris ultimò præteriti Nos Judices, & Commissarii Executoriales certi Brevis Apostolici per PP. Capucinos à præfato Sanctissimo D. N. Papa Urbano VIII. obtenti, nobisque directi, sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die ultima Julii anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti, Anno primo Pontificatus præfati Sanctissimi Domini Nostri Urbani Papæ Octavi sententiam nostram tulerimus, & pronunciaverimus in commodum, & utilitatem ipsorum Patrum Capucinorum, contra prædictos Patres Recollectos, per quam quidem sententiam nostram diximus & ordinavimus, quod juxta certum Breve Apostolicum, de die decima mensis Januarii anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti, in prædicta nostra sententia mentionatum, dicti Patres Recollecti Galliæ sub pœnis in eodem Brevi contentis, & expressis deferrent Caputium omnino rotundum, & Mozzettam latam, cui sententiæ dictis Patribus Recollectis debitè pronunciatæ, & successivè significatæ, ipsi Patres Recollecti se submittere protestati sunt quoad Caputium omnino rotundum, & Mozzettum latam, ut ex actis in fine, seu calce prædictæ nostræ sententiæ descriptis & insertis videre est. Attamen per formalem prædictæ nostræ sententiæ, & Brevi Apostolico contraventionem, iidem Patres Recollecti non deferebant Capucium omnino rotundum, sed solum aliquantisper in summitate.

His attentis, & spectatis, & considerato modo procedendi ipsorum PP. Recollectorum, qui nostræ sententiæ illudebant, & indirectè illam, & prædictum Breve Apostolicum transgrediebantur; Requirebat idem P. Ludovicus Capucinus nomine, quo supra, quatenus nobis placeret iterum decernere, quod juxta prædictum Breve, & sententiam nostram prædictam dicti Patres Recollecti deferrent Capucium omnino rotundum, & Mozzettam latam, adinstar Patrum Cordigerorum, illudque ipsum mandare & ordinare sub pœnis Censurarum Ecclesiasticarum, & sub aliis convenientibus pœnis. Qua prædicta die Mercurii quinta Februarii, personaliter coram nobis supræfati Monasterii Sanctæ Genovefæ Abbatiali Domo comparentibus, prædicto P. Ludovico Capucino, dicto nomine actore in dicta requesta, & Fratre Nicolao de Parisiis Capucino Socio suo, ex una parte, & Patribus Alexandro Bouclin, & Joanne Lovvet Recollectis, Conventûs Parisiensis, Visis per nos prædictis Brevibus Apostolicis, sententia nostra prædicta de die vigesima octava mensis Novembris, illius significatione cum declarationibus, & protestationibus P. Polycarpi Dufay, Provincialis Patrum Recollectorum Provinciæ Franciæ; Ipsisque PP. Capucinis, & Recollectis, coram nobis comparentibus per nos auditis, Nos Judices, & Commissarii Apostolici Executoriales prædicti jus facientes supra prædicta requesta, ordinavimus, prout ordinamus, quod conformiter ad prædictum Breve Apostolicum, & prædictam nostram sententiam illiusque acceptationem, dicti PP. Recollecti deferent Capucium omnino rotundum, sub pœnis in dicto Brevi contentis.

F. Cardinalis de la Roche-foucault.

Nicolaus Episcopus Silvanectensis.

RR. PP. Recollectis à sententia Cardinalis Francisci appellantibus, controversiam omni ulteriore appellatione remotâ terminari, Guidoni Cardinali Bentivolo committit.

A tergo: *Dilecto Filio nostro, Guidoni, tit. Sanctæ Mariæ de Populo Presbytero Cardinali Bentivolo nuncupato.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem & Apost. Benedictionem.

ALiàs, cum causa inter dilectos Filios Fratres Ordinis Min. S. Francisci Capucinos nuncupatos ex una = & Fratres ejusdem Ordinis Strictioris Observantiæ ex altera partibus de = & super reassumptione Calopodiorum, & distinctione Habitûs ad præscriptum Bullarum à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanatarum diu agitata, de Mandato nostro in Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium &c. negotiis præpositorum, iterum proposita per eosdem Cardinales auditis partibus maturè, & diligentissimè perpensa, & examinata fuisset, Nos inter alia per nostras in simili forma Brevis sub die decima Januarii MDCXXIV. expeditas litteras à Nobis super causa hujosmodi Statuta, & ordinata, Ven. Fratri Bernardino, Archiepiscopo Damiatensi, Nostro, & Sedis Apostolicæ in Re-

gno Franciæ Nuntio mandavimus, ut ejusdem Ordinis Fratres Recollectos nuncupatos Galliæ, qui non deferebant Solcas, sed Calopodia, cum constaret eos Capucium aliquantisper acuminatum deferre, illud omnino rotundum, Mozettamque largiorem assumere curaret. Cumque subinde idem Bernardinus Archiepiscopus gravioribus nostris, & hujus Sanctæ Sedis negotiis impeditus ad executionem Mandati nostri hujusmodi non processisset, neque tunc temporis procedere valeret, Dilecto Filio nostro Francisco tit. S Calisti Presbytero Cardinali de la Rochefoucault nuncupato, ac Ven. Fratri Episcopo Silvanectensi per similes nostras sub die ultima Julii proximè præteriti expeditas litteras, præfatum Bernardinum Archiepiscopum ab executione Mandati nostri hujusmodi Apostolica auctoritate absolventes, & liberaotes injunximus, quatenus ipsi, aut unus eorum, ad ejusdem Mandati nostri executionem juxta illius formam, & tenorem, dicta auctoritate procederent, super quo plenam, & amplam illis eadem auctoritate facultatem, & auctoritatem concessimus, & impartiti fumus, & aliàs, prout in dictis litteris, quarum teoores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur.

Cum autem, sicut accepimus, Franciscus Cardinalis, & Episcopus prædicti ad executionem litterarum prædictarum deveniendo diffinitivam contra eosdem Fratres Recollectos (iis minimè vocatis, neque auditis, ex eo, quod nulla in eisdem litteris de iisdem Fratribus Recollectis audiendis mentio fieret) sententiam tulerint, & propterea iidem Fratres Recollecti ab eadem sententia appellaverint, & ad Nos recursum habuerint, Nos jus suum unicuique illorum esse, ac differentias hujusmodi justitiâ mediante terminari cupientes, nec non de singulari circumspectionis tuæ fide, prudentia, doctrina, integritate, ac Religionis Zelo plurimùm in Domino confisi, motu proprio, & ex certa scientia nostra causam, & causas appellationis, & appellationum, nec non recursûs hujusmodi, ac quam, & quas iidem Fratres Recollecti, & Capucini in super præmissis, eorumque occasione ad invicem habent, & movent, habereque, & movere volunt, & intenduot, cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio præsenti per Te audiendo, cognoscendo, & fine debito, prout juris fuerit, determinando, dicta auctoritate, tenore præsentium committimus, & demandamus, cum potestate litteras nostras declarandi, & in causa, & causis hujusmodi simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, manu Regia, sulâ facti veritate inspectâ, ac omni, ac quacunque appellatione remotâ, singulis diebus, & horis feriatis, & non feriatis, præterquam in honorem = procedendi, quoscunque etiam per edictum publicum constito de non tuto accessu citandi, ac sub sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis Tibi bene visis inhibendi, auxiliumque brachii Sæcularis invocandi, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet, & opportuna faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi; Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Maji MDCXXV. Pontificatûs nostri anno secundo.

V. Theatin.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apostol. Mensis, & Anni præd.

N O T A.

TUm Sanctæ Sedis molestiis, tum Fratrum nostrorum quieti consuluit Eminentissimus Cardinalis, latâ, quæ sequitur, sententiâ:

Guido, Tituli Sanctæ Mariæ de Populo, Presbyter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Bentivolus.

Universis, & singulis præsentis sententiæ instrumentum visuris, lecturis, & inspecturis, Notum facimus, & attestamur, quod introductâ aliàs coram Nobis, vigore litterarum Apostolicarum S.D.N.D. Urbani, Divina providentia Papæ VIII. in forma Brevis expeditarum, lite & causa in secunda, seu alia instantia inter RR. Fratres Capucinos nuncupatos Ordinis Minorum S. Francisci, ex una = & RR. Fratres ejusdem Ordinis S. Francisci strictioris Observantiæ, Recollectos Galliæ nuncupatos, de & super delatio-

ne, ſeu reformatione Caputii, & Mozzettæ per eos deferendæ, & declaratione in hac parte, & executione reſpectivè litterarum Apoſtolicarum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, rebuſque aliis in actis cauſæ, & cauſorum hujuſmodi latius deductis, & illorum occaſione partibus ex altera: In eaque coram Nobis ad nonnullos actus, citra tamen illius concluſionem, devenientes, tandem noſtra in hujuſmodi cauſa tulimus, & promulgavimus ſententiam diffinitivam hujuſmodi ſub tenore: Videlicet Chriſti nomine invocato pro Tribunali ſedentes & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de Juriſperitorum conſilio, pariter & aſſenſu in his ſcriptis ferimus. In cauſa & cauſis, quæ coram Nobis vigore litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis expeditarum in ſecunda ſeu alia veriori verſuntur inſtantia inter RR. Fratres Capucinos nuncupatos Ordinis Min. S. Franciſci ex una: Et RR. Fratres ejuſdem Ordinis S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ Recollectos Galliæ nuncupatos, de & ſuper delatione, ſeu reformatione Caputii & Mozzettæ per eos deferendæ, & declaratione in hac parte, & executione reſpectivè litterarum Apoſtolicarum S. D. N. Papæ ſub datum Romæ apud S. Petrum, ſub diebus 10. Januarii, & ultima Julii 1624. in ſimili forma Brevis deſuper expeditarum, à perilluſtri, & Reverendiſſimo Domino Bernardino Archiepiſcopo Damiatenſi Sedis Apoſtolicæ Nuncio in Regno Galliæ commoranti, & Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Franciſco tituli S. Caliſti Presbytero Cardinali de la Rochefoucault, & Reverendiſſimo D. Epiſcopo Silvanectenſi reſpectivè directarum, rebuſque aliis in actis cauſa & cauſarum hujuſmodi latius deductis, & illorum occaſione partibus ex altera, viſis prius litteris antedictis, ac omnibus juribus, & ſcripturis in judicio productis, actiſque actitatis, & partibus hinc inde prius in jure, & in facto pluries auditis, viſiſque aliis omnibus videndis, & conſideratis conſiderandis, factoque etiam verbo cum eodem S. D. N. Papa, cauſamque cauſaſque prædictas una cum toto regimine principali nobis commiſſas amplectentes, ac decidentes, & ultimò dictas litteras S. D. N. Papæ, & etiam ſententiam per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Franciſcum Cardinalem, & Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum antedictos judices, et executores, aliàs ab eodem S. D. N. Papa in hujuſmodi cauſa deputatos, promulgatam declarantes, dicimus, pronunciamus, decernimus, et diffinitivè ſententiamus, et declaramus, prædictos Fratres Recollectos teneri, et obligatos eſſe ad deponendum Caputium, quod deferunt acuminatum, et tam eos, qui Religionem hactenus ingreſſi ſunt, quàm alios, qui eandem Religionem in futurum ingredientur, ſimiliter teneri, & obligatos eſſe ad deferendum Caputium rotundum formæ, & qualitatis hujuſmodi, videlicet Caputium rotundum cum Mozzetta largiori illi unita & annexa, quod in majori latitudine ſuæ rotunditatis à parte anteriori ad poſteriorem intra ſincipat & occipat, non ſit largius duorum quindecimarum portionum minoris & extremæ ſuæ latitudinis, quæ erit ab anteriori ad poſteriorem partem, intra guttur & collum ejuſdem Caputii, delatione cujuſcumque alterius generis ſuæ formæ Caputii illis in poſterum penitùs interdictâ; firmiſque in robore ſuo perpetuò remanentibus cæteris omnibus & ſingulis contentis in ultimò dictis litteris Apoſtolicis S. D N. quæ & quas in omnibus & per omnia, etiam ſub pœnis & cenſuris in eis expreſſis inviolabiliter obſervari mandamus, & ambas partes juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus ab expenſis abſolvimus; & eiſdem partibus perpetuum ſilentium deſuper imponimus, ac de deponendo & auferendo & reſpectivè deferendo Caputium prædictum, ut ſupra, & alia quæcumque mandata deſuper neceſſaria & opportuna decernimus & relaxamus; & ita dicimus, pronunciamus, declaramus, decernimus, ſententiamus, interdicimus, mandamus, & relaxamus non ſolum prædicto, ſed & omni alio meliori modo abſolvimus: ac ad majorem demonſtrationem, abundantioremque cautelam, & partium ac aliorum notitiam tres modulos Caputii prædicti, ut ſupra, deferendi cum Mozzetta in pergameno deſignates confici mandavimus, noſtroque ſigillo, & ſubſcriptione firmavimus & communicavimus, quorum unum Notario unà cum hac noſtra ſententia in actis conſervandum, reliquos duos, unum ſcilicet cuique parti, ſive cujuſque ipſarum partium Procuratori, coram Notario & teſtibus conſignavimus, ſalva tamen facultate dictum Caputium augendi & minuendi pro majoritate & minoritate corporis, & ſtaturæ ipſorum Fratrum illud deferre debentium, dummodo forma & proportio ſupradicta nullatenus immutetur nec alteretur.

Quæ quidem ſententia ſic apparet ſubſcripta, videlicet ita pronunciavi & declaravi ego Guido Cardinalis Bentivolus Judex Commiſſarius Apoſtolicus, lecta, lata, data, & in ſcriptis promulgata fuit prædicta ſententia. Romæ in Ædibus noſtræ reſidentiæ ſub anno Domini 1625. Indictione octava, Die vero 16. Septembris. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi D. N. anno tertio. Præſentibus DD. Joanne Maupino Romano, & Bartholomæo Giannello Ferrarienſe teſtibus ad prædicta habitis, vocatis, atque rogatis. Sic ſignatum.

Guido Cardinalis Bentivolus Judex Commiſſarius Apoſtolicus.

DECRETO

Sacræ Congregationis de Proganda fide habitæ die 25. Maii 1625.

A' Fratribus Galliæ &c. intra Provincias, Miſſiones ad hæreticos fieri concedit.

SAcra Congregatio facultates faciendi Miſſiones ad hæreticos Germaniæ, Galliæ, Lotharingiæ, Belgii, Sabaudiæ, & Valloniæ Provincialibus Capucinorum Ultramontanis conceſſit, ita tamen, ut ad ea Loca illarum Provinciarum, in quibus jam ſunt factæ Miſſiones, vel per Sacram Congregationem, vel per alios Superiores Religionum, aliæ non inſtituantur. Et quoad facultates ab eis petitas mandavit adiri Sacrum Officium. Interea tamen eadem Sacra Congregatio admonitos voluit Prælatos prædictos, ut in mittendis ad prædicta Loca Fratribus ſuis eum Perſonarum delectum habeant, quem requirit munus, & officium,

Apo-

Apostolicum, quod ab ipsis mittendis erit suscipiendum, & peragendum.

Card. Ludovisius.

Exempl. Authent. in Archivo Generali Ordinis &c.

D E C R E T O

Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis.

Facultas in causis, aliàs ad S. Officium spectantibus contra suos Subditos procedendi, PP. Provincialibus conceditur.

Feria quinta die tertia Julii MDCXXV.

IN Generali Congregatione Sacræ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro D. Urbano, Divina Providentia Papa Octavo, ac Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, à S.Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus noster Papa prædictus inhærendo decreto fel. rec. Pauli Papæ V. sub die 11. Januarii MDCVII. concessit facultatem RR. PP. Provincialibus ultra Montes, Ordinis Capucinorum, procedendi contra suos Subditos in causis ad Sanctum Officium spectantibus in locis, ubi hæreses impunè grassantur, & Sanctum Officium Inquisitionis, nec per Inquisitores, nec per locorum Ordinarios exercetur.

Joan. Ant. Thomasius S. Rom., & Univer. Inquisit. Notar.

Exempl. Authent. in Archivo gener. Ord. Tom. A. num. 6.

N O T A.

TRactat extensè de hac materia primus Bullarii tomus fol. 73. ad quem Lectorem remitto.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Sancti Officii Romanæ Inquisitionis

Die 25. Maji 1672. edito,

Episcopis Xantonensi & Rupellensi festos dies, & Officia Apostolorum, ac jejunia in Sabbatum transferentibus, Fratres nostros nec posse, nec debere parere declaratur.

IN Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habitâ in Conventu S. Mariæ super Minervam coram Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Lectis infrascriptis quæsitis videlicet: Episcopi Xantonensis, ac Rupellensis in suis Diœcesibus propriâ, & privatâ authoritate, & contra usum Universalis Ecclesiæ, festos Apostolorum dies, & Officia in Dominicam proximè sequentem transtulerunt, & jejunia in Sabbatum.

Quæritur, an possint, vel debeant Capucini, qui habent Conventus in talibus Diœcesibus, sequi ordinem prædictum, ita requirentibus, & postulantibus Episcopis, præcipuè, cum Fratres Minores ordinem Romanæ Ecclesiæ in recitando Officio specialiter ex Regula sequi teneantur?

Quæritur etiam, si in Choro, vel privatim omissum est per oblivionem, aut inadvertentiam Officium duplex, aut semiduplex, eo die, quo debebat celebrari secundùm rubricas, debeat de hoc fieri in aliquo alio die, vel ejusdem Mensis, vel alterius sequentis, non impedito alio Officio novem Lectionum.

Quibus quæsitis auditis, Sacra Congregatio quoad primum dixit, non posse, nec debere Oratores parere prænarratis Constitutionibus Episcoporum Xantonensis & Rupellensis, ac proinde ipsos non teneri observare interdictum.

Quoad 2. Eadem S.Congregatio dixit, ut Oratores adeant S.Congregationem Rituum.

Die prima Junii 1672. Relatione facta, Sanctissimus Dominus noster Divina providentia Clemens Papa Decimus approbavit suprascriptum Decretum Congregationis S. Officii.

Franciscus Riccardus S. Romanæ, & Univers. Inquisit. Notarius.

Exemplar Authen. in Arch. Ord. tom. B. n. 68.

NOTA.

NOTA.

Fuit hoc idem negotium Summo Pontifici anno 1736. expositum, ad quod discutiendum Sanctitas Sua Congregationem particularem cum Secreto S. Officii deputavit, constitutam quinque Eminen. DD. Cardinalibus, videlicet Albano Camerario, Zondadari, Gotti, Porzia, Guadagni, Illustrissimo D. Thoma Cervini, Patriarcha Hierosolym., & Sac. Rit. Congregationis Secretario, ac Reverendissimo P. D. Thoma Sergio Congregationis Piorum Operariorum, quæ in Ædibus Eminen. D. Albani 27. Julii ejusdem anni habita respondit: *ad D. Secretarium juxta mentem*, quam explicatam Sanctissimus approbavit eodem die, & anno.

Autograph. in Arch. Secret. S. Congreg. Rit. regesto mens. & ann. præd. fol. 75.

Jus conferendi Habitum Tertii Ordinis, Fratribus ejusdem Tertii Ordinis Nationis Gallicanæ privativè quoad Capucinos competere, declarat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ, quod, licèt Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, in controversia inter ipsos exponentes ex una, & dilectos pariter Filios, Fratres Ordinis Minorum ejusdem S. Francisci Capucinorum nuncupatorum in Regno Galliarum degentes ex altera partibus, circa jus conferendi Habitum Tertii Ordinis S. Francisci utriusque Sexûs Personis Sæcularibus, easque dirigendi vertente, die 13. Martii proximè præteriti, partibus pluries auditis decrevisset, ut Fratres Capucini præfati ab hujusmodi Habitûs collatione & directione penitus abstinerent, nihilominus dilecto etiam Filio Procuratore Generali Ordinis Fratrum Capucinorum conquerente, se in juribus suis sufficienter auditum non fuisse, eadem Cardinalium Congregatio die 20. ejusdem mensis mandavit, ab expeditione sui Decreti hujusmodi supersederi, usque dictus Procurator Generalis quasdam provisionales in simili forma Brevis litteras, quas à rec. mem. Clemente Papa IX. Prædecessore nostro ad præfati Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum favorem emanâsse afferebat, partibus communicaret.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus Procurator Generalis id non præstiterit, nihilque habeat, quod pluries, & in diversis contradictoriis tam coram præfata, quàm coram altera, nempe Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Congregationibus non fuerit aliàs à dictis Fratribus Capucinis productum; & propterea dicti Exponentes, ut hujusmodi controversiæ jam toties, & tam solemniter decisæ, & novissimè coram dicta Cardinalium Congregatione ter expositæ finis tandem imponatur, ac alia quinque Decreta à prætatis duabus Cardinalium Congregationibus respectivè contra præfatos Fratres Capucinos emanata, nec non desuper expeditæ pariter in forma Brevia litteræ Apostolicæ observentur, opportunè sibi in præmissis à Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderent.

Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis ... & absolutas fore censentes, supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui partibus auditis in Decreto, aliàs videlicet dicta die 13. Martii proximè præteriti edito, persistendum esse censuerunt, consilio, præfatis Fratribus Minoribus Capucinis nuncupatis, ne in posterum in admittendis Mulieribus ad Habitum Tertii Ordinis S. Francisci, sive in ipsis dirigendis se ingerant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium interdicimus, ac prædictis Fratribus Capucinis perpetuum super præmissis silentium imponimus.

Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari.

Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, ac Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostoli-

cis

cis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præsentium effectum hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die x. Octobris MDCLXXI. Pontificatûs nostri anno tertio.

I. G. Slusius.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apost. regest. Mens. & Ann. præd.

Prædictam Constitutionem infirmat, & Fratribus nostris Habitum Tertii Ordinis Personis Sæcularibus utriusque sexûs juxta receptum jam usum conferre licere declarat.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitudo Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini Divina Dispositione præsidemus, Nos admonet, ut Christifidelium divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, aspirante superni favoris aurâ proferre jugiter satagentium, quieti, & Religiosæ tranquillitati consulere studentes, ea, quæ litium dirimendarum, amabilisque concordiæ stabiliendæ studio inter eos providè conventa esse noscuntur, quò firmiùs perennent, nec recidivis contentionibus unquam agitari possint, Apostolici muniminis patrocinio constabiliamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Bonaventura à Recineto, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, & Fratres Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci Congregationis Gallicanæ, Quòd, cùm dudum inter Fratres Minores Capucinos ex una, & Fratres Tertii Ordinis Congregationis Gallicanæ hujusmodi ex altera partibus, controversia super jure conferendi Habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci personis sæcularibus utriusque sexûs extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum jurisdictioni subditis, exorta fuisset; variaque Decreta à Congregationibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac etiam Litteræ Apostolicæ ad Partium præfatarum favorem desuper respectivè emanâssent, nec tamen controversia hujusmodi adhuc conquievisset; Eædem Partes, fraternæ charitatis inter Ordines præfatos conservandæ studio, accedentibus etiam exhortationibus dilectorum filiorum nostrorum Jacobi Rospigliosii, & Cæsaris Destrèes nuncupatorum, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterorum Cardinalium; ac intercessione dilecti Filii, Nobilis Viri, moderni Ducis Destrèes pro Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratoris, ad concordiam super præmissis (reservato tamen desuper nostro, & dictæ Sedis beneplacito) devenerunt, *ut scilicet, tam præfatis Fratribus Minoribus Capucinis, quàm dictis Fratribus Tertii Ordinis dictæ Congregationis Gallicanæ liceat Habitum præfatum Personis sæcularibus utriusque sexûs juxta usum apud suos respectivè receptum conferre*, & aliàs, prout pleniùs continetur in scriptura desuper confecta, tenoris, qui sequitur, videlicet. In Nomine Domini, coram Eminentissimis Cardinalibus infra nominatis, Anno Domini millesimo sexagesimo septuagesimo quinto die sexta Februarii, confectum est Romæ præsens Instrumentum, & ab utraque parte acceptatum in sequenti forma. Cùm jam diu Patres Capucinos inter, & Tertiarios Regulares, quæstio nata sit de, & super jure conferendi Habitum Tertii Ordinis Sancti Francisci Personis sæcularibus utriusque sexûs extra Congregationem degentibus, & Ordinariorum jurisdictioni subditis, eaque controversia multis intercedentibus Eminentissimorum Cardinalium, tum Sacri Concilii Interpretationi, tum Episcoporum, & Regularium Consultationibus præpositorum Decretis, ac Sanctissimorum Pontificum Brevibus, nondum penitus composita sit: ne diuturniore contentione pax, & charitas inter dictos Ordines labefactari queat, utriusque Ordinis Procuratoribus, pietatis, & concordiæ studio, accedente auctoritate, & exhortationibus Eminentissimorum Cardinalium Rospigliosii, & Destrèes, necnon Excellentissimi Ducis Destrèes, ad Sanctam Sedem Extraordinarii Regis Christianissimi Oratoris, eam exortas illa de re lites componendi, & futuras imposterùm amputandi, optimam rationem inire placuit; *ut scilicet tum Patres Capucini, tum Tertiarii sæcularibus utriusque sexûs Habitum Sancti Francisci conferant utrinque, juxta usum apud suos receptum*,

ceptum, & jura, quibus hactenus gaudere conſueverunt, ſalva, & reſervata ſuper præmiſſis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmatione, pro qua enixè ſupplicatur, ſuper bis ſilentio impoſito. Frater Amadæus Bajocenſis Capucinus Procurator, Frater Bartholomæus Vernonenſis, Procurator Provinciæ Sancti Ivonis Tertii Ordinis. Cæſar Cardinalis Deſtrées, Jacobus Cardinalis Roſpiglioſius. Quare exponentes præfati Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialibus gratiis, & favoribus proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ac ſupradictorum Decretorum, & Litterarum Apoſtolicarum tenores, & alia quæcunque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam inter Partes prædictas initam, ut præfertur, confectamque deſuper ſcripturam præinſertam, cum omnibus & ſingulis in ea contentis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, & omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, & proinde perpetuum ſuper controverſia prædicta utrique Partium ſilentium eadem authoritate, harum ſerie imponimus: decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, præfatorum Ordinum, & Congregationis Gallicanæ, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xx. Februarii MDCLXXV. Pontificatus noſtri Anno quinto.

I. G. Sluſius.

Autogr. in Arch. Secret. Brevium Apoſtol. Reg. menſis & anni præd. fol. 45.

Comitis de Argenſon, in Provinciis Regni munus Syndici exercentis pietatem commendat, & hoc aliis demandandi facultatem ei largitur.

Dilecto Filio, Marco le Voyer, Comiti de Argenſon &c.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CHriſtianæ charitatis exempla, quibus religioſiſſimam Fratrum Capucinorum Familiam fovere, & juvare ſtudes, quemadmodum præclaras dotes animi, ac generis tui mirificè exornant, ita gratæ, paternæque noſtræ voluntatis teſtimonia depoſcunt, &, quæ libenti animo deferimus, Pontificiæ laudationis officia: Deum itaque datorem munerum obſecramus, ut pietatis tuæ ſedulas curas gratiæ ſuæ ubertate remuneret, quò virtutes, & opera laudatiſſimi Ordinis redundare ſentias ad cœleſte præſidium, diuturnamque proſperitatem Tibi, ac Domui tuæ promerendam. A tua verò filiali erga Nos, & hanc Sanctam Sedem obſervantia vehementer poſcimus, ut digniſſimam iſtam virtutis alacritatem eidem Familiæ Tibi magnopere obſtrictæ impendere pergas, nec tanto

solatio destituas Pauperes Christi, Evangelica humilitate commendatos. Quod, ut præstare possis uberiori eum fructu, facultatem Tibi opportunas elargimur, exercendi etiam per alios, quibus demandaveris, munus Syndici in cunctis Regni Gallicani Provinciis. Tibi interea, Dilecte Fili, bonorum omnium copiam precantes Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ &c. Die XXIV. Septembris MDCCXXVII.

Carolus Archiep. Emissenus.

Exempl. in Arch. Gen. Ordinis.

Fratribus in Regno Galliarum existentibus, & à locorum Ordinariis ad excipiendas Monialium ægrotantium confessiones requisitis, harum claustra ingrediendi facultatem impertitur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, sicut dilectus Filius Cherubinus de Noves, Frater expressè Professus, Custos, & Socius Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, tam suo, quàm dilectorum Filiorum Fratrum, & præsertim Ministrorum Provincialium in Regno Galliarum existentium ejusdem Ordinis nomine, Nobis nuper exponi fecit, Fratres prædicti ad excipiendas Sacramentales Confessiones Monialium, aliarumque personarum ægrotantium in claustris degentium, multoties ab Ordinariis locorum invitentur, quin eis hæc in re morem gerere valeant, eò quod per Regulam ipsius S. Francisci *cap.* XI. Fratribus universis dicti Ordinis præcipitur, ne ingrediantur Monasteria Monialium, præter illos, quibus à Sede Apostolica specialis ad id concessa est facultas; Nobis propterea idem Cherubinus, quo suprà nomine humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremus. Nos igitur Cherubinum, aliosque Fratres prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratribus dicti Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum in Regno Galliarum commorantibus, ad audiendas confessiones præfatas idoneis, ac legitimè approbatis, ut ipsi, quotiescumque à locorum Ordinariis pro excipiendis Sacramentalibus Confessionibus Monialium, aliarumque personarum ægrotantium, intra claustra degentium tantùm, requisiti fuerint, de Superiorum suorum licentia claustra ejusmodi ingredi, illarumque confessiones audire, illasque ab earum peccatis, pœnitentia salutari, & aliis, quæ injungenda fuerint, eis respectivè injunctis, absolvere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septembris MDCCXXXIII. Pontificatus nostri Anno quarto.

F. Card. Oliverius.

Exempl. Authent. in Arch. Gen. Ord. Arm. Bullæ &c.

In

In locis Missionum, in quibus Fratres Ecclesias proprias non habent, Indulgentias Ordinis, Sæcularibus Ecclesiis communicat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Cœlestes Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem Fidei nostræ credidit Altissimus, iis potissimum Christifidelibus, quibus opportunitas, & commodum Ecclesiarum, quemadmodum alibi reperitur, non est, libenter erogamus. Alias siquidem fel. record. Urbanus PP. VIII. prædecessor noster, ad supplicationem tunc existentium Provincialis, & Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Helvetiæ suas in simili forma Brevis Litteras dedit tenoris, qui sequitur = Urbanus PP. VIII. Dilectis Filiis, Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Helvetiæ salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad augendam vestram Religionem, & Animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, Vobis omnibus, & singulis verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Sæcularium Provinciæ prædictæ, in qua, seu quibus per Vos Divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta administrantur, devotè visitaveritis, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderitis, ut eas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequamini, quas consequeremini, si aliquam ex propriis Ecclesiis vestræ Religionis personaliter, & devotè visitaretis, misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus Regula nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus, postquam proprias Ecclesias in eisdem vestris Domibus habueritis, minimè valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Augusti MDCXXXIV. Pontificatus Nostri Anno duodecimo. M.A. Maraldus = Quoniam autem noper pro parte Dilecti Filii Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis Nobis supplicatum fuit, ut indultum per præinsertas Urbani prædecessoris prædicti Litteras Fratribus hujusmodi in Provincia Helvetia dumtaxat degentibus concessum, non solùm ad Fratres omnes ejusdem Ordinis, qui in Provinciis ultra Montes commorantes Sacrorum Operariorum Missionariorumqne functiones, Officia, & alia pietatis opera peragunt, verùm etiam ad eos utriusque sexûs Christifideles, qui iisdem functionibus, Officiis, & Pietatis Operibus per dictas Provincias ultra Montes ab ipsis Fratribus fieri solitis intersunt, extendere, & de benignitate Apostolica concedere dignaremur. Nos igitur piis ejusdem Procuratoris Generalis votis, quantùm cum Domino possumus, benignè annuere volentes, eumque à quibusvis Excommunicationis &c. censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, præinsertum hujusmodi Indultum Urbani prædecessoris prædicti sub iisdem modo, & forma tam ad memoratos Fratres, quàm ad utriusqoe sexûs Christifideles in Provinciis ultra Montes prædictis degentes, dummodo præmissa omnia peregerint, extendimus, iisdemque concedimus. Non obstantibus Regula Cancellariæ nostræ Apostolicæ de non concedendis Indulgentiis adinstar, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus, postquam Fratres prædicti proprias Ecclesias in Domibus suis quarumcumque Provinciarum ultra Montes habuerint, minimè valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Februarii MDCCXLII. Pontificatus nostri Anno secundo.

D. Card. Passioneus.

Breve formatum in Archivo generali Ordinis Armario Bullæ, Brevia &c.

Fr. Cherubinum de Noves, in locum Fr. Justini de Beziers extra tempus Capituli Generalis defuncti, Definitorem Generalem substituit.

Dilecto Filio, Cherubino de Noves, Fratri expressè Professo, Ordinis Minorum S. Francisci nuncupatorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis zelus, Litterarum scientia, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut ac-

accepimus, per obitum quondam Justini de Beziers, dum vixit, Fratris expresse Professi, ac unius ex Definitoribus Generalibus Ordinis Minorum Sancti Francisci, Capucinorum nuncupatorum in nupero Capitulo Generali dicti Ordinis canonice electi officium Definitoris hujusmodi vacaverit, & vacet de præsenti, Nos eidem Ordini, cujus Tu, ut pariter accepimus, Frater expressè professus existis, ac aliàs non solùm per plures annos in Romana Curia Procuratoris Missionum Nationis Gallicæ dicti Ordinis, verùm etiam alia munera, & officia Ordinis hujusmodi Tibi à Superioribus prædictis demandata exercuisti, de idoneo Definitore Generali in locum dicti Justini defuncti, qui illum adjuvante Domino dirigat salubriter, ex commissi Nobis Divinitus Pastoralis Officii debito providere, Teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum earum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac de tua fide, prudentia, doctrina, integritate, claritate, vigilantia, & Religionis zelo, plurimùm in Domino confisi, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Te memorati Ordinis Definitorem Generalem ad tempus, quo ejusmodi Definitoratûs Officium, juxta Regularia dicti Ordinis Instituta per Sedem Apostolicam approbata, nempe usque ad celebrationem Capituli Generalis habendam, durare consuevit, in locum defuncti Justini cum omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, & facultatibus, auctoritate, Privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus solitis, & consuetis, & quibus prædictus Justinus, quoad officium Definitoris ejusmodi uti, frui, & gaudere posset, tenore præsentium constituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis, omnibus & singulis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque, ad quos spectat & spectabit in futurum, ut Te ad demandatum Tibi per præsentes Definitoratûs Officium, illiusque liberum exercitium juxta earumdem præsentium tenorem recipiant, & admittant, Teque recognoscant, & Tibi in omnibus idem officium concernentibus pareant, & obediant, faveantque, & assistant respectivè. Ac decernentes easdem præsentes Litteras, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Tibi in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, & ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno quarto.

D. Card. Passioneus.

Autographum in Archivo Secretariæ Brevium Apostolicorum Mense, & Anno prædictis.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Decretum Diffinitorii Generalis de Confessario Ordinario, tempore, quo Extraordinarius Monialium Confessiones excipit, in Fratrum Conventu permansuro, & spiritualibus exercitiis vacaturo confirmatur.

Emi, & Rmi Domini.

Nuper propositum fuit dubium Definitorio Generali Capucinorum, utrum scilicet, dum Confessarius Extraordinarius Monialium Capucinarum jurisdictionis Superiorum Ordinis subjectarum remanent apud earum Conventum ad audiendas earumdem Confessiones, Confessarius ordinarius quoque possit ibidem commorari, vel potius ad Conventum suum se conferre teneatur. Prædictum Diffinitorium Generale bono Religionis regimini, nec non dicta-

rum

rum Monialium conscientiæ consulere volens, rescribendum censuit die 26. Novembris 1747. Confessarius Monialium tempore Extraordinarii non habeat colloquia cum Monialibus, sed se recipiat ad suum Conventum, ibique semel in anno solari vacet Exercitiis spiritualibus per decem dies continuos &c.

Ut autem hæc decisio ab his, quorum interest, libentius excipiatur, & accuratiùs observetur, EE. VV. humiliter supplicatur, ut eam, quatenus salutiferam recognoverint, suâ auctoritate confirmare dignentur. Et pro Gratia.

Ex audientia Sanctissimi die 18. Maii 1747. Sanctissimus Dominus noster benignè annuit pro confirmatione &c.

A. Card. Gentili Præfectus.

Exemplar Auth. in Arch. Generali Ordinis:

Auctoritate S. Congregationis Supremæ, & Universalis Inquisitionis.

Fratribus à P. Provinciale, & Definitorio deputatis Libros hæreticorum legendi ac ab hæresi absolvendi = facultas conceditur.

THomas, Episcopus Ostiensis Ruffus, Annibal, Episcopus Portuensis S.Clementis, Antonius, Episcopus Prænestinus Gentili, Nicolaus, tit. S.Petri in Vinculis Lercari, Fr. Joannes Antonius, tit. S. Martini ad Montes Guadagni, Pompejus, tit. S. Eusebii Aldrovandi, Dominicus, tit. S. Bernardi Passionei, Sylvius, tit. S. Priscæ Valenti, Carolus Albertus, tit. S.Mariæ de Pace Cavalchini, D. Fortunatus, tit. S. Matthæi in Merulana Tamburinus, D. Joachim, tit. S.Crucis in Jerusalem Besotius, Nereus, Cardinalis Corsinus &c. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, à S. Sede Apostolica specialiter deputati.

Dilecto Nobis in Christo Fratri N. N. Ministro Provinciali Ordinis Capucinorum, Provinciæ N. Salutem in Domino Sempiternam.

CUM in Generali Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico ad S.Mariam Majorem, coram SS. D. N. D. BENEDICTO, Divina Providentia PAPA XIV. ac Nobis, die infrascripta, nomine tuo supplicatum fuerit, ut ad salutem Animarum, ac hæresium, & errorum confutationem Tibi, ac aliis ejusdem Ordinis Sacerdotibus Tibi subjectis quoscunque prohibitos libros, præsertim Sacra Biblia vulgaris idiomatis legendi, & retinendi, hæreticos quoscunque redeuntes, & pœnitentes recipiendi; necnon Novitios dicti Ordinis, vel alios, illius Habitum suscipere volentes, à casibus Sedi Apostolicæ reservatis absolvendi licentiam, & facultatem concedere dignaremur.

Nos, quibus in primis cordi est, ut omnis hæretica pravitas, è cunctorum mentibus depellatur, & oves aberrantes ad caulam Dominici Gregis sedulò reducantur, cunctorumque Christifidelium saluti providè consulatur, ac summopere cupientes, ut S. Catholica, & Orthodoxa Fides ubique floreat, & augeatur, Auctoritate Apostolica Nobis in hac parte commissa, Tibi & pro tempore existenti dictæ Provinciæ N.Provinciali, ac aliis tui Ordinis Fratribus doctis, & prudentibus, Tibi subjectis, per Te, de consilio, & consensu Patrum Diffinitorum Capituli Provincialis deputandis, ut quoscunque hæreticorum, seu aliàs prohibitos libros, etiam in Indice Romano librorum prohibitorum damnatos, præsertim volumen Sacrorum Bibliorum vulgaris idiomatis, exceptis tamen Caroli Molinei, & Nicolai Machiavelli operibus, ac libris de Astrologia judiciaria tractantibus, sine tamen aliorum scandalo &c.

Resid. vide tom. IV. pag.4.

Datum Romæ in Generali Congregatione prædictæ Sac. Inquisitionis hac die N. mensis N. 1747. Pontificatus &c.

Paulus Antonius Cappellonus S.Rom. & Univers. Inquisit. Not.

Auth. in Arch. Provinciarum, quæ hujusmodi indultis gaudent.

Series facultatum, & privilegiorum, quæ à Summo Pontifice, nonnullis Provincialibus, ceu Missionum Præfectis ad tempus officii concedi solent, cum potestate ea aliis Fratribus communicandi.

1. ADministrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, Ordine, & Confirmatione exceptis, & quoad Parochialia in Diœcesibus, ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in Parochiis,

chiis, ubi non erunt Parochi, vel, ubi erunt, de eorum licentia.

2. Absolvendi ab Hæresi, & Apostasia à Fide, & à Schismate quoscumque, etiam Ecclesiasticos, tam Sæculares, quàm Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur Hæreses, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur Hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi, in Hæresim fuerint relapsi, & hoc in foro conscientiæ tantùm.

3. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in Bulla Cœna Domini contentis, primò conversos ad Fidem Catholicam tantùm, remissis aliis ad Nuntium.

4. Absolvendi, & dispensandi in quacumque Simonia, & in reali, dimissis beneficiis, & super fructibus malè perceptis, injuncta aliqua eleemosyna, vel pœnitentia salutari arbitrio dispensantis, & in foro conscientiæ tantùm.

5. Tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi libros Hæreticorum, vel Infidelium, de eorum Religione tractantium ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præterquam Opera Caroli Molinei, & Nicolai Machiavelli, ac libros de Astrologia Judiciaria principaliter, aut incidenter, vel aliàs quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

6. Celebrandi Missam quocumque loco decenti, etiam sub dio, sub terra, una hora ante Auroram, & aliam post Meridiem, bis in die, si necessitas cogat, si tamen in prima Missa non sumpserit ablutionem, & super Altari portatili, etiam fracto, aut læso, & sine Sanctorum reliquiis, & præsentibus Hæreticis, aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit, & non sit periculum sacrilegii, dummodò inserviens Missæ non sit Hæreticus, vel excommunicatus. Hujusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissimè, & ex gravissimis, & urgentissimis causis, in quo graviter ejus conscientia oneratur, quòd si ad præsens, aut imposterum quandocumque aderit Episcopus, aut Vicarius Generalis, aut Capitularis, sive Vicarius Apostolicus, ad cujus Diœcesim, seu administrationem pertineant loca, ubi secundò celebrari contigerit, præfata facultas bis celebrandi nullius prorsùs sit roboris, ac momenti, nisi priùs prædicto Episcopo, aut eo absente, ipsius Vicario Generali, aut respectivè Capitulari, aut Vicario Apostolico fuerit exhibita, ab eoque examinatæ, & approbatæ fuerint in scriptis causæ ea utendi, nec aliter concessa intelligatur, quàm juxta moderationem ab ipso apponendam, & non aliàs, cujus Episcopi, seu Vicarii conscientia oneratur, ut non nisi ex urgentissimis causis, ut supra dictum est, & ad breve tempus ea uti permittat. Quam tamen facultatem poterit Episcopus, seu Vicarius, si in Domino visum fuerit, expedire ad aliud breve tempus plurìes, & eadem servatâ formâ, prorogare intrà tempus in hac facultate à Sancta Sede concessum, & non ultra. Idipsum autem prorsus servetur ab iis, quibus hæc eadem facultas celebrandi bis in die juxta potestatem inferiùs apponendam communicata fuerit, adeo, ut nemo ex ipsis, nisi juxtà moderationem ab Episcopo, vel ejus Vicario Capitulari, vel Generali, seu Vicario Apostolico, ut dictum est, singulis apponendam, hujusmodi facultate uti valeat, injuncto eorundem Episcoporum, seu Vicariorum conscientiæ, ut ultra superiùs dicta non omnibus indifferentèr, quibus fuerit communicata, sed paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui absolutè necessarii sint, nec pro quolibet loco, sed, ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus, ut dictum est, facultatem quoad hoc comunicatam, approbet.

7. Dispensandi, & commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis, & Religionis.

8. Dispensandi in foro conscientiæ super irregularitate ex delicto occulto proveniente, & non deducto ad forum contentiosum, non tamen ex homicidio voluntario, aut bigamia.

9. Dispensandi cum conversis ad Fidem Catholicam in 3. & 4. Consanguinitatis, & Affinitatis simplici, & mixto tantùm, quoad præterita matrimonia, & in prædictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

10. Dispensandi cum eisdem super impedimento publicæ honestatis justitiæ ex sponsalibus proveniente.

11. Dispensandi cum eisdem super impedimento criminis, neutro tamen Conjugum machinante.

Residuum cum Nota subnexa vide eodem tomo IV. fol. 5.

PRO.

PROVINCIA PARISIENSIS.

QUemadmodum Nationem Gallicam â Seraphico Patre nostro Francisco cuicunque alii populo amore prælatam fuisse, tum ex studio pietatis, ad quam illam proclivem esse noverat, tum ex electione, quâ, dum ad alias mundi regiones Socios suos primùm ablegavit, eam personalis sui zeli reservavit portionem, Annalium nostrorum tomus primus fol. 737. differtè infert, ita primi nostri Patres Seraphicæ prædilectionis exemplo incitati, de limitibus Italiæ ad Galliæ Regnum Reformationem nostram propagari, sollicitiore nisu laborârunt: quapropter in Capitulo Anconitano anni millesimi quingentesimi septuagesimi tertii, Fr. Dionysium â Mediolano, cum Fr. Remigio Laudensi Laico, Lutetiam Parisiorum destinârunt, ut de iis, quæ inter Carolum, S. R. E. Cardinalem â Lotharingia, & Fr. Thomam à Civitate Castelli, Vicarium nostrum Generalem prævìè concepta, & à Fr. Petro à Campis, jam ante Capucinorum adventum proprio motu, ex PP. Cordigeris Capucino facto, incepta erant, hypotheticam sortem scrutarentur. De horum appulsu prævias ad Illustrissimum Dominum Cardinalem â Lotharingia dederunt litteras, qui & ad illas sequens dedit responsum, originaliter in Archivo Ordinis asservatum, & R. P. Generali inscriptum.

Admodum Reverende Pater.

Epistola vestra heri in hoc loco recepta, mihi fuit summæ consolationi & gaudio, exspectoque desiderio & affectu maximo Guardianum, & Fratres vestri Ordinis, de quibus mihi scribis. Optarem eorum adventum pro principio mensis Septembris, quatenus tempore, quo Rex in hac vicinia deget, eos recipiendi, tractandi, & amplexandi opportuniorem habeam (prout cupio) copiam. A multis desiderantur, & expectantur, multæque Personæ magnæ auctoritatis, & divites, huic sanctæ vestræ Societati, quam huic Regno haud parum utilem & proficuam fore censeo, se jungere cupiunt. Quod faxit Deus, conservetque R. P. Vestram in sua gratia & custodia. Gallione 18. Julii 1573.

Uti Frater.

Card. Carolus â Lotharingia &c.

Felici rerum concursu favebant initia, dum non solùm altefatus Cardinalis, & ipse Rex Carolus IX. ablegatos Fratres gratioso exceperunt affectu, verùm

rùm etiam Regina Catharina de Medicis Regis Mater, opportunum Regularis Domûs situm, subnexo adpromisit Diplomate &c.

Catharina, Dei Gratiâ Regina Galliæ, Mater Regis, omnibus præsentibus, & futuris salutem.

Post tantas gratias speciales Nobis exhibitas à manu Omnipotentis Dei, in Nobis majus desiderium & affectus non viget, quàm, ut illi honor debitus & gloria reddatur, & Nos de precibus sanctis & orationibus quotidianis in Ecclesia Catholica Romana, maximè à Religiosis Ordinis S. Francisci Capucinis, quos Nos devotissimos scimus, fieri solitis participemus. Notum facimus, quod, cum fabrica Palatii Nostri, quod Lateralium nuncupant, quasi jam completa sit, vocavimus dictos Religiosos pro ædificando propè dictum nostrum Palatium, Conventu, & Domo habitationis illorum ad ibi Divina Officia, & Sacramenta, secundùm Regulam eorum Ordinis, & institutionem administranda: Ex his, & aliis motivis, donavimus, concessimus, cessimus, dedimus, transtulimus, & reliquimus nunc & pro semper dictis Religiosis Capucinis, & eorum Successoribus Religiosis dicti Ordinis, prout præsentibus hisce nostris manu propria subscriptis, damus, concedimus, cedimus, & transferimus, & relinquimus locum, spatium, & hortum, situm in Suburbio Parisiensi S. Honorati nuncupato, cum omnibus ædificiis, domibus, & stabulis ibi instructis, ad Nos per Dominium à Nobis temporibus præteritis acquisitum spectantibus. Dictus locus, hortus, & spatium unitur ex una parte = ex alterâ = conficiunt angulum ex uno latere. Ita ut à dictis Religiosis, & aliis ibi erigatur & ædificetur ad utile & commodum eorum dicta Domus, Conventus, Dormitorium, & hujusmodi ædificia necessaria pro Cellulis, & habitatione dictorum Religiosorum Capucinorum. Quæ omnia, ut dictum est, cum ædificiis ibi constructis, illis, & eorum Successoribus etiam dedimus, concessimus, reliquimus, damus, concedimus, & relinquimus, ut eorum usum inde habeant amplum, pacificum, & perpetuum, tanquam rei propriæ, & hæreditariæ absque reservatione ulla nostra & nostrûm, exceptâ fidelitate, homagio, recognitione, & superioritate, si quæ adsit. Committimus itaque Consiliario nostro amantissimo, supremo inspectori Terrarum nostrarum, Domino Magistro de Beaume, Episcopo Mendensi, nec non etiam Consiliario Consilii privati amantissimi Filii Nostri, & Domini Regis, quatenus de præsenti dono nostro, cessione, eleemosynâ, consensu dato, translatione, & concessione permittat, & disponat, ut dicti Religiosi Capucini, & eorum Successores dictæ Religionis pacificè eorum usu gaudeant, nec permittat illos perturbari & impediri, & introducat, vel introduci faciat dictos in bonam & quietam possessionem contractûs acquisiti hujus loci, Domûs, & Horti. Volumus, ut dicti Religiosi retineant penes se ad majorem securitatem nostræ donationis, cessionis, & translationis instrumentum. Rogamus insuper Regem, dilectum Filium nostrum ac Dominum, velit præsentem donationem, cessionem, concessionem, & eleemosynam, manutenere, ratihabere, & fovere, illisque concedere, ita, ut deinceps nullum habeant obstaculum in usu dictorum: sic enim volumus. In hujus rei fidem sigillum nostrum apponi jussimus.

Datum Parisiis mense Julii 1574.

Catharina.

Obstitit perfectioni operis unicè Apostolica Pauli III. Constitutio, quâ Reformationem nostram ad partes ultramontanas dilatari vetitum erat, inde, ut hic obex

obex tolleretur, regiis petitum, & obtentum est litteris, per Constitutionem Gregorii XIII. suprà fol. 1. positam. Ex quo ad albicantem jam messem plures Colonos mitti sicut necessum erat, ita P. Pacificus à S. Gervasio Brixiensis cum septem aliis Sacerdotibus, duobusque Laicis eò est ablegatus. Regina Catharina, quæ Filio Rege vitâ functo Regni clavum moderabatur, fabricam, cujus ipsamet primam posuit petram, in designato loco sine cunctatione inchoari, & de loco *Picquepuse*, ubi præfatus Pater Petrus â Campis sub regiâ protectione vitæ Capucinæ methodum observans Advenas Nostrates benigno diversorio exceperat, ad illam hos transferri mandavit. Stabilitâ jam primâ hac Regni totius Domô, Fratres eum virtutis odorem spargebant, ut non solùm nova illorum domicilia in Agro Meudonensi, in Lugdunensi & Avenionensi Civitatibus exsurgerent, sed etiam Henricus III. defuncti Caroli Frater, & illius in regali Throno Successor, regiæ protectionis gratiam iis addixerit, liberamque Conventus in toto Regno construendi facultatem concesserit, publicis desuper editis tabulis, quas anteriore. Fol. 2. extensas dedi, & quarum substantiam successiva Regum Christianorum pietas usque ad præsens tempus semper confirmavit.

Non poterat non gloriosa operari tam pio stylo expressa Regis propensio; non poterat non accendere in aliis sacram cupedinem Seraphica exstruendi Odea, eo tempore, quo in jam extructis Fratres manus suas in sancta extollere, perdii & pernoctes Dominum benedicere auditi sunt, ac recta eorum conversatio visa fuit suavis, communisque ad virtutem stimulus. Hinc intra modicum annorum spatium taliter adauctus est Conventuum numerus, ut non solùm florentem formarent Provinciam, sed & Provinciarum Matrem; agnoscunt eam ceu talem Provincia Turonensis, Britannica, Normanniæ, & se felicem illius fœtum gloriantur &c.

Non tam Provinciis fuit fæcunda, quin Virorum Illustrium copiâ manserit semper insignior: ex illa enim hjerarchici sui Ordinis decorem ampliavit Ecclesia in Fr. Athanasio, ex illustri Mesgriniorum stemmate, qui dum scientiâ *Leonis Sorbonici* titulum obtinuit, virtute Infulam Grassensem, prout primo Bullarii tomo memoravi, acquisivit.

Exhibet & idem Tomus Fr. Ludovicum de Mornay, Episcopum Quebecensem, cujus laudem ibi cæptam, hîc complet epitaphium, tumulo ejus ita appositum:

Illustris & Reverendissimus Dominus
D. Ludovicus Franciscus de Mornay
Quebecensis Episcopus
Multoties in Ordine Capucinorum
Guardianus & Deffinitor
â Rege Ludovico Magno
nominatus Episcopus anno MDCXIII. &c.
Piorum præsidium
Sanæ morum doctrinæ, & disciplinæ
Tutor & Vindex
utramque verbis, & exemplis
strenuè defendit.

Per annos XXVIII. grave Episcopatûs jugum
fortiter & sollicitè portavit.
Singulari morum integritate conspicuus,
æquabili vitæ tenore sibi constans,
Nec prosperis elatus, nec depressus adversis
In victu & cultu simplex
recti & veri tenax
assiduus & fervens in oratione
annos æternos semper in mente habuit.
dierum, bonorumque operum plenus
Obiit die XXVIII. Novemb. anni MDCCXLI.
ætatis suæ LXXVIII.

FF. Honoratum, ex Illustri Familia Bouchart, de Champigny, Angelum à Jojosa, & Leonardum à Parisiis dum pronuntio, portenta virtutum nomino. De illa, quæ in primo emicuit, plura hic fari non vacat, tum, quod nostri Patres Henricus Caletensis, Marcellinus de Pise, in tomo tertio Annalium fusè, & Bernardus à Bononia in Bibliotheca Scriptorum Ordinis synopticè eam commendent, tum, quod alia illius memorandæ restent loca; hic dixisse sufficiat, Apostolica auctoritate processum de virtute & miraculis hujus Servi Dei per Lingonienſem Antistitem, Ducem & Parem Franciæ anno 1637. confectum, & à Sancta Sede Decretum sacri honoris à Rege Christianissimo fuisse petitum per litteras subjunctas.

BEATISSIME PATER.

Cum fama sanctæ vitæ, quam defuuctus Pater Houoratus à Champigny Capucinus duxit, & miracula, quæ Deus post ejus mortem ad illius iutercessionem operari dignatus est, usque ad Sanctitutis Vestræ aures percrebuerint, Nobis relatum est, Capuciuis nostræ Civitatis Parisieusis intimatum esse, quod Sanctitas Vestra desuper iuformari cupiat. Quod uobis occasionem præbuit Sauctitati Vestræ supplicaudi, prout per hasce litteras affectuosè supplicamus, quateuus processus miraculorum quantocyus, ac id fieri potest, examinari mandet: persuasi, ratum grutumque à Sanctitate Vestra habendum, quod pro re tam pia & utili officia nostra iuterpouamus, uostrumque approbandum desiderium, quo à Mundo cognosci cupimus gratiam, à Deo huic reguo coucessum per partum Viri, cujus sancta memoria houore Ecclesiæ digua est. Eritque uobis & gaudii & consolationis materies, si Sauctitas Vestra uegocium hoc, quautùm possibile fuerit, promoveri disponat, gratumque nobis accidet, si supplicatio, quam repetimus, Sanctitatem Vestrum ad diligentiam magis acceleraudam commoveat. Precamur Deum Sauctum, ut Sanctitatem Vestram ad longos annos pro bouo & commodo Ecclesiæ suæ sanctæ couservet.
Foutis Bellaquei 6. Julii 1637.

Devotus Filius

Rex Franciæ & Navarræ, Ludovicus.

Histo-

Historia temporis & regni Galliæ vix reperitur, quæ non recenseat virtutem Fr. Angeli à Jojosa, eousque raram & amplam, ut præter inferius dicenda, aliud à me hic addi non superfit.

Fr. Leonardus, Præsidentis Collegii Inquisitionum Domini Favre Filius, integritatem vitæ eximiis excoluit virtutibus, pœnitentiæ rigorem, cum innocentiæ candore mirabili conjunxit fœdere, ac zelum propagandæ in Brasiliis, Maragnani, & Canadæ Provinciis, indefesso labore probavit, ceu primus Missionum illarum Præfectus: & sicut P. Honorati fuit coætaneus, & virtutis æmulus, ita & dignissimus in officio Definitoris Generalis successor.

Elevavit ad hunc eundem Ordinis gradum binâ vice Fr. Ludovicum à Jullio, ex Burgorum, belli pacisque adoræis corusca Familiâ ortum excelsa vita, in spiritu humilitatis radicata, fructibus honoris & commissionum fæcundata, & quadriennalis patientiæ merito in infirmario consummata.

Homines hi divites in virtute & Patres Ordinis in generationibus gentis gloriam adepti sunt, fueruntque similes arbori, quæ continua Nepotum illustrium successione viruit, semen suæ fœcunditatis in Familias generis nobilitate præcellentes felici fœtu dispersit, Capucinamque stirpem ramis honoris seu Filiis illustravit. Filios ipsos recensere cum prolixum nimis foret, quasdam de Familiis nobilibus, quæ Provinciæ huic prolem dederunt, selectiùs, & duntaxat memoro, suntque.

S. André, d'Assigny, d'Auterive, de Baduel, de Berger, de Betune, de Bolduc, Boria, Bouchage, Brulart, de Chaumont, de Cuignieres, d'Eaubonne, d'Ericour, de Faideau, Farre, du Fosse, de Grandin, de la Grange, de Gravelle, Gouffier, de Guise, d'Ilincourt, de Jully, de Laigny, de Luines, Marigny, Marillac, de Marly, de Merlou, de Megriny, de Molé, Moreau, Mornay, de la Mote, Potel, Rambures, Ripault, de la Romagere, de Rousseau, Sevin, Souzy, de Thery, du Tillet, de Treslon, de la Tour, de Vantelet &c.

Scientes autem Fratres hujus Provinciæ se non esse subtractionis Filios in perditionem, sed fidei in acquisitionem animarum, duplici huic animarum & fidei lucro indefessè incumbunt. Quærunt illas in Choro per orationis suæ fidem & vota, in plateis per humilis virtutis exemplum, in Tribunali Pœnitentiæ per dictata salutis consilia, ac in Pulpitis per sparsam vitæ & disciplinæ legem.

Quærunt hanc, dum corde credentes ad justitiam, illius veritatem opere & sermone, ac libris, quorum typis editorum numero omnes Ordinis Provincias hucusque anteeunt, firmant, pro eâ se quasi murum contra insensatos ponunt, novam doctrinam ad Apostolicæ Sedis petram allidunt, & parem zelum pro Novatorum conversione, & Hæreticorum excidio conferunt. Portat hæc Provincia, labarum Fidei usque ad Othomanam Ditionem, ac extremas Orientis plagas, & in verbis suis apud exteras Nationes monstra iniquitatis eo comprimit fructu, quem Tomus de Missionibus agens latè commendabit. Magnum quidem non semel certamen sustinuerunt passionis, &, dum alii opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti fuerunt, alii Socii facti sunt eorum, quos odium fidei, vel longâ vel lentâ morte peremit. Jam in Provinciæ primordio, & quidem anno 1589. clamavit sanguis Fr. Petri à Droco, & Hugonoticam manum mortalis sceleris ream damnavit. Feralis fuit scena & cœna anno 1626. Familiæ Calesii, pariter ab Hugonotica perfidia ipsâ Sancto Patri Francisco sacrâ die per venenatum vinum parata, quo libato, omnes Familiæ Fratres, uno duntaxat excepto, morte sunt consumpti. Horum memoriam sicut funebri Antiphonâ annuatim populus processionaliter Ca-

pellam Sepulturæ accedens renovat, ita & exemplum crudelitatis, speciofo charitatis opere palliatæ, justa irâ recenset.

Fr. Leonardus Carnotensis, Custos & Visitator Missionum Candiæ dum Infantem morti proximum aqua salutis lavat, sanguine lethalis vulneris contaminatur, & citæ mortis periculum ne subiret, ad aliam Insulam anno 1649. transiit, lentiore charitatis martyrio Apostolicos labores completurus. Charitatem dum furor barbarus in FF. Archangelo, & Paschali à Treclis extinguere non potuit, eam aquæ maris in reditu ex Candiâ ad Provinciam cum naufragio consummavit, cadaveribus eorum mirè ad portam Conventûs Blesensis per spumantes aquas delatis.

Plura & alia tragicæ probationis exempla sileo, cum adducta fidem fidei faciant sufficientem.

Ad ipsum regium Thronum virtus Fratrum penetravit, hinc non solùm eorum curæ Hospitalia in locis Conventuum commisit, plures eorum in Concionatores Regios selegit, sed etiam per eos suæ pietatis vota persolvit. Fr. Claudius Athensis, ex illustri de Bergues Familiâ, & Belgii Gubernatoris Filius, sicut regium affectum indole suâ & virtute peculiariter sibi conciliavit, ita & à Ludovico XIII., & Regina Anna selectus, & ablegatus est in Palestinam, ut ad Sepulchrum Domini argenteum pusionem cum lampadibus in anathêma offerret, quod Deus Magni Ludovici XIV. partu compensavit. Fr. Joannes Maria de Treslon, in sæculo Eques Melitensis, & in Ordine Henricæ Borboniæ, Reginæ Magnæ Britanniæ à Confessionibus, jussu ejusdem ad Ædes Lauretanas splendidum munus, & ad Pontificium solium reverentiæ & obedientiæ homagium detulit.

Plura quoque sunt diversorum Ordinum Cœnobia, quæ vel originem vel Reformationem suam hujus Provinciæ adscribunt Patribus.

Marcuit infortunio belli in Parthenone S. Pauli Bellovaci, de Montevilliers, & Vallisgratiarum flos Regularis Observantiæ, & spiritum Ordinis S. Benedicti in Monialibus libertas actionum plurimùm dissipavit, felici autem zelo prælibatus P. Honoratus suffulsit domum, corroboravit templum, & decorem ejus sanctis monitis & consiliis ita stabilivit, ut in hunc usque diem Religiosæ vitæ perfectio, innocentisque pœnitentiæ amor usque ad stuporem in eis coruscet.

Deploravit eundem desolationis casum Monasterium Benedictinarum Reformatarum *de Monsmartre*; cumque Abbatissa Maria de Beauvilliers, aurum, quod, relaxatio spiritûs obscuraverat, à scoria & sorde purgare statuisset, jussu Francisci Cardinalis de Sourdis sacri operis adjutor constitutus est stirpe, nobilitate, virtute, ac librorum fœtu insignis Fr. Benedictus Anglo-Canfeldensis: amor autem Martyrii, qui illum ad reditum in Angliam urgebat, cum ab eo opus feliciter jam ceptum perfici non fineret, illud post suum ad Ordinem nostrum regressum Fr. Angelus à Jojosa in benedictione dulcedinis, qua Juniorum Monialium animis amorem primævi rigoris instillavit, gloriosè complevit.

Pulsus animarum lucro Fr. Athanasius, Domini de Mole, Procuratoris Generalis Parisiensis Frater Germanus erexit Magdelitarum (vulgò *Maddalenette*) institutum, in tres Congregationes, videlicet illam S. Mariæ Magdalenæ, aliam S. Marthæ, & tertiam S. Lazari cum distinctæ regulæ articulis divisum, quo Mulieres, quæ in vitæ licentiosæ semitas deflexerunt, ad pœnitentiam renovantur, &c. & quod Parisiis, Burdigalæ, & Rhotomagi florens, gratiâ memoria nomen Fundatoris commendat.

Opus Fr. Josephi Le Clerc de Tremblay, est celebris Congregatio nostræ Dominæ Calvarii ex viginti Cœnobiis constituta, quantumque R. P. Philippus Bonanni illud soli Antoniæ d'Orleans, suppresso penitus hujus nomine adscribat; ille

ille enim è Monasterio Fontis Ebraldi Moniales, arctiorem S. Benedicti Regulam profiteri volentes eduxit, ab iisque Pictavii vota suscepit: ille Constitutiones formavit, à Gregorio XV. Monasteria fundata & fundanda in Congregationem Calvarii coadunari impetravit: additâ hac duntaxat distinctione, ut inter duo Parisiensia Monasteria illud, in quo Directrix Generalis, visitatione Monasteriorum non occupata, resideret, Crucifixionis titulum teneret, & in alio, quod *quartier de Marais* vocatur, post mortem cor suum, ex cujus abundantia os ejus loquebatur, quiesceret.

Provincia hæc ad amplam Parisiensem, & Picardiæ ditionem extensa complectitur.

Conventus Fratrum XLII.

Missionem seu residentiam I.

Monasteria Monialium Capucinarum II.

Philippo, Domino loci de Saveuse, & Mariæ de Lully Monasterium Ordinis S. Claræ (nunc Monialium Capucinarum) in Civitate Ambianensi construendi facultatem largitur.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Philippo, Domino loci de Saveuse, Ambianensis Diœcesis, Militi, & Dilectæ in Christo Filiæ, Nobili Mulieri Mariæ de Lully, ejus uxori salutem, & Apostolicam benedictionem.

EXigit singularis devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Ecclesiam, ut votis vestris, illis præsertim, quæ ex devotionis ardore, ac in Religionis propagationem, & divini cultûs augmentum cedere dignoscuntur, quantùm cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod Vos singularem gerentes ad Ordinem Sanctæ Claræ specialis devotionis affectum, ac cupientes terrena in cœlestia felici commercio commutare, nec non de vestra, uxorumque, & progenitorum animarum salute recogitantes, de bonis à Deo Vobis collatis ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac dictæ Sanctæ memoriam, & reverentiam, ejusque Religionis, ac hujusmodi cultûs augmentum, unum Monasterium cum Ecclesia, Campanili, Campana, Claustro, Cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis, pro usu, & habitatione nonnullarum Monialium dicti Ordinis, quarum una Abbatissa sit, in aliquo loco ad hoc apto, & congruo, in altera Ambianensi, & Attrebatensi Diœcesi, construere, & ædificare, seu construi, & ædificari facere desideratis, si Vobis ad hoc suffragetur Apostolicæ Sedis auctoritas; Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Vobis super hoc benignum impertiri consensum de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultûs, & Religionis hujusmodi incrementum nostris temporibus intensis desideriis affectamus, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, Vobis in altera Diœcesi præfatarum in loco ad hoc idoneo, congruo, & honesto unum Monasterium sub regulari observantia cum Ecclesia, Campanili, Campana, Claustro, Cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis construendi, & ædificandi, seu construi, & ædificari faciendi, ac ipsis Monialibus, quarum una Abbatissa sit, ut præfertur, Monasterium prædictum intrandi, & inhabitandi, alterius super hoc licentia minimè requisita, jure tamen Parochiali, & quolibet alio semper salvo, liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem, & nihilominus Abbatissæ, & Monialibus in prædicto Monasterio pro tempore degentibus, earumque Confessoribus, & personis aliis eis obsequentibus, quod omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, concessionibus, gratiis, & indultis aliis, quibus cætera Monasteria, nec non in eis Abbatissæ, & Moniales dicti Ordinis sub eadem observantiâ degentes, cum eorum Con-

fes-

fessoribus, & aliis personis similibus gaudent, & utuntur, uti etiam, & gaudere valeant, eadem auctoritate, tenore præsentium indulgemus. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi, Prædecessoris nostri, & aliis Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverint incursurum.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, Nonis Julii Pontificatus nostri Anno duodecimo.

Bulla formata in Archivo Monasterii antedicti.

N O T A.

Obortâ postmodum inter Episcopum, & Moniales tum super jure fundationis, tum jure funerali &c. contentione, facta fuit inter eos concordia, ab Apostolica Sede confirmata per literas sequentes:

Dilecto Filio, Abbati Monasterii Sancti Martini Ambianen.

Regimini universalis Ecclesiæ, quamquam immeriti, disponente Domino, præsidentes, curis urgemur, & assidua meditatione pulsamur, ut quorumcumque Religiosorum locorum, illorumque personæ dirigantur salubriter & feliciter gubernentur, ac, ne in spiritualibus vel temporalibus detrimenta subeant, libenter ipsis, quantùm possumus, opportunæ provisionis remedium adhibemus. Dudum siquidem pro parte dilecti Filii, Nobilis viri, Philippi Militis. Domini loci de Savense, Ambianensis Diœcesis, & dilectæ in Christo Filiæ nobilis Mulieris, Mariæ de Lully Domicellæ, ejusdem Philippi Conthoralis, nobis exposito, quod ipsi ob singularem, quem ad Ordinem S. Claræ gerebant devotionis affectum, de bonis eis desuper collatis, etiam Christifidelium charitativis concurrentibus præsidiis, ad Omnipotentis Dei laudem &c. aliquod hujusmodi Ordinis Monasterium cum Ecclesia, Campanili &c. officinis pro usu & habitatione aliquarum dicti Ordinis Monialium, quarum una Abbatissa esset, in aliquo ad hoc apto & congruo loco in Villa de Corbeya, dictæ Diœcesis, aut in aliqua ex prædicta, vel Attrebaten. seu Tornacen. Diœcesi construere &c desiderabant; Nos hujusmodi desiderio annuentes, eisdem Philippo, & Mariæ Monasterium hujusmodi cum Ecclesia, Campanili &c. pro usu & habitatione Monialium in loco prædicto construendi &c. licentiam auctoritate Apostolicâ duximus concedendam. Postmodùm verò, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo Filiarum Joannæ Abbatissæ, & Conventûs Monasterii, tunc in Civitate Ambianensi pro earum usu & habitatione, ac receptatione vigore litterarum, & licentiæ hujusmodi constructi & ædificati, petitio continebat, postquam ipsæ Monasterium prædictum pro præmissis usu & habitatione acceptantes, inibi sub Regulari dicti Ordinis custodia Altissimo aliquandiu famularentur, cum inter Venerabilem Fratrem nostrum Joannem Episcopum Ambianensem, ac dilectos Filios Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Ambianensis ex una, nec non inter Abbatissam, & Conventum prædictos ex altera partibus, super constructione & fundatione Monasterii hujusmodi, nec non jure funerali, oblationibus, ac certis aliis tunc expressis, ac illarum occasione, dissensionis, quæstionisque materia suborta fuisset, Philippus, & Maria, ac Abbatissa & Conventus prædicti cum eisdem Episcopo, Decano & Capitulo super præmissis in certum etiam tunc expressum concordiæ modum devenerunt; nonnullas inter se ordinationes, & Capitula hujusmodi concordiam contingentia concipientes, quæ hinc inde observari disposuerunt, firmiter ac promiserunt, & quæ postmodum, utpote justa & rationabilia per Generalem Ordinis Fratrum Minorum Ministrum in Provincia Franciæ secundùm morem Ordinis Fratrum Minorum laudata pariter, & approbata fuere, prout in authenticis litteris, sive in instrumentis publicis superinde confectis dicitur pleniùs contineri. Quare pro parte Abbatissæ et Conventûs prædictarum Nobis fuit humiliter supplicatum etc.

Nos itaque etc. discretioni etc. mandamus, quatenus super præmissis Te diligenter informes, et si per informationem hujusmodi ita esse inveneris, concordiam præmissam, ac, prout illam contingunt, omnia et singula in litteris sive instrumentis prædictis contenta, et quæcumque inde secuta, eadem auctoritate approbes et confirmes etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, decima septima Kalendas Octobris, anno decimo quinto.

Ex Wadingo edit. novæ. tom. XI. fol. 482.

De hoc Monasterio, adhuc sub instituto Clarissarum consistente, P. Wadingus cit. tomo XI. fol. 248. §. XXXIX. in laudis memoriam addit sequentia: *Religiosissimum est Monasterium, in quo sanctè vixit Maria à Borbonio, Serenissimi Jacobi Siciliæ Regis Filia, Beatæ Coletæ Discipula, & sedula, supra quam dici potest Æmulatrix. Honorifico etiam jacet hic in Sepulchro — Vir illustris Adrianus Maleaceus, Eques Torquatus &c.* Inductis postmodum in id Monialibus Capucinis, harum directionem spiritualem Fratribus nostris committi, Rex Christianissimus Ludovicus XIII. à P. Procuratore Generali Ordinis petiit, sequentibus litteris.

Concessit aliàs Sanctitas Sua Religiosis S. Claræ meæ Civitatis Ambianensis, ut sub cura Religiosi Ordinis Vestri viverent; quod ideo pro iis expetii, cum mihi relatum fuerit, pro spiritu earum in quiete conservando medium opportunum fore, si pro gubernio illarum conscientiæ, Personæ constituerentur, vi-

ven-

ventes in eadem austeritate, ad quam ea per regulam tenentur. Rogo Paternitatem Vestram, ut id, quod in ejus est potestate, desuper disponat, præsertim, cum PP. Capucini mei Regni, qui illas à me amari noscunt, se se ad id inclinos exhibeant. Plura non scribo, sed Deum, ut Paternitatem Vestram in sua teneat Custodia, precor.

Datum Parisiis 20. *Martii* 1617.

Orig. in Arch. Gen. Ord. Armario *Litteræ Principum*.

Ludovicus.

Fr. Angelo à Jojosa, de Religione nostra ad Ordinem S. Joannis Hierosolymitani translato (seu reassumpto baptismi nomine, Henrico Jojosæo) etiam extra belli tempora, Provinciarum gubernia, ac quoscunque honores acceptandi, ac veste curta, & ense incedendi facultatem largitur, ita tamen, ut manu propria occidat neminem, ac à Sacrorum Ordinum executione abstineat.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecto Filio &c. Henrico de Giojosa.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Superiore anno multis & gravibus causis impulsi Te à Religione Fratrum Minorum Capucinorum ad Ordinem Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani transtulimus, atque, ut inter Sacerdotes ejusdem Hospitalis connumerari, ac solitam professionem emittere posses, concessimus, indulgentes Tibi inter alia, ut bello, ac necessitate durante, Religionem Catholicam, & Provinciam Occitanam defendere, veste corta indui, arma gestare, exercitul præesse, ac ejusdem Provinciæ regimen suscipere, seu continuare, & exercere Tibi liceret; quemadmodum in litteris nostris ea de re die nona Julii anni proximè præteriti continetur. Nunc autem, cum tuo nomine Nobis fuerit expositum, pluribusque documentis, ac testimoniis gravissimis aliunde confirmatum, præsentiam, & operam tuam in ea administratione, quam hactenus exercuisti, adeo esse necessariam, quod, si ab ea removereris, Religio ibi Catholica, his præsertim turbulentia temporibus, maximè periclitaretur: cumque Nobis humiliter propterea supplicaveris, ut quædam Tibi de novo concedere dignaremur, quibus suffultus, ac munitus majori adjumento Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, ac publicæ istarum partium utilitati esse valeres. Nos hanc præcipuam Religionis causam attendentes, & insignium tuorum, Familiæque tuæ erga eandem Religionem meritorum memores, ac firmiter sperantes, nullo Te unquam tempore, tam in ea Provincia, quàm in aliis Regni Franciæ locis, cum tempus & occasio dabitur, eidem Religioni defuturum, sed in tua pietate, virtute, ac solertia, magnum ei paratum semper præsidium fore censentes, precibus tuis, quantùm cum Deo possumus, annuendum duximus. Quod quidem eò etiam libentius facimus, quò magis ad id tuam, ac totius Familiæ dignitatem tuendam, & augendam, pacemque, & quietem populorum stabiliendam pertinere, piorumque votis, ac desideriis consentaneum esse existimamus. Proinde harum auctoritate, & de potestatis Apostolicæ plenitudine, ut etiam extra belli tempora, quarumcumque Provinciarum administrationes, regimina, seu gubernia, Præfecturas, & alios quoscunque honores, ac dignitates sæculares, tam militares, quàm civiles accipere & obire, ac, quò decentiùs, & tutiùs fungi eisdem possis, Tecum, ut vita tua durante, dicta veste curta indutus, & ense accinctus, privatim, & publicè incedere liberè, & licitè possis, & valeas, de speciali dono gratiæ dispensamus, plenamque, & liberam damus & concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac quibuscunque Apostolicis, & in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non omnibus iis, quæ in prioribus litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, ut omnino caveas, sicut aliàs Tibi præcepimus, ne quemquam manu tua, nisi tui ipsius, tuorumve legitima cogente necessitate occidas, nec sententiam sanguinis per Te ipsum feras, sed per ministros tantùm, ac etiam, ut à sacrorum Ordinum executione abstineas.

Da-

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v. Maii MDXCV Pontificatus nostri Anno quarto.

Sylvius Antonianus Secret.

Autograph. in Secret. Brev. ad Principes regesto Mens., & Anni præd. fol. 113.

Ultra indulta jam concessa, eidem Fr. Angelo, (tunc Henrico) fructus bonorum à Parentibus &c. relictorum, seu relinquendorum capiendi, eosque sub ratione dispensatoris distribuendi licentiam concedit.

Dilecto Filio, Henrico de Giojosa, Presbytero Ordinis S. Joannis Hierosolymitani.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

JAM pridem gravissimis de causis Te à Religione Fratrum Minorum, qui Capucini vocantur, in qua tunc eras, ad Ordinem S. Joannis Hierosolymitani transtulimus, Tibique permisimus, ut durante bello, veste curta indui, arma gestare, exercitibus præesse, & Provinciæ Occitanæ regimen, atque administrationem gerere posses. Deinde majoribus gratiis, & favoribus prosequentes habilitavimus Te, ut etiam extra belli tempora quarumcunque Provinciarum administrationes, regimina, seu gubernia, Præfecturas, & quoscunque honores, ac dignitates sæculares, tam militares, quàm civiles obtinere valeres; ac insuper, quò hæc omnia decentiùs, ac convenientiùs perageres, Tecum dispensavimus, ut per omnem vitam cum dicta veste curta & ense, publicè, & privatim incedere Tibi liceret, prout in aliis litteris nostris in forma Brevis desuper confectis latiùs fuit expressum, quarum tenores hîc pro insertis haberi volumus.

Quia verò frustra hæc Tibi concessa fuissent, nisi haberes, unde Te, Familiamque tuam pro loci, & gradûs dignitate alere posses, idcirco æquum, ac necessarium esse duximus, ei rei opportunè providere. Igitur, ut administrationes prædictas, honores, ac dignitates honorificentiùs, & Sanctæ Religioni Catholicæ, Regnoque utiliùs gerere queas, Tecum, ut fructus omnium, & singulorum bonorum Tibi à Parentibus, Agnatis, Cognatis, aut etiam extraneis quibuscunque relictos, vel relinquendos, ad supradictos usus, & effectus capere, & distribuere, tanquam dispensator tantùm, liberè, & licitè possis, & valeas, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium dispensamus, Tibique plenam damus, & concedimus facultatem, non obstantibus dicti Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani Statutis, Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, nec non consuetudinibus, usibus, & naturis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVIII. Septembris MDXCVI. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Sylvius Antonianus.

Excerpt. ex historia Card. Jojosæi gallicè conscripta ab Aubery Advocato &c. fol. 274., qui Breve formatum in Archivo Familiæ Jojosæ conservari in margine memorat.

N O T A.

INtegram præpositis litteris Apostolicis Fr. Angeli vitam subnectere, inutilis laboris opus esse videtur, ita egregiè enim Latino, Gallico, Italico, Germanico, Hispanico &c. idiomate Auctores, in Bibliotheca Scriptorum Ordinis citati, illam posteris commendârunt, ut meritò mihi otium faciant. Fragmenta tamen quædam adjicio, ex forulis Archivi Familiæ Jojosææ excerpta, quæ historiam F. Angeli tantùm elucidant, quantùm à nonnullorum erroribus purgant: adjicio, inquam, Documenta duo, quorum unum rationes sui de Religione ad Sæculum transitûs continet, alterum monumenta ejus de Sæculo ad Religionem regressûs explicat. Primum est, quod sequitur:

Clerus Civitatis, & Diœcesis Tolosanæ, Nobilitas Provinciæ Occitaniæ, & Magistratus populusque prædictæ Civitatis Tolosæ, ad pedes Sanctissimi Domini Clementis VIII. Virum Nobilem expressè ablegant, tum ad exponendas Suæ Sanctitati rationes, quæ ipsos ad remedium extraordinarium P. F. Angeli à Jojosa pro conservatione Religionis Catholicæ, & Sanctæ Unionis Catholicorum in illa Provincia assumendum recurrere compulerunt, tum & ad supplicandum Sanctissimo, quatenus factam ratihabere, & cum F. Angelo dispensare dignetur, ita, ut in defectione, quam ad instantias omnium præfatorum Ordinum, & ex mul-

torum

torum Doctorum, Theologorum, & Canonistarum consilio pro memorata Religione, & sancta unione, ac patria sua suscepit, prosequi possit.

Mors Ducis Jojosæi, Paris & Marechalli Franciæ, & Occitaniæ Gubernatoris, 19. Octob. improvisò, & modo jam percepto secuta, implevit Civitatem Tolosanam, vicinosque Catholicos omnes, primò dolore, & luctu, & dein timore, & desperatione. Dolor in omnibus quasi unus erat, planctus autem varius, prout variæ virtutes, & præclara facta Defuncti, plangentium obversabantur animis: Ille plangebat ob ejus bellicum, generosumque animum, vigilantiam, & agendi promptitudinem, hic ob bonitatem, justitiam, humanitatem, affabilitatem, liberalitatem & vitæ splendorem: Omnes ob pietatem, & zelum Fidei, & Religionis Catholicæ, pro cujus decore, postquam magnam suæ substantiæ partem jam expendisset, tandem & ipsam vitam suam immolasset: Alius loquebatur de variis cladibus, ab ipso Hæreticis inflictis, & stratagematibus contra eos adhibitis; alius de expugnatis locis, quæ expugnari haud posse retroacto tempore videbantur: alius alia facta, & gesta ejus stupenda; alius pia consilia, & heroa ad Provinciam contra Hæreticos eorumque fautores deinceps salvandam recensebat. Multi Eum in ætate florente, antequam tot laborum, & periculorum quietem, aut præmium recepisset, defunctum esse dolebant; alii plorabant de modo, & tempore mortis in terra hæretica, quæ à 25. annis Missam non viderat, & quidem tunc, quando contumaces, quid facerent, nescirent, & ad se reddendos de hora in horam parati essent. Plures altiùs his casibus cogitantes, hujus Mundi inconstantiam, & humanarum rerum vanitatem deplorârunt, alii sortem infelicem tot Fratrum pro Dei causa mortuorum, & Domum Jojosæam, Filiis priùs fœcundam, & abundantem, jam hisce penitus orbam: Domum Jojosæam videlicet, verè pro Sancta Fidei conservatione datam, & natam, cui etiam post Deum, conservatio Religionis Catholicæ, & bonarum legum in Provincia deberetur. Alios afflixit recordatio, quanto dolore Domina Mater debebat esse concussa, dum esset in via, rediens à partibus Parisiorum, & advolans etiam ipsa in succursum causæ Dei. Et hi minus malam reputârunt, quod D. Marechallus Pater, ante octo menses è vivis discesserit, quàm videre casum tantò funestum, & tantam Domûs ruinam.

Planctus diversos pro hoc Domino, & totâ suâ Familiâ sparsos, sequebantur illico prædictus timor, & desperatio, cum jacturam illius Herois, Religionis Catholicæ, & Sanctæ Unionis in Provincia, forsitan, ac consectariò etiam in aliis, ruinam fore timerent. Sicut enim ille fuit in illis partibus Hæreticorum terror, & post Deum propugnaculum, & Asylus Catholicorum, quos omnes in officio, & actione quasi perpetua tenuit, ita illo jam perdito, in vasta illa Provincia non reperiebatur, qui illi in Gubernio, minat in auctoritate, reverentia, & amore Nobilitatis, & populi succedere, insimul viros Catholicos, Civitates, & Communitates in fide solidare, ac hæreticis, qui ex illo successu potentiores, & audaciores facti fuerant, resistere posset.

Nobilitas Catholica, quæ illius Provinciæ, sicut & aliarum in Gallia principalis, & major potentia est, circa unum ex iis ipsis, cui omnes obedirent, convenire non poterat, cum in illa Ditione Domus Catholica, quæ aliis emineat, non reperiatur, & inter illos Nobiles, qui aliis param majores sunt, æmulatio, invidia, diffidentia, & partialitas vigeat. Ex quo, si Nobilitas, & Vires Catholicæ, quæ junctæ erant, dividerentur, sequeretur & periculum, quod inimicus magnam partem ad se esse tracturus.

Nonnullæ Terræ, & Communitates, quæ jam aliàs tum longi dirique belli pertæsæ, tum à gente modicæ devotionis, & fervoris gubernatæ, tum artificiis Politicorum deceptæ titubabant, sine dubio pro parte contraria se declarâssent; aliæ Civitates, quantumvis adhuc Zelantes, & fervidæ, nihilominus scissuris, & inimicitiis intestinis, ob res temporum præteritorum plenæ facilè in seditionem, cum Gubernator Provinciæ non adsit, prolapsæ essent, & præsertim, cum populus paupertate, & summa victualium caritate, quasi toti Ditioni jam incumbente, stimulatus, ob quamcunque aliam modicam causam contra Magistratum, ac Personas magis honoratas seditiosè tumultu surrexisset, & in Civitate Tolosa, Occitaniæ Metropoli, non obstante, quod aliàs omnia meliore ordine ibi regerentur, plebs jam de mittendo Gubernatore particulari illius Civitatis loquebatur, & alii hanc uni, alii alteri Domino committi debere dicebant, ita, ut factiones, & divisiones intus & foris, æmulatio, & ambitio Nobilium, inimicum æquè suâ potentiâ, ac astutiâ instigantium, minarentur funestum Civitatum magis Catholicarum, & magis sanctæ unioni deditarum lapsum in gravissimas molestias, & desolationem, ac tandem in ipsorum hæreticorum manus.

Asciscere Principem Catholicum pro Gubernatore, & expectare, usque dum itineri se accingeret, & intra sex menses veniret, malum præsens, & necessitas urgens, non permisit, cum periculum esset in mora, & remedium nimis longinquum, & incertum. Et quantumvis forte favente Princeps, aut alius Ditionis Dominus, fuisset repertus, nihilominus, usquedum sibi auctoritatem, & Nobilitatis, Civitatum, Communitatum, ac populi fidem & amorem sibi conciliâsset, notabile præterlapsum fuisset tempus, dum interim res Religionis, & sanctæ Unionis cecidissent in ruinam.

Verbo, aliud remedium contra manifestum, & evidens perdendæ Religionis periculum, quod Provinciæ impendebat, non affuisset; nec affuisset modus Nobilitatem, & insimul Terras, ac populum Catholicum in fide conservandi, si Deus Clero, Nobilitati, Magistratui, & populo non inspirâsset, & incitasset ad petendum, ut in hac extrema necessitate R. P. Fr. Angelus, olim Comes Buchagii, & Defuncti Marechalli Frater secundùm carnem germanus, amatus & usque ad stuporem ab omnibus honoratus, de Claustro exiret, & pro conservatione Religionis Catholicæ, ac pro salute tot animarum, & patriæ suæ arma arriperet. Ubi, & apertè ei fuit nunciatum, quod, si huic suo muneri deesset, tum deperditæ Religionis Catholicæ, & tot animarum, tum ruinæ sanctæ unionis, & exaltationis Hæreseos in Provincia semper reus foret. Et quamvis necessitas, quæ legem non habet, fuerit resolutionis ab omni Ordine captæ principalis causa, nihilominus etiam aliæ P. Angeli qualitates concurrebant, ita ut & electio humana etiam partem habuisse videatur. Præterquam enim, quod ipse sit Defuncti Frater, & ea Provincia jam à sexaginta annis justo, prudenti, charitativo, & felici Domûs Jojosæ gubernio obsequi consueverit, Fr. Angelus non fuit similis alteri Religioso, ita ut gladium vibratum nunquam viderit, nec negotia gubernii unquam tractaverit; nam à flore suæ juventutis fuit ille in disciplina militari educatus, &, dum esset Buchagii

Comes. fuit quoque Dux, & Caput Exercituum, & magna prudentia, valore, & felicitate plures honoris actiones explevit. Fuit & Gubernator Andegavensis, Turonis, Menæ, & Perciæ, ac in Aula Christianissimi Henrici III. publicis, & maximi ponderis occupatus negotiis; nec tempore, quo in Monasterio, & inter exercitia spiritualia vixit, potuit tantè diminui armorum, & negotiorum sæcularium experientia. quantò Benedictio, & gratia Dei auctoritatem, reverentiam, fidem, & amorem populi, belli Ducum, & Militum erga eum perfecit, veluti erga peculiaris pietatis, & devotionis Personam, à Deo singulariter dilectam, & cœlestibus favoribus dotatam, sub quâ illi sinistra accidere non posse, nec iis illos oppressiones & violentias, quæ ordinariè à gente militari, & nimis licentiosa, præsertim in bello civili fieri solent, licitas fore arbitrabuntur.

Accedit & alia, quæ pro pluribus aliis valet, ratio, quod de Persona tam pia & devota, quæ pompam, & bona hujus mundi tam parum æstimavit, non possit (prout forsan de alia fieri posset) præsumi, quod vel avaritiâ, vel ambitione, vel alia passione, quàm puro Religionis Catholicæ Zelo ducatur; nec poterit præsumi, quod alium finem, quàm servitium & gloriam respiciat Dei, à quo solo cum ille dependent, nemo mirari debet, eum solum auditâ Ducis Fratris funesta sorte & casu, intrepidum constantemque animum exhibuisse, ita ut & ille solus Dominum Cardinalem Fratrem, Parentes, & Civitatem consolari potuerit.

Præter necessitatem, & recensitas rationes, quæ tres Ordines ad hoc remedium extraordinarium capiendum induxerunt, modus insuper agendi, & procedendi in hoc proposito notandus est. Quantumcunque periculum fuerit gravissimum, & remedium maximè accelerari exegerit, nihil tamen vel præcipitanter, vel tumultuariè actum est, imò omnia cum maturo solidoque consilio 19. Doctorum, Theologorum, & Canonistarum tum Sæcularium, tum Regularium principaliorum Ordinum conciusa fuêre. Hi 21. Octobr. congregati post plurimas rationes, auctoritates, & exempla desuper adducta pronuntiârunt, prædicto Patri Angelo, in periculo tam evidente Religionis Catholicæ, sanctæ unionis, & patriæ suæ perdendæ, arma reassumere, non solùm esse licitum, sed etiam casu, quo Ecclesiam Dei, & sanctam Fidem adjuvare recusaret, mortalis peccati reum fore, seu Religionis, Patriæ, & communis salutis populi Desertorem; Quinimò Eum à Superioribus suis ad id constringi posse, & debere addiderunt.

Et verè hoc unicum remedium fuit avellendi è Monasterio piam hanc devotamque animam, tangendo illius conscientiam, & ante ejus oculos eum peccatum mortale, quo se contaminaret, tum tantam ruinam, cujus foret causa, ponendo. Scitur, quod in anno suæ probationis post conversionem, Christiano Orbi mirabilem, tantæ & tantæ preces, mandata Regis, Reginarum, Patris, Matris, Fratrum, Parentum, Affinium, Amicorum, & innumerabilium aliorum nihil prorsus in eo effecerint: Scitur, quod secutâ eodem anno morte Ducis Jojosæi, Fratris sui primogeniti, & Domini de S. Salvatore, alterius sui Fratris in conflictu de Coutrats, quantumvis adhuc ab omni voto Religionis liber foret, & inter seu Fratres nec unicus, qui Familiam propageret, adesset, nihilominus tam grave accidens, & reflexio ruinæ suæ Domûs operari non potuerint, ut verteret oculos ad mundum, à quo se separaverat. imò spernens, quæ magis conspicua, magisque grata in mundo erant, emisit Professionem, in qua, qualem se gesserit, nullus ignorat. Eapropter ea ipsa causa, quæ tunc eum Monasterium ingredi, & in eo perseverare movit, modò illum induxit, ne se ex eo avelli sineret, videlicet honor, & cultus Dei, fuga peccati, & salus tum animæ suæ, tum Patriæ.

Præter enuntiatum maturum consilium, in omnibus & per omnia ille erga Sanctam Sedem, & Sanctitatem Vestram habebatur respectus, qui Catholicis veris, & Zelantibus competit; peracta enim sunt omnia tum cum spe, quod Sanctitas Sua ea foret ratihabitura, tum cum conditione expressa, ut Nobilis ad Sanctitatem Suam pro necessaria dispensatione ablegaretur, ut nihil nisi sub ejus beneplacito factum intelligeretur. Ita expressè tum à tribus Ordinibus fuit declaratum, quando præfatum remedium extraordinarium concluserunt, tum à Domino Cardinali Jojosæo, quando deliberari permisit, tum à Theologis, & Canonistis deliberantibus, quando ab iis resolutio fuit data, tum à P. Guardiano, quando P. Angelo discedenti benedixit, tum ab ipsimet P. Angelo, quando obedientiam explevit, & se eousque duci permisit. Sique executio præsens, & prompta non fuisset necessaria, à Sanctitate Vestra fuisset exspectata licentia, pro qua jam supplicatur.

Præterquam autem, quod Ordines prædicti necessitatem agnoverint, plures alias rationes habuerint, & cum eo maturo moderamine, eoque respectu, qui veris Catholicis conveniebat, processerint, videtur insuper, quod ipse Deus eos ad hanc electionem, vel requisitionem quasi manu duxerit. In illum ipsum diem, quo Dux Jojosæus mortuus erat, & qui erat dies Lunæ, & 19. Octobris cecidit lectio Breviarii, quâ narratur, qualiter post mortem Judæ Machabæi, amici necesserint Jonatham Fratrem ejus dicentes: ex quo Frater tuus Judas defunctus est, Vir similis ei non est, qui certet contra inimicos nostros. Nunc itaque hodie te eligimus esse pro eo Nobis in Principem, & Ducem ad bellandum bellum nostrum: Et cum deliberatio præfatorum Doctorum 21. Octobris ageretur, lectiones diei sequentis memorabant, qualiter defuncto etiam Jonatha, Simon Frater populo timenti, & trepidanti dixerit. Vos scitis, quanta ego & Fratres mei, & Domus Patris mei fecimus pro legibus, & pro Sanctis prælia, & angustias, quales vidimus. Horum gratiâ perierunt Fratres mei omnes propter Israel, & relictus ego sum solus; & nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis, nec enim melior factus sum Fratribus meis: Et quod populus responderit clamando: Tu es Dux noster loco Judæ, & Jonathæ Fratris tui, pugna prælium nostrum, & omnia, quæcumque nobis dixeris, faciemus.

Quod eò specialiùs fuit annotatum, quò perfectior inter Fratres Machabæos, & Fratres Jojosæos reperiebatur comparatio, cum isti, & illi vitâ functi fuerint pro vera lege, & sancta Fide fortiter dimicantes, & Dux Jojosæus primogenitus cum Domino à S. Salvatore suo Fratre pariter miseram hanc vitam 1587. finiverint mense Octob., in quem Lectiones Machabæorum, & quidem eo quasi die cadebant. Secundò. Clerus, qui primus ad talem requisitionem inspiratus fuerat, eo ipso tempore ex tota Diœcesi Tolosæ congregatus erat ad celebrandam Synodum, intimatam, & incipientem 20. Octobris, die videlicet post mortem Ducis, & ipsâ deliberationis prædictæ vigiliâ. Tertiò. Nobiles extra Tolosam in diversis locis degentes, advolârunt omnes cum eadem intentione petendi pro suo Duce Generali memoratum Pr. Angelum, quin unus quid de altero, aut Nobilis de Clero quid scirent. Ex quo creditum fuit, quod esset inspiratio omnibus

bus à Deo eodem tempore facta. Quartò. Concionator quidam, dum eo ipso nuntiatæ mortis die, Civitatem solabatur, & de P. Angelo nihil adhuc sparsum erat, inter alia dixit, quod homine, qui exercitui Catholico præesse posset, non extante, Deus omnipotens & misericors potius pro capite, & Duce daturus sit Angelum, quàm quod causa ejus sit mansura absque defensione; quod postmodum ceu propheticum Oraculum fuit habitum, præsertim cum P. Concionator, quid cum P. Angelo foret, nec sciret, nec cogitaret. Quintò. Paucis diebus ante infelicem casum, P. Angelus electus fuerat Guardianus Conventus Arelatensis in Provincia, & pluries illuc se conferre voluit, semper autem fuit impeditus, modò ab hac, modò ab altera causa, ita ut postmodum creditum fuerit, ex Divinæ Providentiæ consilio eum non discessisse, imò Tolosæ moras usque ad Fraternæ mortis notitiam prolongasse, quatenus citius Religioni, Sanctæ Unioni, & afflictæ Patriæ succurrere posset.

Concursus quoque Cleri, Nobilitatis, & Magistratus, qui post Congregationis resolutionem cum ipsa Congregatione unitim ad prædictam resolutionem Fr. Angelo patefaciendam, ac eum de Monasterio educendum cum innumerabili accurrentis populi multitudine accesserunt; continuæ populi acclamationes, solatium, & gaudium, non solùm in Civitate Tolosana, sed etiam in aliis terris Catholicis personans, teneri debent ceu vera divinæ voluntatis signa: præsertim autem tale est felix, qui subsecutus est, rerum exitus, nam hâc resolutione fuerunt firmati bonorum animi, desperatio conversa fuit in firmam spem, & omnibus, quod defunctus Dux, aliquo modo fuerit resuscitatus, visum fuit. Nulla Civitas, aut locus se ab unione separavit: Nullus Capitaneus, aut Miles stationem deseruit; omnes per Dei gratiam in fide, & officio constantes permansêre. Inimicus, qui obsidione Fortalitium Tolosæ vicinum cum proposito majoris postmodum tentaminis arctaverat, Catholicorum resolutionem vix inaudiit, ab obsidione destitit, & tentandæ novæ fortis animum non habens, abiit hinc inde in viam dispersionis, ita quidem, ut illo excepto, quod die conflictûs suum acquisivit, aliud lucrum de infortunio nostro non habuerit.

Hæc omnia Dei gratiæ sunt, pietati, & devotioni Religiosi hujus Ducis (ut credere licet) concessæ, qui & media, quæ prudentia humana adhibere solet, non neglexit; illico enim ac Gubernator fuit proclamatus, principaliora Civitatis loca invisit, & ea, quæ necessitas inspiravit, ordinavit; scripsit & misit Nobiles celeresque Cursores ad alias Civitates, Communitates, & ad harum Gubernatores: munivit milite loca, quæ hoc indigebant, omnesque provisiones, quas tempus, & rerum status requisivit, dictavit: Sæpius de Civitate Metropolitana personaliter se contulit ad alias; Status Provinciæ congregavit in Civitate Carcassonæ, Civitate à defuncto Duce capta, in qua P. Angelus tempore, quo Nobilis Orator ad Sanct. suam à tribus Ordinibus ablegatus, Romam iter assumpsit, morabatur.

Jam verò unicè petitur, ut eadem rationes, quæ præfatos Ordines ad præfatam pariter resolutionem capiendam impulerunt, moveant & Sanctitatem Suam ad eam ratihabendam, & ad licentiam in ea persistendi concedendam. Supplicaturque humillimè, & instantissimè Sanctitati Suæ pro parte enuntiatorum Ordinum, & pro ratione Zeli, quo conservationem Religionis Catholicæ, & Sedis Apostolicæ auctoritatem cupit, ut, quod actum, approbet, &, quod futurum est, dispenset. Ex quo, quantùm necessitati providebitur, tantùm illius Provinciæ consolationi, & incremento sui Zeli & devotionis consuletur, quæ & inde ad preces pro salute, & prosperitate Suæ Sanctitatis Deo porrigendas specialiter obligata manebit.

Feliciter Provinciam militarem explevit Fr. Angelus, & dum triumpho hæreticorum frænum injecit, pacem Occitaniæ reddidit. Ex quo Rex Henricus IV. cum non solùm hujus Proregem constituit, sed & Paris & Marechalli Franciæ honore, & titulis condecoravit. In his autem multùm fumi, parumque vel nihil lucis, & veritatis esse palpans, pensansque cum Divo Anselmo, *quod, quantalibet mundi gloria quis potitus foret,* respicere deberet, *quis sit finis, & in fine quis fructus, quod præmium, & econtra, quæ sit expectatio mundi gloriam conculcantium*; denuo Sacco pœnitentiæ se vestire heroo animo conclusit, ac anno 1599. ad Capucinam Stationem rediit, relictâ supra mensam secretioris cubilis sui formâ testamenti, dato famulatui suo strictiore ordine, portam cubilis, usquedum de ejus Persona nova non personarent, non aperiendi, & missa per nobilem Virum ad Henricum, Ducem Montispenserii, generum suum epistolâ, quâ rationes repetitæ suæ resolutionis ei exposuit, ac valedixit, quæque fuit tenoris sequentis:

CELSISSIME DOMINE.

Anno elapso dignatus est Deus tangere cor meum, aperire oculos meos, & statum periculosum, in quo per eum, quem ducebam, vivendi modum versabar, & versor in eo persistens, qui sum Religiosus Professus, & Sacerdos, cujus character deleri non potest. Et quantumvis Summus Pontifex me Habitu meæ Professionis relicto, in obsequium Dei, & Ecclesiæ ad Sæculum redire voluerit, meque ad honores, & dignitates Sæculares habilitaverit, nihilominus, dum intra me attentiùs gradior, & considero, Sanctissimi Patris intentionem tempore dispensationis in id, quod ipsi de necessitate, quæ verè tunc pro Dei honore, & Ecclesiæ bono maxima erat, unicè cecidisse, timui, ne jam præteritâ necessitate, quæ sola Apostolicæ dispensationi juncta, me de meo Monasterio avellere potuit, Deus, qui falli non potest, & qui scrutator cordium est, profunda nostrarum cogitationum penetrat, & cui secreta nostrarum intentionum non possunt esse abscondita, severè me puniret, si diutius in statu, in quo ab aliquot annis vixi, permanerem. Permittit mihi quidem dispensatio in Habitu Sæculari vivere in Mundo, longiore tamen tempore vitam hujusmodi à me continuari debere, inde non concluditur, non enim omnia illa, quæ permissa sunt, semper expediunt, præsertim si non ædificent. Id, quod mihi permissum est, non expedit, & quamvis agens, quod mihi fuit permissum, absolutè non periclitor, periclitarer tamen ex eo, quod alium me esse pro salute animæ meæ, & ædificatione proximi, magis sit necessarium. Benedictus sit Deus, Pater misericordiarum, qui, dum anno elapso (prout Celsitudini Vestræ jam retuli) lumen cognoscendi debiti mei dedit, jam vires, & animum dat illud exequendi. Carni & Sanguini nimium me dedisse, diffiteri non possum, dum Cardinali Celsit. Vestram desuper loqui rogavi, & ab Eo id non ratihaberi percepi: potentiore jam gratia suffultus audacter dicere possum, me ex sola Dei bonitate, & speciali ejus misericordia, non verò ex me, qui aliud quàm peccare non possum, de insidiis Diaboli, & Mundi triumphare; scio enim, à me rem agi humanæ prudentiæ regulis penitus alienam & contrariam, ac humano modo, & secundùm mundi cursum loquendo plures rationes mihi objici possent, specioso prætextu ad me persuadendum non carentes,

ni S. Paulus me erudiret, quod prudentia hujus mundi stultitia sit apud Deum, & quæ stulta sunt coram hominibus, sapientia coram sua Divina Majestate habeatur. Ad vincendam carnem, & sanguinem in memoriam revocavi sententiam, cujus in prima mea conversione sæpius memini, quam ex S. Hieronymi epistola ad Constantium (ni fallor) scriptu extraxi, & qua Religionis ingressum ei ita suadebat: licet in limine jaceat Pater, & scissia vestibus ubera, quibus te nutriverat, Mater ostendat, per calcatam Matrem, perque Patrem siccis oculis ad vexillum crucis evola; solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. *Diabolus cum omni suggestione & obice, quibus me obruere, & implicare studuit, victus est, cum verè me ad illum conterendum resolverim, illius, quod Dominus docuit, reminiscens,* quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Persuasus etiam sum, facilè à Celsitudine Vestra credi, nihil à me factum, quod facere non debuerim, præsertim si, qui nos simus, & qui Deus sit, recogitemus. Et si quis inferior, Celsitudini Vestræ quid promisisset, nonne id ab illo expleri cuperet, &, si contrarium ageret, nonne in malam interpretaretur partem? Nonne potiore ratione factum Dei in facie Ecclesiæ solemne votum, & promissum, toto vitæ meæ tempore in observantia illius Regulæ, ad quam me voto obstrinxi, permanendi, inviolabiliter servare debeo? Huic meo debito si deessem, justi à me exactam severamque rationem Deus in die judicii exigeret. Brevis est vita præsens, & sicut sumus pertransit; alia autem æterna est, & sine fine, ubi vel præmium vel pœnam, non nisi secundùm opera in illa facta, colligemus.

Hæc omnia, si Celsitudinem Vestram non moveant, meminisse rogo, me esse mortuum, prout quotidie ob infinita misera hujus vitæ accidentia & casus, quorum quotidiana exempla fidem nostram firmant, evenire potest. In hoc autem (Benedictus sit Deus) est disparitas, quod, si in statu, in quo jam per tempus vixi, mortuus forem, in æternæ damnationis periculo extitissem. Quod cum non acciderit, gratiam à Deo spero in hoc mundo pro meis peccatis pœnitentiam agendi. Quod cum absolutè statuerim, & ad id statuendum me obligatum cognoverim, id facere consultius duxi, quàm dicere. Omnia etiam, quæ in contrarium mihi fuêre allegata, non nisi verba perdita, in quibus offensa Dei latebat, fuerunt. Rogo inde Celsitudinem Vestram, ut, quod actum est, malè non interpretur, credatque, quod, quamdiu vixero, aut qui ero, Deum precaturus sim, ut Cels. Vestram in hoc mundo suarum gratiarum abundantia repleat, & post longos annos in Cœlo gloria sua vestiat.

Humillimus, & Obsequentissimus Servus
Jojosæus.

Qua militari peritia Fr. Angelus in castris inimicos contrivit, eâ Apostolica virtute in Claustro, & in Pulpito peccatores ad pœnitentiam direxit, quod Spondanus Tom. 2. continuat. Annalium Baronii ad annum 1599. hisce commendat verbis: *Hoc anno Henricus Joyosa, quem olim vidimus è Duce Capucinum, & è Capucino Marechallum Franciæ factum, rursus mundi curarum pertæsus, cilicium Lutetiæ mense Martio reassumpsit, & munus Concionatoris suscipiens magnam sui admirationem concitavit, stupentibus omnibus, hominem in Aula longè à libris educatum (non nisi, quod litterarum humaniorum rudimenta puer in Collegio Navarræ didicerat) tam citò, & doctum, & eloquentem Ecclesiasten evasisse. Quod quidem donum à Deo ei præstitum est, qui rectam ejus voluntatem intuens, replevit eum donis Spiritûs Sancti in sui consolationem, & aliorum ædificationem, dans ei Sapientiam & Intellectum ad cognoscendas Mundi fallacias, consilium ad majorum charismatum æmulationem, fortitudinem ad perrumpenda omnia obstacula, scientiam ad comprehendenda Divina Mysteria, & populis unà cum pietate explicanda: denique timorem Dei, quo in humilitate contineretur, ac cum metu & tremore salutem, & suam, & proximi operaretur. In quorum donorum cultu, & exercitio cum multo labore, grandique patientia usque ad obitum per plures annos desudavit.*

Postquam Angelus in regressu Româ ad Provinciam Parisiensem in Oppido Ripoli, duabus leucis Taurino dissito, viam ætatis, & annorum suorum 46. explevisset, fuit cadaver plumbeo loculo inclusum Parisios translatum, & ante Altare Majus Ecclesiæ Conventûs nostri Sancti Honorati humatum, apposito à Filia Ducissa subjuncto Epitaphio:

Hoc tumulo condita sunt Ossa
R. P. Angeli de Joyosa, olim Ducis,
Paris, Conestabilis Franciæ, & in Provincia
Occitaniæ Proregis,
Qui in ipso ætatis flore, ut totum se
Christo addiceret,
Tot honores, & opes abjecit,
Et Ordinem Capucinorum ingressus
In eo reliquum vitæ transegit
Singularis pietatis, & humilitatis exemplo,
In quo tandem obiit, cum pro secunda vice
Esset Provincialis Provinciæ Franciæ
Et Definitor Capituli Generalis
Anno Christi 1608. quarto Kalendas Octobris
Henrica Catharina, Henrici Montispenserii Ducis Vidua
Patri charissimo mœrens posuit.

Mo-

Monasterium Monialium Capucinarum, aliàs ex dispositione Ludovicæ, Franciæ Reginæ &c. in Civitate Bituricensi ædificandum, ad instantias Henrici Regis &c. in Civitate Parisiensi, sub omnimoda Ordinis obedientia construi concedit; cadaver ejusdem Reginæ ex Ecclesia Monasterii Monialium S. Claræ loci de Molinis ad Ecclesiam Monasterii noviter extructi, nec non Moniales ex quocunque Franciæ Monasterio ad arbitrium Mariæ à Luxemburgo, ad hujus directionem transportari indulget; ac Capellanos, Confessarios, ac Visitatores ordinarios à Patre Ministro Generali eligi mandat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Debitum Pastoralis Officii Nobis ex alto commissi requirit, & Nos ad id promptos excitat, ut ad ea, per quæ Monasteria, & alia Religiosa loca incrementum suscipere, ac in eis prudentes Virgines, ac aliæ honestæ mulieres spretis hujus infelicis Sæculi illecebris sub suavi Religionis jugo, ac debita clausura Altissimo famulari, suique sexûs fragilitatem effugere, & æternam Beatitudinem consectari valeant, ac exiode flores honoris, & fructus honestatis, Regularisque vitæ propagatio proveniant, libenter intendamus, & in his ejusdem Officii nostri partes favorabiliter interponamus, pias testantium voluntates, quæ aliàs ad destinatum effectum perduci nequeunt, interdum commutando, prout Catholicorum Regum, ac etiam voluntatum hujusmodi Executorum vota, & rationabiles causæ exposcunt, personarumque, & locorum qualitatibus & circumstantiis debitè pensatis, id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sanè charissimus in Christo Filius noster Henricus, Francorum & Navarræ Rex, & charissima in Christo Filia, Maria, eorundem Francorum, & Navarræ Regina, Conjuges christianissimi, tam suo, quàm Venerabilis Fratris Nostri, Henrici, Episcopi Verdunensis, & dilectorum Filiorum aliorum Executorum Testamenti, claræ memoriæ Ludovicæ, olim Reginæ Franciæ, nec non dilectæ etiam Nobis in Christo Filiæ, Nobilis Mulieris Mariæ de Luxemburgo, relictæ quondam Philippi Emmanuelis de Lotharingia, Mercurii Ducis, nominibus Nobis nuper exponi fecerunt, quod aliàs dicta Ludovica Regina, tunc in humanis agens, & terrena in cœlestia, ac transitoria in æterna bona felici commercio ad laudem, & gloriam præpotentis Dei, Regum Regis, ac omnium bonorum largitoris optimi, piorumque operum augmentum commutare desiderans, in suo testamento, sub cujus dispositione ab hac luce migravit, unum Monasterium Monialium Capucinarum nuncupandarum, sub instituto Ordinis Fratrum, Capucinorum etiam nuncupatorum S. Francisci, in Civitate Bituricensi, & situ, in ea per præfatum Philippum Emmanuelem ejus Fratrem germanum, quem tunc in humanis agentem hæredem sibi universalem instituerat, ac dictum Henricum Episcopum, similiter ejus Fratrem, & alios Executores prædictos eligendo, extrui, & fabricari mandavit, ac viginti mille scuta à Philippo Emmanuele Duce, & Hærede, ac Maria prædicta, quos Dominij de Bousfay, seu Feudi usufructuarios, vita eorum durante cum onere hujusmodi reliquit persolvendo, ex quibus quinque mille, videlicet, in fabricam ipsius Monasterii; reliqua verò scuta hujusmodi in emptionem bonorum, & redditnum pro ejus dote, ac Monialium in illo pro tempore existentium sustentatione erogari deberent, legavit. Corpus autem suum ex Ecclesia Monasterii Monialium Sanctæ Claræ Oppidi de Molins, Ordinis ejusdem S. Claræ, Nivernienfis Diœcesis, ubi ex illius dispositione, & voluntate depositum est, ad Ecclesiam prædicti Monasterii, postquam sic extructum foret, ibi sepeliendum, transferri jussit, & aliàs, prout in dicto testamento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicta Civitas in suo ambitu exigua, & angusta, ac pluribus aliis Mendicantium Ordinum, tam Virorum, quàm mulierum Monasteriis gravata sit, & si Monasterium Capucinarum hujusmodi, quod juxta regularia Instituta primò dicti Ordinis dotari non potest, sed ex piorum eleemosynis sustentari debet, tot aliis addatur, spes nulla extat, ut in dicta Civitate ea eleemosynarum quantitas, quæ ad illius manutentionem sufficiat, commodè colligi possit, vel debeat; In Civitate verò Parisiensi, totius Regni Franciæ celeberrima, & populatissima nullum Monasterium Monialium Capucinarum hujusmodi reperiatur, & quamplures Virgines ejusdem Civitatis Parisiensis, Deo Optimo Maximo in humilitate spiritûs, & candore virginitatis sub suavi Religionis jugo famulari intendentes, Institutum ipsarum

rum Monialium Capucinarum præ cæteris omnibus, ſingulari pietatis ſtudio profiteri, amplectique deſiderent, & tam Henricus Epiſcopus, aliique Eaecutores teſtamentarii, quam Maria prædicta, id piè attendentes, optimum fore judicaverint, prædictum Mouaſterium in ipſa Civitate Pariſienſi, ubi Regum Chriſtianiſſimorum munificeotiâ, ac Virorum Principum, ac aliorum totius prædicti Regni Procerum, & Magnatum ad eam paſſim confluentium liberalitate, nec non piis illius Civitatis eleemoſynis commodè manuteneri poterit, erogatâ etiam in illius fabricam dictorum viginti millium ſcutorum ſummâ, qua pro ejus dotatione opus non eſt, exſtrui, ac Corpus dictæ Ludovicæ Reginæ, ex dicto Monaſterio S. Claræ ad Eccleſiam conſtruendi Monaſterii hujuſmodi transferri, ibidem recondi facere, & dictus Henricus Rex, re diligenter, & maturè diſcuſſâ, idem ex ſententia, & voto Supremi Senatûs Pariſienſis faciendum eſſe cenſuerit; Et propterea ipſe, dictaque Maria Regina, nominibus prædictis, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum votis in hac parte annuere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Religionis propagationem noſtris potiſſimum temporibus ſinceris deſideramus affectibus, Henricum Epiſcopum, & alios Executores, ac Mariam prædictos, eorumque ſingulos, à quibuſvis excommunicationis, &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, nec non Teſtamenti prædicti, ac inde ſecutorum quorumcumque tenores, præſentibus pro expreſſis, & totaliter inſertis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Henrico Epiſcopo, aliiſque Executoribus, & Mariæ, in dicta Civitate Pariſienſi, ac ſitu ad id convenienti, & opportuno per eos eligendo, primò dictum Monaſterium ſub invocatione eis bene viſa, cum Eccleſia, Campanili humili, Campanis, Clauſtro, Refectorio, Dormitorio, Cœmeterio, area, Cellis, horto, hortalitiis, aliiſque ſolitis Officinis, ac membris neceſſariis, & opportunis, ex dicta ſumma viginti millium ſcutorum extrui faciendi, plenam, liberam, & abſolutam licentiam, & facultatem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium tribuimus, & impartimur, ipſumque Monaſterium ſic conſtruendum, poſtquam conſtructum, & debita clauſura munitum fuerit, ex nunc, & prout ex tunc, & econtra in Monaſterium Monialium Capucinarum prædicti Ordinis pro una Abbatiſſa, ac competenti, & non minore duodecim, nec majore quinquaginta numero Monialium, quæ Habitum per alias Moniales Capucinas nuncupatas prædicti Ordinis geſtari ſolitum, ſuſcipere, ac profeſſionem regularem per eas emitti conſuetam emittere, nec non perpetuam clauſuram, &, quoad fieri poterit, ritus, mores, & conſuetudines, ac regularia Inſtituta ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum ſervare, diviniſque Officiis, & laudibus inſiſtere, ac ſub obedientia, viſitatione, correctione, ſubjectione, & omnimoda ſuperioritate, nunc, & pro tempore exiſtentium ſuperiorum Ordinis prædicti ad inſtar Monialium Capucinarum aliorum Monaſteriorum in Urbe, & Civitate Neapolitana inſtitutorum, vivere debeant, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus; illique ſic erecto, & inſtituto, ac illius Abbatiſſæ, Monialibus, & aliis Perſonis, nec non Eccleſiæ ejuſdem, & Chriſtifidelibus eam pro tempore viſitantibus, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, cæteriſque gratiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus quibuſvis aliis Monaſteriis Monialium Capucinarum nuncupatarum primò dicti Ordinis, illorumque Abbatiſſis, Monialibus, Perſonis, Chriſtifidelibus eaſdem Eccleſias viſitantibus, in genere, vel in ſpecie, etiam per viam ſimplicis communicationis, ac aliàs quomodolibet conceſſis, & pro tempore concedendis, ac, quibus illa, vel illæ de jure, uſu, privilegio, conſuetudine, ac aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & pariformiter, ac ſine ulla prorſus differentia uti, frui potiri, & gaudere, nec non Capellanos, & Confeſſarios idoneos ex eodem Ordine Fratrum Minorum Capucinorum à Capitulo Generali ad id pro tempore deputandos, qui in Eccleſia dicti Monaſterii per præſentes erecti, Miſſas, ac alia divina Officia celebrent, ac illis in divinis deſerviant, ipſaſque Abbatiſſam, & Moniales, ac earum ſingulas in ſuis Confeſſionibus audiant, illiſque Sacramenta Eccleſiæ miniſtrent, habere; Nec non Henrico Epiſcopo, aliiſque Executoribus, & Mariæ prædictis corpus prædictæ Ludovicæ Reginæ ex dicto Monaſterio S. Claræ, abſque cujuſvis licentia, vel conſenſu, ad Monaſterium per præſentes prædictum, ſeu illius Eccleſiam, poſtquam conſtructum, ſeu conſtructa fuerit, ut præfertur, transferri, illudque ibi condi facere: nec non quæcumque ſtatuta, ordinationes, Capitula, & decreta, ad ejuſdem Monaſterii per præſentes erecti, illiuſque perſonarum, & rerum curam, regimen, gubernium, directionem,

& ad-

& administrationem, dictarum Monialium receptionem, admissionem, ætatem, qualitates, victum, amictum, instructionem, & disciplinam pertinentia, ac aliàs utilia, & necessaria, licita tamen, & honesta, ac sacris Canonibus, decretisque Concilii Tridentini, & institutis regularibus prædicti Ordinis non contraria, Superioribus tamen prædictis pro tempore existentibus examinanda, & approbanda, facere & edere, ac quoties pro rerum, & temporum qualitate, seu aliàs expediens videbitur, cum interventu, seu prævio examine, & approbatione eorumdem Superiorum illa commutare, corrigere, moderari, reformare, ac etiam alia ex integro condere:

Præterea pro Monialium in dicto Monasterio per præsentes erecto introducendarum prospera directione, ac in ritu, moribus, & regularibus institutis instructione, duas vel tres Moniales ad id voluntarias, ex quibuscumque Monasteriis Monialium Regni Franciæ, dictæ Mariæ bene visas, seu gratas, ac per eam eligendas, hac prima vice dumtaxat, Superiorum suorum licentia assumere, ipsæque Moniales sic electæ, & assumptæ ad dictum Monasterium per præsentes erectum se transferre, etsi diversi Ordinis fuerint, ritibus, & institutis, aliisque omnibus, & singulis obligationibus prædicti Ordinis se conformare, ac ibi perpetuò, vel ad tempus ipsis Superioribus benevisum, ita ut interim ab omni, & quacumque observatione prioris earum Regulæ penitus, & omnino liberæ, & absolutæ sint, permanere liberè, & licitè possint, & valeant, ipsisque Monialibus sic transferendis, Abbatissæ, & Vicariæ officia distribui debeant. Hæ tamen nequeant ibidem recipi ad satisfactionem, & sine consensu Superiorum dicti Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, & illis non approbantibus, nihilominus in ipso Monasterio per præsentes erecto, ad Habitum, & Novitiæ ad professionem Monialium Capucinarum hujusmodi admitti possint, perinde, ac si antedictæ tres Moniales essent ibidem introductæ, & cætera omnia, tam per præsentes concessa, quàm in posterum concedenda, ac statuta etiam condenda ad formam dicti Concilii concessa intelligantur, eisdem auctoritate, & tenore concedimus, & indulgemus, dictæque Ludovicæ Reginæ voluntatem quoad præmissa omnia & singula auctoritate, & tenore similibus, sufficienter, & opportunè commutamus.

Decernentes ultra Cappellanos, & Confessarios prædictos, etiam Visitatores ordinarios, sive extraordinarios dicti Monasterii per præsentes erecti, in quolibet Capitulo Generali ejusdem Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, seu extra illud, quoties opus fuerit, à Ministro Generali eligendos esse, ac præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel causa, quantumvis legitima, & juridica de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam revocari, ad viam, & terminos juris reduci, aut desuper quomodolibet bæsitari, ac adversus illa quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, vel alios Romanos Pontifices, Successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore factis comprehendi, sed tanquam pro fundatione dicti Monasterii per præsentes ad Religionis, divinique cultûs, ac piorum operum augmentum concessa, semper ab illis excepta, &, quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita, & plenariè reintegrata, ac de novo etiam sub posteriore Datâ, per Abbatissam & Moniales pro tempore existentes prædictas, quandocunque eligenda, concessa esse, & fore, suumque plenarium effectum sortiri. Sicque per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, quidquid super his à quocumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus voluntate dictæ Ludovicæ Reginæ, & aliis præmissis, ac Apostolicis, atque in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, vel ordinationibus, ac Monasteriorum, & Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu proprio, scientia, & potestatis plenitudine, similibus, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis,

ap-

approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas Generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresiè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, tributionis, impartitionis, erectionis, institutionis, concessionis, indulti, commutationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo tertio, Idibus Septembris, Pontificatûs nostri anno duodecimo.

Exempl. Auth. in Archivo Monialium.

N O T A.

LUdovica à Lotharingia, Franciæ & Poloniæ Regina, postquam tempore Regii Connubii scintillantem in corde divinarum rerum amorem sub violentæ vanitatis apparatu occuluisset, ac confuso affectu, & studio, opera pietatis cum aulæ splendore commiscuisset, alienæ voluntati consultura; in diebus suæ viduitatis aperto tædio mundani fastûs abiecit figuram, avocatasque à terris cogitationes plenâ libertate cœlo intulit; hinc non solùm Monasterium Monialium sub strictioris regulæ lege construere, sed etiam semetipsam, ceu simplicem Monialem in illo Deo sacrare statuit, gloriosum exemplum paternæ suæ Avæ, Philippæ à Geldria, Reginæ Siciliæ &c., quæ sub Monastico S. Claræ velo in Civitate Mussiponti Regium frontis jubar abscondit, & avitam nobilitatem virtute longè superavit, sectatura. Impedivit operis effectum enata ex Henrici III. Regis, & Conjugis sui morte, intestini belli confusio, quæ Galliam totam ferali facie confuscavit; Restitutâ autem per Henricum IV. tranquillæ pacis charitiâ, piissima Regina, tum in Curiis Romanis, tum in Aula Regia pro obtinenda facultate Monasterium Capucinarum, quas tum Romæ, tum in Civitate Parthenopensium, primævam S. Claræ Regulæ observantiam cum præscripto vitæ, Habitûsque rigore assumpsisse intellexerat, construendi omnem movit lapidem, Civitatemque Bituricensem, quæ sui dotalis juris erat, consilii sui metam, & locum fixit. Hoc tamen complere non potuit, morte, in cujus vigilia visibili Angeli sui Custodis consortio frui meruit, prævente. Antequam tamen obiret, Philippo Emmanueli à Lotharingia, S. R. I. Principi, Duci Mercurii, Fratri suo secundùm carnem Germano, unicoque suo hæredi viginti millia scutorum in fabricam Monasterii converti, ejus Cadaver in Ecclesia Monialium sepelliri, basque à Capucinis Gallis ad usum Capucinarum Romæ &c. gubernari per tabulas testamenti commisit. Exaltabant eâ tempestate Cæsarea in Hungaria Castra bellicam prudentiam, quâ Philippua Ibrabami potentiæ ad propugnaculum Canischæ illusit, & Albam-Regiam Rudolphi Imperatoris potestati subjecit, confudit autem inopinò vocem laudis feralis lessus, quo Philippo in suo ad curanda Domûs negotia reditu, Norimbergæ anno 1602. vitâ functo tristis parentavit. Duplex Reginæ, & Conjugis jactura Mariam Ducissam à Luxemburgo amplè quidem afflixit, adorans tamen in spiritu Dei consilia, Franciscæ Filiæ unicæ, ac utriusque excelsæ Familiæ hæredis tutelam, necnon curam fabricæ Monasterii in se heroo suscepit animo. Hanc non amplius Biturici, sed in ipso Parisiorum Emporio construi voluit, æquum rata, ut prima Monialium Capucinarum in Gallia fundatio, in prima hujus Civitate exsurgeret; capropter ultimam Reginæ Ludovicæ voluntatem commutari, tum Regis Henrici IV., tum Reginæ Mariæ de Medicis litteris fota, Romæ sollicitavit. Correspondit ex integro Ducissæ votis Papa Clemens VIII., inde & morâ non interjectâ fabricæ situm quæsivit; cumque Palatium de Retz, alias *de Perron* vocatum, opportunum audivisset, utpote à Palatio suo parum dissitum, & Fratrum nostrorum Conventui vicinum, illud à Cardinale Gondi, & Nepote ejus Episcopo Parisiensi, ceu proprietariis, pro ea, quâ uterque in novi operis propositum propendebant, pietate, facili negotio, mediaque Marchionissa de Maignelay, Cardinalis Nepte, & Episcopi Sorore, impetravit. Zelus, quo Maria in Domum Dei exarsit, ædificium illicò inchoari, affectus autem, quo Sponsas Christi in eo concludendas, congruo commodo frui voluit, illud spatiosum, & horto conclusum suasit; hinc ultra legatam à Regina summam, de sua, Filiæque substantia, tum pro sacra, & profana supellectile, tum pro Fratrum Tertiariorum Monasterio famulantium domicilio amplissimum æs convertit. Quod & Summum Pontificem Paulum V. movit, ut Ludovicam Reginam, Mariam Ducissam, & Franciscam Filiam, sub uno, eodemque Fundatricis titulo in suis complecteretur litteris. Difficultates, quæ piorum operum progressum plerumque ex Erebi invidia comitantur, & quæ fabricæ moram ingerebant, Maria virili animo vicit, ita, ut Gorgoniam, quam *fœmixam, naturam virilem superâsse* Nazianzenus Orator in funebri ejus encomio retulit, in Maria Ducissa restitutam, seu redivivam credere quis deberet. Itaque sollicito labore dum fabrica materialis ducebatur in altum, Ducissa de spirituali, & interno ædificio cogitare, & cum Patribus Provinciæ Parisiensis, quos diu renitentes Pontificia jussa ad suscipiendi regiminis consensum tandem flexerunt, agere cœpit. Congestis pluries inter se consiliis, Puellas ad Sacrum Habitum seligi conclusum fuit; dum autem harum numerus ad centenas excreverat, non nisi duodecim illarum exaltârunt Dominum, quoniam erant in memoriam Apostolici Collegii ex duodenario numero completi, pro illa vice susceptæ, aliis ad spem alterius temporis remissis, & dimissis. Fervor primarum ne usque ad fabricæ terminum ex sæculi consortio tepesceret, eas in congregationem uniri, & Habitu Capucino indutas, in alio in Suburbio Sancti Antonii sito Ducissæ Palatio, *la Rochette* nuncupato, in vitæ Regularis rudimentis exerceri statutum est. Conversum illico fuit

Pa-

Palatium in similitudinem templi, iu quo nova D. Francisci Proles se bostiam viveutem; Sanctam, & Deo placentem, tum exemplo Ducissæ Mariæ, tum Matris ejus, Ducissæ de Martigues, ac Filiæ Francilcæ exemplo, tum sacris Fratrum nostrorum colloquiis instructa exhibuit, ita, ut odor Religiosæ suavitatis undequaque diffusa, in pluribus etiam primæ conditionis personis, sanctam curiositatem accenderet raræ virtutis exempla oculari voluptate videndi, & admirandi. Declinante postmodum ad finem fabricâ, & habitatione aptatâ, eductæ fuère prudentes Virgiues ex sacro Domicilio, & Comite Ducissâ Mariâ in Rhedis anno 1606. primò ad hujus Palatium in Urbe, & ex hoc postmodum, Processioue ordinatâ, sub immensi populi accursu ad novi Mouasterii Ecclesiam conductæ, ubi Cardinalis de Gondi cum suo Nepote Episcopo Parisiensi, eas excepit, & spinels Corouis in memoriam Domiuicæ Passionis, cujus Filias se nominare deberent, redimitas, longâ solemnique cærimonia peractâ sacris inclusit muris. In his postero die Regina, quæ ob confusum populi tumultum die antecedente adesse uoluit, Virgineum cœtum invisit, & tum Religiosæ modestiæ decorem, tum spiritualis lætitiæ charismata mirata, conductam secum Illustris Familiæ Filiam, quam Mariam Franciscam, iu utriusque Confundatricis honorem, vocari voluit, Novitiam reliquit. Transacto habitationis, & novæ probationis anno omnes solemnia vota Deo uuncupârunt, & Superiorissæ, quam Fratres nostri pro suo arbitrio, & designârunt, & mutâruut, obediverunt. Receptis autem anno 1618., quas Roma amplas condidit, coustitutionibus, tum Abbatissa, tum aliæ Officiales pec electionem, quæ adhuc quolibet triennio fieci solet, fuère constitutæ. Non nisi usque ad auuum 1688. primæ hujus habitationis mansionem virtute sua decorâruut; eam enim ob Edictum, quo plateam S. Honorati Ludovicus XIV. in Civitatis ornatum ampliari decrevit, penitus destrui, necessum fuit. Compensata est autem jactura celebri, regiisque expensis *in platea triumphi*, extructo Monastecio ad quod etiam more sacri triumphi, prælato processioni S. Ovidii Martyris Corpore, de quo uberioc restat relatio, 26. Julii prælibati auni fueruut translatæ, iisque à Rege, qui Fuudatoris titulum sibi retinuit, contra omnes, quæ nasci unquam possent, molestias sequenti Diplomate provisum fuit;

Ludovicus, Dei gratia Rex Galliæ, & Navarræ omnibus præsentibus, & futuris salutem &c.

Dilectæ Nobis Moniales Capucinæ, Filiæ Passionis nuncupotæ, Monasterii in nostra Civitate Parisiensi siti, Nobis humiliter exponi fecerunt, quod consequenter ad litteras patentes Regis Henrici IV. nostri Avi, Mense Octobris Anni millesimi sexcentesimi secundi dacas in Monasteria, quad Ducissa Mercurii ad intentionem, & ulcimam voluntatem Reginæ Ludovicæ Viduæ explendam in Suburbio, & platea S. Honorati, ejusdem nostræ Civitatis Parisiensis, in facie Conventûs Religiosorum Capucinorum, construi curavit, fuerint callocatæ, in qua, & usque ad præsens tempus habitârunt. Cum autem ex occasione fabricæ, & ampliationis plateæ, quam in prædicto situ S. Honorati in loco Palatii Vindocinensis, & eunntiati Capucinarum Monasterii quamprimum facere intendimus, ad hujus demolitionem cogeremur, antequam ad hanc procederetur, novum Monasterium ex altera dictæ plateæ parte, cum Ecclesia, aliisque pro Domesticorum Monasterii habitatione necessariis officinis construi jussimus. Epropter Exponentes prælibatæ Nobis supplicari fecerunt, quatenus iis in dicto novo Monasterio possessionem sumere permisseremus, & pro illarum indemnitate litteras necessarias, cum confirmatione illarum Henrici IV. expedire dignaremur. Nos verò ad hæc attendentes, easque intuitu earum pietatis, & devotionis favorabiliter tractare volentes, notum facimus, quod tum ab hasce causas, tum ex nostra speciali gratia, plena auctoritate regia, prædictas litteras patentes nostri Avi, prædicto Mense Octobris 1602 quarum copia hisce cum nostra Cancellariæ sigillo adjungitur, in tantum, quantum opus erit, confirmantes, memoratis Exponentibus per præsentes, nostræ manu signatas permisimus, & permittimus, ut dictum novum Monasterium, quod iis, uti præfertur, in dicto situ construi fecimus, incolant, volentes, ut in eo imposterum morentur, vivant, & precibus, ac orationibus suis secundùm ipsarum regulam, & institutum incumbant, ita & eodem modo, quo prius in veteri Monasterio, ante ejus demolitionem fecerunt, quin à quocunque, ex quacunque causa, aut prætextu possint molestari. Et, ut dictas Exponentes favorabiliùs tractemus, easque in possessione, & incolatu earum Monasterii, & locarum dependentium firmemus, eadem auctoritate, ut supra, & uti Fundator *Deo dicavimus, & per præsentes patentes præfatum novum Monasterium cum officinis, & Claustris annexis, & ab eo dependentibus Deo dicamus, & in hunc finem volumus, ut illud tenere, & immutabiliter incolere, eoque plenè, pacificè, & in perpetuum frui possint, quin unquam manum desuper sub quacunque causa, & prætextu detrahere, aut Nobis, aut Successoribus Regibus, vel ratione præsentis nostræ extinctionis, aut jure hujus, vel novæ acquisitionis, aut aliorum, quæ Nobis deberi possent, prætendi, ullam gabellam, aut indemnicatem, ad quamcumque etiam summam illa ascendere posset, solvere teneantur; Nos enim hæc omnia iis donavimus, & per præsentes donamus, attentò, quod loca prædicta immediatè à Nobis proveniant, & cum onere, pro hujusce status, nostræ Personæ, & Regum nostrorum Successorum prosperitate Deum exorandi. Hinc nostris Ministris Curiæ Parlamenti Parisiensis, Præposito dicti loci, seu ejus Locum-tenenti, ac omnibus aliis Justitiæ Ministris, ad quas spectat, mandamus, ut præsentes registrori, earumque tenore præfatas Exponenses plenè, & pacificè frui, & uti faciant, omnia impedimenta in contrarium tollentes, & tolli facientes, cum hoc sit nostrum placitum. Et ut hæc omnia firma, & stabilia semper consistant, præsentibus nostrum sigillum apponi jussimus.*

Datum Versaliæ mense Junii anni gratiæ millesimi sexcentesimi octuagesimi octavi, & regni nostri 46.

Ludovicus &c.

Luxit raro semper splendore tum in antiquo, tum iu novo Mouasterio virtus, quâ Sponsæ Sponsum æquè intec lilia deliciantem, ac iuter spinas *Passionis*. & austerioris vitæ rigorea pascentem secutæ sunt, & sequuntur, ita ut, quod olim in D. Basilii exequiis commeudatum est, *de iis non minùs verè, quàm magnificè prædicari possit, quod alias virtutum imitentur, aliarum sint exemplum, alias inveniant, alios autem quasi superent.*

Eas etiam, quæ sanguinis nobilitate fuêre clariores, vidit & sacrum Gynæceum non semel in hoc virtutis studio præstantiores. Inter has jure censeo Sororem Angelicam Parisiensem, ex illustri de Pelletiera Familia; hæc ut non offenderet in multiloquio, fœdus cum lingua pepigit, ac hebdomatim non nisi binâ vice, & potissimum cum ægris loqui consuevit; in hora mortis, quam prædixit, familiariter cum Jesu suo Sponso egit, & panem Angelorum mirabili amoris vi è Sacerdotis manibus ad cor traxit, Angelicâ puritate nitidum.

Sororem Agnetem, Filiam Marchionis de Rouvray virtutum omnium comeatus mirabilem reddidit, mirabiliorem effecit spiritus consilii, quo discordes animos conciliavit, & salutis negotium in Principibus & Ducibus direxit.

Præcelsa *de Grange le Roy* Familia, quæ Poloniæ Reginam, Cardinalem Ecclesiæ, Mareschallos & Pares Franciæ dedit, dedit, & D. Francisco in hoc Monsterio Sororem Magdalenam, quæ acceptum ab ortu splendorem, virtute perfectâ geminavit; Regiam Abbatiam *de Lillo*, Ordinis Cisterciensis, in cujus possessu jam erat constituta, sponte suscepta egestate commutavit, præclaram virtutis indolem, usque ad extases perfecit; & potentias Domini locuta est spiritu prophetico. Hujus veneranda memoria ut perennaret, incisa est æri illius imago cum epigraphe;

Reverenda Mater Magdalena à S. Francisco de la Grange le Roy, existens jam in celebris Abbatiæ possessione, ei renuntiavit, ut se pauperem faceret Capucinam: vixit annis quadraginta in raro virtutis exemplo, & è vivis decessit in sanctitatis odore ætatis 69. annorum 29. Augusti 1658.

Alia hujus vitæ, cœlestibus donis decoratæ exempla reticere invitus cogor, cum eorum copia limites meæ scriptionis excedat: generatim duntaxat scire juvat, quod, quantùm *Filiæ Passionis* vitæ cum Christo absconditæ studentes mundum contemnunt, tantùm mundus illas pio honore prosequatur. Illas invisit anno 1689. Regina Angliæ, anno 1693., cum eadem Regina Rex Angliæ, Ludovicus XV. Rex Franciæ 1717., & 1720., *Regina Maria* 1729 *&c.* In earum Ecclesia plures ad sacras Aras incruentam hostiam litârunt Cardinales, Nuntii Apostolici, & primi Ecclesiæ Præsules: in eadem Fr. Archangelus Scotus Matrem, & Fratrem, abjurata nativâ Sectâ, gremio S. Matris Ecclesiæ anno 1602. junxit, ac Eminentissimus Cardinalis de Rohan, Magnus Franciæ Eleemosynarius nostrum Fr. Ludovicum de Mornay in Episcopum Quebecensem an. 1714. consecravit.

Plures Principissæ, Apostolicis litteris munitæ, illarum Monasterium ceu locum, in quo Monialium oratione, & consiliis adjutæ, spiritum rectum in cordibus suis renovarent, accesserunt: alii suum erga illas devotionis affectum in donis probârunt: Carolus hujus nominis tertius, Dux de Crequi, Par Franciæ, Princeps de Poix &c. Gubernator Parisiorum. Corpus S. Ovidii Martyris an. 113. post Martyrium in sepultura separata, in Cœmeterio S. Cyriaci cum inscriptione ⁓ *S. Ovidius Martyr Filius Senatoris Romani* repertum, & eidem Carolo Romæ, ubi Regis ad Papam Oratorem egit, à Cardinale Mancini dono datum, in earum Ecclesia publico & perenni cultui exposuit: Aliud & S. Lucii Corpus à Cardinale Chisio, Apostolico Galliæ Nuntio allatum, Francisca à Lotharingia Ducissa de Vendôme Confundatrix dono dedit: Unguem S. Claræ Virginis Assisiatis, quem P. Angelus Jojosæus à Principissa Peretta, Cardinalis Montalti Sorore, acceperat, Marchionissa de Maignelay apud ipsas asservari, & coli voluit. Habent (præter duas Spinas de Corona Christi, ac plures Sanctorum, & Sanctarum Reliquias) à Ludovico Cardinale de Vendôme Ossa S. Gregorii, & Vas Sanguinis S Crescentii Martyris: Ab Henrica Catharina, Ducissa de Guise, Filia P. Jojosæi Manipulum S. Caroli Borromæi, Mediolano Carolo Duci, Conjugi suo in donum misso; Notabilem partem Ossis Sancti Mauritii Martyris, à P. Nicolao Damiano, Provinciæ Parisiensis Ministro Provinciale: A Duce de Vendome insignem Crucis particulam: Crucem altitudinis 4. pedum ex miraculosa S. P. Francisci arbore formatam, & specialibus indulgentiis decoratam, cum Osse Capitis S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentis à Serenissima Regina Maria de Medicis; A R. Domino Aubery Sanctæ Capellæ Canonico (præter plurium librarum dotem) tabulam S. P. Francisci repræsentantem, & insigni arte depictam: Fractâ, quam Rex Ludovicus XIV. dederat, Campanâ, aliam acceperunt à Rege Lodovico XV. in cujus Baptismo ipsa Regina Maria Matrinæ munus susceperat, & præpedita vices suas Dominæ de Nantovillet anno 1742. commiserat.

Alios & alias devotio eousque incitavit, ut, dum sexûs & statûs conditio illos iis convivere non admisit, inter ipsas post mortem quiescere, & beatam spem, & resurrectionem mortuorum expectare, testamentaria dispositione voluerint. Manes horum in suis sepulchris ita jacere nolo, quin plurium nomina fulgeant & in hac Charta, ex Monasterii tabulis excerpta, uti Ordine Chronologico sequuntur &c.

Ludovica à Lotharingia, Regina Franciæ & Poloniæ, Vidua Henrici III. Regis &c. translata anno 1606. de Monasterio Monialium S. Claræ de Molinis; jacet in ipso Monialium choro sub marmore nigro.

Cor Philippi Emmanuelis à Lotharingia, Ducis Mercurii, S. R. I. Principis, Fratris Reginæ altefatæ, defuncti in reditu ex Hungariæ Castris Norimbergæ anno 1602. è Lotharingia allatum an. 1606. ad Moniales, eodem die, quo

Cor R. P. Angeli à Jojosæa, Monasterio à R. P. Leonardo Parisiensi fuit consignatum. Hoc, postquam per 40. horas Monialium devotioni supra pulvinar Missalis expositum fuisset, plumbeæ capsulæ inclusum ad latus Evangelii fuit repositum; anno 1616. autem à Ducissa Henrica, Filia ejus, scatulæ aureæ ad formam Crucis compositæ, præsentibus Ducissâ Mercurii, Ducissâ de Vendosme, & Marchionissa de Maignelay, omnibusque Monialibus fuit inclusum &c.

Catharina à Lotharingia d'Elbeuf an. 1611.

Cor

Cor & intestina Carolinæ Annæ Borboniæ, Filiæ Caroli Borbonii, Principis Sanguinis, Gubernatoris, &c. ac Principissæ Annæ de Montasier an. 1623.

Maria à Luxemburgo, Ducissa Mercurii, Confundatrix Monasterii, an. 1623. *defuncta in suo Castello d'Annet, ac Habitu Religionis vestita.*

Margaritha à Lotharingia, Ducissa Mercurii, Soror Reginæ Ludovicæ, Vidua Annæ Ducis Jojosæi, Paris, & Amiralii Franciæ, ac Francisci à Luxemburgo, Ducis de Piney an. 1625.

Martha d'Oraison, Vice-Comitissa Alemagnæ, Fundatrix Monialium Capucinarum Massiliæ, Habitu Religionis induta, an. 1627.*, de cujus merito memoria infrà in fundatione Monasterii Monialium enunciatarum redibit.*

Cor & intestina Mariæ Borboniæ, Filiæ Principis Henrici Borbonii, Ducis de Montpensier, & Henricæ Catharinæ à Jojosa, Ducissæ de Guise, & Conjugis Gastonis, Fratris Regis 1627.

Cor Francisci Alexandri, Ducis à Vendome, Magni Franciæ Prioris 1629.

Cor Annæ Ducissæ d'Allun, Conjugis Marechalli de Schomberg. 1642.

Cor Illustrissimi, & Reverendissimi Philippi de Cospean, Episcopi Luxoviensis, à Ducissa de Vendôme consignatum an. 1646.*, Corpore illius in Ecclesia Monialium Calvarii juxta testamentariam dispositionem inhumato. Inclusum fuit Cor muro in fundo Chori Monialium sub marmore nigro, cui incisum videtur sequens Epitaphium.*

Cor Philippi de Cospean, quem sana doctrina, eloquentia Evangelica, & vita exemplaris Episcopum & Comitem Luxoviensem designârunt. Fuit vivus fide in Jesum Christum, ardens amore gloriæ ejus, operans pro illius Ecclesiæ exaltatione, vigil in salute animarum, aliorum miseriis compatiens, plenus Mundi contemptu, amore suimetipsius carens, in hac Domo Passionis, quam tantò dilexit, reunionem corporis cum anima expectat, recepturus in æternitate sanctarum suarum actionum mercedem, obiit 8. Maji 1646.

Cor Filii Primogeniti Francisci de Rosny, Ducis d'Orval 1646.

Princeps Gennevois 1647.

Margaritha Ducissa de Gondy, Marchionissa de Maignelay, Habitu Monialium induta, & in ipsarum sepultura recondita, 1650.

Maria Genovefa Jabin, Conjux D. Duval, Consiliarii Parlamenti 1653.

Henrica Catharina à Lotharingia, Ducissa de Guise, Comitissa Buchagii &c. Filia P. Angeli à Jojosa prædicti, Habitu Monialium induta 1655.

Cor Thomæ Francisci à Sabaudia, Principis Carignani, Conjugis Mariæ Borboniæ, Principissæ Sanguinis &c.

Cor Josephi Emmanuelis à Sabaudia, prædictorum Filii, ante Fratrem defuncti decem diebus.

Cor Eugenii Mauritii à Sabaudia, Comitis Suessonensium, Gubernatoris Campaniæ &c. defuncti in Westphalia an. 1673. *Hæc tria Corda, Mariti videlicet, & duorum Filiorum in Ecclesia Monialium collocari Maria Borbonia altefata jussit.*

Victoria Mancini, Conjux Ludovici Ducis de Vendôme & Mercurii, de Pontievre, & d'Estampes, Paris Franciæ, Principis d'Anet &c. 1657.

Ludovicus Seguier, Baro de Saint Brisson &c. Dominus S. Firmini. an. 1657.

Carolina Maria, Ducissa de Roquelaure, nata de Dallon, Comitissa de Lude an. 1657.

Julius Cæsar, Dux de Vendôme. 1660.

Ducissa de Bethune. 1660.

Cor Mariæ Ridel, Conjugis Domini Merbrin, Regi Christianissimo à Secretis 1662.

Catharina à Faideau, Comitissa de Lude. 1663.

Francisca à Lotharingia d'Armagnac. 1664.

Elisabeth de Vendôme, Ducissa de Nemours. 1664.

Intestina Cæsaris de Vendôme, Filii Henrici Regis IV., Conjugis Franciscæ à Lotharingia Con-fundatricis an. 1665.

Marchionissa de Grimault. 1668.

Maria Faverole, Conjux Domini Frarè, Regi à Secretis. 1668.

Cor Eminentissimi Cardinalis de Vendôme an. 1669.

Corpus Franciscæ à Lotharingia, Neptis Reginæ Ludovicæ, Ducissæ de Vendôme &c. Confundatricis Monasterii. 1669.*, de qua annuatim Officio Defunctorum cum* 9. *Lectionibus, & Missa, memoria à Monialibus renovatur, corde illius, in Ecclesia Monialium Calvarii, quarum in loco Vindonicii fuit pariter Fundatrix, inhumato.*

Filius Primogenitus Comitis de Louvigny 1669.
Renatus Chouquo, Dominus de Cherigny, Consiliarius Parlamenti 1670.
Filius Comitis de Bethune.
Filia Magni Poloniæ Mareschalli, & postmodum Regis Joannis Sobieski 1670.
Franciscus de la Hilliere, Filius Marchionis de la Hilliere 1672.
Maria Pasquier, Neptis Domini Bernard, Domini de la Forteresse 1672.
Ludovicus Matharel, supremus rerum maritimarum Intendens 1673.
Armandus de Gramont & Toulongeon, Comes de Guiche, Locumtenens Generalis exercituum Regis 1673.
Filius Primogenitus Comitis d'Ayen 1674.
N. Comitissa de Harcourt 1674.
Princeps Junior d'Armagnac 1675.
Filius Marechalli de Gramont-Louvigny 1675.
Maria de Gramont, Filia Comitis de Gramont 1676.
Joannes Franciscus de la Baulme le blanc, Marchio de la Valliere 1676.
Intestina Mariæ Catharinæ de Roche-foucault, Marchionissæ de Sencey 1677.
Catharina de Gramont, Principissa Monaci 1678.
Franciscus de Rosny, Dux d'Orval 1678.
Antonius III. Dux de Gramont, Par & Marechallus Franciæ, Dominus de Bidache, Comes de Guiche, & de Louvigny, Vice-Rex Navarræ &c. Eques Ordinum Regis &c. 1678.
N. Abbas d'Harvelle 1678.
N. Marchio de Coursille 1678.
Filia Secundogenita Comitis de Gramont 1678.
N. Filius Secundogenitus Ducis de Noailles 1680.
Jacobus de Medavy, Marechallus de Grandcey 1680.
Margaritha Francisca d Lotharingia d'Armagnac 1681.
Marchio de Rafetau, Gener Marechalli de Gramont 1682.
Magdalena de la Tremouille d'Houars 1682.
Princeps Tarenti, Filius Ducis de la Tremouille 1682.
Margaritha de Chaumont, Comitissa de Maulevrier 1684.
Ducissa de Noailles 1684.
Ducissa Ludovica Anna de Noailles 1684.
Filius Ducis de Noailles 1685.
Marchio de Bethune d'Orval 1685.
Comes d'Ayen, Filius Ducis de Noailles 1685.
Carolus de Crequy, Dux & Par Franciæ, Gubernator Parisiorum &c. 1687.
Dux de Touars, Filius Ducis de la Tremouille 1687.
Maria à Lotharingia, Ducissa de Guise, sepulta in Monialium sepultura. 1688.
Filia Caroli Armandi de Gonteau de Biron, & Mariæ Antoniæ de Beautrau de Nogent 1688.
Margaritha de Gramont, Marchionissa de Chaumont 1688.
Cor Principis Philiberti à Sabaudia, Comitis de Soissons 1688.
Joanna Catharina Henrichetta d'Orleans de Rothelin, Vidua Marchionis de Bethune, & Conjux Claudii Francisci de Gourdin 1688.
Ludovica de la Cour des bois, Conjux Domini de Chateau Goutier 1688.
Margaritha du Plessis de Ciury, Marechalla de Gramont 1689.
Intestina Christinæ de Carignan, Principissæ Bodæ 1689.
Ducissa de Roquelaure, Filia Antonii Gastonis, Ducis de Roquelaure 1689.
Filius Principis de la Tremouille 1692.
Cor Francisci Michaelis le Tellier, Marchionis de Louvois, Ministri, & Secretarii Status 1699. *cujus Corpus postmodum de Hospitali Invalidorum (uti infrà ad annum* 1699. *notatur) pariter ad Moniales fuit translatum.*
Filius Domini de Gramont, Comitis de Guiche 1691.
Cor & intestina Mariæ Borboniæ, Principissæ Sangainis, Filiæ Caroli Borbonii, Comitis de Soissons, Conjugis Principis Francisci à Sabaudia 1692.
Francisca de Beaufort de Montboissier de Canillac, Filia Caroli de Montboissier de Canillac 1692.
Maria Carolina de Castelnau, Uxor Antonii Caroli Ducis de Gramont, Paris Franc. 1694.
Catharina Ludovica de Crusol d'Uzes, Conjux Ludovici Mariæ Francisci le Tellier, Equitis, Marchionis de Barbesieux 1694.
Anna Carolina de Mornay de Villarceaux, Marechalla de Grandcey, Gubernatrix

Prolis

Prolis Regiæ Celsitudinis Delphini, Vidua Jacobi de Rouffel de Medavy, de Grancey 1694.
Antonia Comitissa de Moutaglau, Conjux Ludovici Annæ Julii Potieu de Nouion 1694.
Josephus de Gonteau de Biron, Filius Caroli Armandi supradicti 1694.
Francisca Maria Meliaud, Conjux Domini Bernard de Rezé, Consiliarii Parlamenti 1694.
Maria Anna d'Albert de Chevreuse, Conjux Caroli Francisci Friderici de Montmorency, Paris Franciæ, Principis Tingry &c. 1694.
Maria Henrica de Montmorency-Luxemburg 1699.
Maria Christina de Noailles, Filia Marechalli, & Ducis de Noailles 1696.
Catharina Anna de Grimaldi, Filia Principis Antonii de Grimaldi, Ducis de Valentinois, & Principissæ Mariæ à Lotharingia 1696.
Joannes Franciscus de Polastron Eques &c. Dominus de Montesthorme de Muretin, Locum-Tenens Generalis, Gubernator &c. 1697.
Ludovica Coutel, Vidua Caroli Fétu, Equitis, Consiliarii Regis &c. 1697.
Filius Caroli Francisci Ludovici de Montmorency, Paris Franciæ, Principis Tingry &c. 1698.
Ludovica de Crusol d'Uzès, prius sub Choro, & in depositum reservata, usque dum ad Capellam, quam Dominus de Louvois in Ecclesia construi fecit, fuit translata 1699.
Corpus Francisci Michaelis le Tellier, Marchionis de Louvois, Ministri & Secretarii Status, Intendentis Generalis Postarum, Cancellarii Ordinum Regiorum, Magni Ordinum S. Lazari, & B. Virginis de Monte Carmelo Vicarii &c. de Hospitali Invalidorum, quod illius cura extructum est, ad Ecclesiam Monialium translatum 1699.
Maria Bourgoin, Filia Domini de Bourgoin, Magistri rationum, & Conjux Nicolai le Vasseur, Dominus & Marchio de S. Urain 1699.
Principissa Maria Magdalena de la Tour d'Auvergne, Filia Principis Emmanuelis Theodosii &c. Ducis d'Albret 1699.
Catharina Carolina Genovefa de Gramont, Filia Antonii &c. Ducis de Guiche 1699.
Principissa Catharina Theresia de Matignon, Conjux Principis Caroli à Lotharingia, Comitis de Marsaut, & prius Vidua Domini de Seignelay 1699.
Princeps d'Albret, Filius Principis Emmanuelis Theodosii de la Tour d'Auvergne 1699.
Princeps Henricus Theobaldus de Montmorency-Luxemburg, Abbas Commendatarius nostræ Dominæ d'Ourscomp 1700.
Ludovicus Franciscus le Tellier, Marchio de Barbesieux, Cancellarius Ordinis Sancti Spiritus &c. 1701.
Franciscus Henricus de Montmorency-Luxemburg, Filius Principis Caroli Francisci Friderici &c. Ducis Luxemburgi d'Epinay, Montmorency, Paris, primi Baronis, & primi Christiani Franciæ 1701.
Jacobus de Normand, Consiliarius Regis &c. Syndicus Capucinorum 1701.
Principissa Elisabeth Carolina de Grimaldy de Monaco, Filia Principis Antonii, Dei gratia, Domini Supremi de Monaco 1702.
Princeps Philippus à Lotharingia, Eques Ordinum Regiorum 1702.
Godefridus Mauritius de la Tour d'Auvergne, Princeps Bullionii 1705.
Maria Francisca Carolina Antonina de Gontauld-de Biron 1705.
Angelica Cæcilia de Builleul, Conjux Annæ Raquier Equitis &c. Domini & Marchionis de Poussé 1706.
Maria Ludovica Clara de Luxemburg, Principissa Tingry 1706.
Carolus Antoninus de Gontauld, de Biron 1706.
Gilbertus Colbert, Eques, Dominus, & Marchio de Saint Pouange, Consiliarius Ordinarius Consilii Status, Commendator, & Supremus Thesaurarius Ordinum Regis 1706.
Princeps Ludovicus Franciscus Gombert de Bonsleurs 1706.
Elisabeth Lombart, Conjux Francisci Pidon, Domini de S. Allou, Commendatarii. & Secretarii Ordinis Militaris Regii nostræ Dominæ de Monte Carmelo, & S. Lazari de Jerusalem 1707.
Gabriela Glé, Comitissa de Gotturdaye, Socia Palatii Reginæ Defunctæ 1707.
Ducissa Magdalena de Crequy, Conjux Caroli Bellici de la Tremouille, Principis Tarenti, & Talmondi, Ducis de Thouars &c. 1707.
Maria Carolina Armanda de Gontauld de Biron 1707.
Ludovica Francisca Langesir d'Himbercourt 1707.
Principissa Catharina de Neuville, Comitissa Armanuaci &c. 1707.
Princeps Carolus à Lotharingia, Comes de Marsau, Dominus Ponti, Princeps de Montagu, Dominus absolutus de Bedait, Eques Ordinum Regis 1708.

Prin-

Princeps Anna Jullas, Dux de Noailles, Par & Marechallus Franciæ 1708.
Matthæus de Montmorency, Filius Ducis de Luxembourg 1709.
Armanda de Lusignant, Ducissa de Crequy, à servitio honoris Reginæ Mariæ Theresiæ Austriacæ 1709.
Ludovicus Cæsar le Tellier de Louvois, Eques Melitensis 1709.
Principissa Maria Carolina de Rocquelaure, Conjux Principis Henrici Francisci de Foix de Candalle, Ducis, & Paris Franciæ 1710.
Isabella de Grandcey, à Servitio Reginæ Hispaniarum 1711.
Princeps Henricus à Lotharingia, Comes de Brionne 1712.
Magdalena Francisca Gosseau, Vidua Jacobi Logeoir, Consiliarii & Secretarii Regis 1712.
Francisca de Matharel . . . . *Canonissa & Comitissa &c.* 1713.
Carolus Hyppolitus de Gondrin 1713.
Ludovicus Maria de Gramont, Marchio de Humieres 1714.
Henricus Franciscus de Foix de Candalle, Dux de Reudant, Par Franciæ, Eques Ordinis Sancti Spiritûs &c. 1714.
Carolus Antonius de Gramont, Comes de Guiche 1714.
Ludovicus Franciscus de Gramont, Eques Melitensis 1714.
Carolus Henricus Pidou de S. Olon 1715.
Anne de Souvre 1715.
Principissa Elisabeth de Rousel de Medauy 1716.
Elisabeth Pidou de S. Olon 1716.
Eleonora le Tellier, de Louvois 1716.
Principissa Anna de Haruille 1716.
Principissa Maria Victoria de la Tremoaille 1717.
Principissa Armanda de la Tour d'Auvergne 1717.
Ludovicus Caspar de Matharel Eques &c. Primus Palatii Præfectus Ducis Aurelianensis 1717.
Principissa Maria Magdalena d'Auvergne &c. 1717.
Ludovicus Girard de la Cour de bois, Marchio du Tiller, Consiliarius Statûs ordinarius, Decanus Magistrorum rationum 1718.
Camillus le Tellier de Louvois, Marchio de Barbezieux, Presbyter, & Doctor Sorbonæ, Abbas Abbatiarum de Bourgeiul, & de Valvissant, Bibliothecarius Regis, & Cubiculi a Majestatis Præfectus 1718.
Franciscus Macé le Tellier, Marchio de Louvois, Colonellus centum Helvetorum guardiæ Regis 1719.
Franciscus Colbert de S. Pouange, Marchio de Chabannois, Marechallus Campi &c. Eques &c. 1719.
Franciscus Pidou Eques, Dominus de S. Olon, Commendator, & Secretarius Ordinum Militarium, & Hospitaliorum Dominæ Nostræ de Monte Carmelo, & S. Lazari, Regi à Cubiculis, & ejusdem ad Januenses, & Marochium Orator extraordinarius 1720.
Franciscus le Tellier de Louvois, Eques, Marchio de Courtenvaux 1721.
Elisabeth Carolina Rosalia le Tellier de Montmirel 1723.
Principissa Maria Ludovica à Lotharingia de Brionne 1724.
Principissa Maria Francisca Gabriella de Brancas 1724.
Catharina Flora, Marchionissa de Louvois 1724.
Antonius de Gramont, Marechallus, & Par Franciæ 1725.
Principissa Angelica de l'Angle 1725.
Jacobus Eleonorus Rouxel, Comes de Medauy, Tenens generalis Exercituum Regis, Gubernator Sedani, Eques Ordinum Regis, Marechallus Franciæ 1725.
Ludovicus Nicolaus le Tellier, Comes de Rebenac, Marchio de Souvré, & de Louvois 1725.
Carolus Franciscus Fridericus de Montmorency de Luxemburg, Dux de Piney-Luxembourg, & de Beaufort-Montmorency &c. Par Franciæ 1726.
Maria Ludovica Rouxel de Medauy, & de Grancey, Gubernatrix Ducissæ Lotharingiæ &c. 1728.
Franciscus Rouxel de Medauy, Comes de Grancey 1728.
Ludovicus Franciscus Rouxel de Medauy, Comes de Grancey 1728.
Principissa Ludovica Maria de la Grange d'Arquien, Soror Reginæ Poloniæ.
Franciscus Ludovicus de la Baume le Blanc, Comes de la Valliere 1731.
Alexander Augustinus Franciscus de Matharel 1731.

Prin-

Principissa Maria Renata de Berthemer 1732.
Joanna Francisca d'Avet Desmarest 1732.
Joannes Baptista Loubert, Summus Ærarii Tribunus &c. 1732.
Anna Theresia de Courcelles 1732.
Francisca Catharina Marchionissa de Bethune 1735.
Maria Magdalena le Tellier, Comitissa des Barbezieux, de Louvois 1735.
Maximilianus Henricus de la Baume le Blanc, Marchio de la Valliere 1736.
Ludovica Antonina de Gontault, Ducissa de Biron 1735.
Joannes Carolus Maria de la Baume le Blanc, de la Valliere, Marchio de Vaviour 1738.
Principissa Maria Magdalena de Matharel 1738.
Carolus Franciscus de la Baume le Blanc, de la Valliere, Dux de la Valliere, Par Franciæ 1739.
Maria Sophia Francisca de Montmorency-Luxemburg 1740.
Principissa Anna d'Etrees 1741.
Principissa Ludovica Carolina de Gramont 1742.
Principissa Anna Catharina à Campania 1742.
Principissa Ludovica Francisca d'Aumont 1742.
Eleonora de la Baume le Blanc, Ducissa de la Valliere 1743.
Carolus Maria Cæsar de la Baume le Blanc, Marchio, & Dux de la Valliere 1743.
Ludovicus à Lotharingia, Princeps de Lambese 1743.
Filius Ludovici de la Baume le Blanc, Ducis de la Valliere, Paris Franciæ 1743.
Principissa Maria Carolina Genovefa de la Tremouille 1744.
Cor Hadriani Caroli Movay, Principis de Poix, Equitis Melitensis in ipso Monialium Choro humatum.
Cor Mariæ Franciscæ de Bournouville, Ducissæ & Mareschallæ de Noailles, pariter in dicto Choro sepultum 1748.

Indulta pro Fr. Cornelio à S. Homero petita, ob Superiorum renitentiam concedi non posse, Reginæ Christianissimæ respondet.

Charissimæ in Christo Filiæ nostræ, Mariæ, Francorum Reginæ Christianissimæ, Viduæ.

PAULUS PAPA V.

Charissima in Christo Filia nostra salutem, & Apostolicam benedictionem.

DE Fratre Cornelio, ex Ordine Capucinorum, quem Majestas tua Nobis per litteras commendavit, actum fuit cum ipsius Superioribus; qui quidem gravibus de causis judicant non expedire eam concedi facultatem, quæ pro illo postulabatur. Inter cætera verò concessioni obstant, tum quod Capucinorum Habitus in illis partibus est incognitus, tum etiam, quod huic Religioso multa ibi committenda essent contra Regulas sui Ordinis. Veruntamen si Majestati Tuæ ejusmodi rem cordi esse intelligemus, denuo cum iisdem Superioribus de facultate concedenda agetur. Postulat enim ea, quâ Te in visceribus Christi prosequimur, paterna benevolentia, ut ad Tibi gratificandum propenso semper animo simus. Dominus suæ gratiæ donis Majestatem Tuam impleat. Et Nos iterum Tibi Apostolicam benedictionem toto ex animo impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VIII. Septembris MDCXX. Pontificatûs nostri anno decimosexto.

Autogr. in Arch. Secret. Brevium ad Principes *regesto Mensis, & Anni prædict. fol.* 194.

Litteras à P. Josepho de Tremblay Provinciale &c. sibi redditas, ac ab hoc præstita pro Sedis Apostolicæ dignitate officia oretenus relata esse, Principi Condensi gratanter renuntiat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Condensi.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam benedictionem.

LItteras jucundissimas accepimus à Nobilitate Tua V. Nonas Maji Dilecto Filio

lio pio, ac Religioso Viro, Joseph, Fratrum Capucinorum Provinciali Turenæ ad Nos datas. Consolatus es Nos quidem, Fili dilecte, summopere significatione compositionia omnium differentiarum, quæ hactenus vigebant, & confirmatione desideratissimæ pacis. Summas Deo misericordiarum gratias egimus, qui hoc optatissimo nuncio Nos recreavit, vehementer afflictos ex imminentibus gravissimis periculis à luctuosa Regni Galliæ dissensione. Valde quoque laudamus optimam voluntatem, quam tuis litteris profiteris, satis declaratam testimonio eorum, quæ egisti in hoc postremo Conventu, uberius quoque Nobis expositam ab eo Joseph, de qua, sicuti uberem fructum Nobis pollicemur ad totius Regni quietem, atque tranquillitatem, & Regis tui commodum, & totius Christianæ Reipublicæ utilitatem, sic quoque confidimus, Te ex ea quotidie majorem consolationem accepturum esse. Quid præstiteris pro hujus Sanctæ Sedis dignitate tuenda, & quanto Zelo Te Nobis exbibeas promptum, paratumque in ejus indemnitate procuranda, abunde intelleximus. Qua de re Nobilitati tuæ plurimùm debere profitemur; interim ingentes gratias agimus. Semper Te quidem ex animo diliximus, sed obstrinxisti Tibi quidem maxime his tuis piis officiis nostram paternam charitatem, idque experimento comperies, quoties se Nobis occasio obtulerit. Interim Nobilitati tuæ benedictionem nostram Apostolicam ex intimis nostri cordis visceribus impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris quarto Nonas Julii MDCXVI. Pontificatûs nostri anno duodecimo.

Petrus Strozza.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes *Regesto Mensis, & Anni præd. Epist.* 30.

Adventum ejusdem Fr. Josephi sibi gratissimum fuisse; hunc opinioni de ipsius virtute concepta plenè respondisse; ac se in illius colloquio plurimùm delectatum esse, Duci Nivernensi significat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Duci Nivernensi.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam benedictionem.

INgenti quidem animi nostri solatio vidimus Dilectum Filium, pium, ac Religiosum Virum, Joseph, Fratrum Capucinorum Provincialem Turenæ, qui à Nobilitate tua Nobis litteras reddidit jucundissimas. Ex ipso namque intelleximus non solùm pacificationem confirmatam istius nobilissimi Regni, ut à Deo nostris precibus indesinenter postulamus, sed etiam quæcumque in hoc negocio piè, ac prudenter ab amantibus communis boni, atque tranquillitatis gesta sunt: potissimum autem à Te, qui tanta cum laude Fidei, & Religionis, atque prudentia pro Regis tui commodo, atque dignitate, ac divini honoris, atque Catholicæ Religionis tutela, proque indemnitate auctoritatis hujus Sanctæ Apostolicæ Sedis semper laborâsti: Cuncta enim diligenter, & accuratè Nobis Fr. Joseph exposuit. Planè Nobis visus est Vir Christiana pietate, atque prudentia egregiè instructus, ùt scribis, plurimùmque in ejus colloquio delectati sumus: Respondit enim apprimè opinioni, quam de ejus virtute conceperamus ex his, quæ de eo occasione hujus gravissimæ tractationis Nobis significata fuerunt. Gratissimus quoque Nobis fuit ejus adventus, ut ageret de negocio tam præclaro, & tam utili Christianæ Reipublicæ, in cujus executione alacritatem generositate tua dignam, qua Te Nobis promptum, paratumque exhibes, vehementer laudamus, sicuti etiam eorum, quos non minori studio Tibi comites fore asseris. Benedictus Deus, qui in tam gravibus sollicitudinibus, quæ nos ex paterno Zelo tantopere afficiunt, consolari Nos voluerit tanta significatione studiosæ in Nos, & obsequentis voluntatis nostrorum Filiorum. Quantùm autem ad propositum negocium attinet, Nos nihil prætermittemus, quod cum Domino præstare poterimus, sicut uberiùs ex eodem Joseph intelliges, qui & de hoc, & de singulari nostra in Te benevolentia, & existimatione, qua

præ-

præstantissima tua virtus apud Nos commendata est, multa Tibi renunciabit. Interim, cum omni charitatis affectu Nobilitati tuæ nostram Apostolicam benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris quarto nonas Julii MDCXVI. Pontificatûs nostri Anno duodecimo.

Petrus Sforza.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium ad Principes regest. Mens. & Ann. præd. Epist. 31.

Eundem Fr. Josephum de Tremblay, litterarum gloria clarum, pietatis artibus pollentem, rerumque agendarum peritum Religiosum celebrat, eumque in concepto liberandi Orientis negotio dignè applicari, Regi Christianissimo significat.

Charissimo in Christo Filio nostro, Ludovico, Francorum Regi Christianissimo.

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

TRiumphalem Gallorum Regum pietatem, quæ illos ad Orientem liberandum & barbariem profligendam non semel armavit, cum in se reflorescere testetur Majestas tua, eamque cupiat ostentare Nationibus Orbis terrarum, non mediocre ex cœlesti hoc Regalis animi consilio percipimus solatium. Plaudent omnium sæculorum ætates, Charissime in Christo Fili noster, ejusmodi conatibus dignis Ludovico Rege. Nos autem, ne Tibi tam uberem cœlestem palmarum segetem intestinæ seditiones, aut perniciosa bella præripiant, conamur omni, quâ possumus, ope pacem inter Christianos Principes conciliare, qua non coalescente, & Barbarorum temeritas debacchabitur, & hæresum pervidia sæviet. Concipe spiritus Te dignos, Rex potentissime, expugna difficultates omnes, quæ additum occludunt publicæ paci, ut arma Italiam vulnerantia petant jugulum impietatis tyrannicæ, & Regias manus lavare possis sanguine peccatorum. Quæ negotia ad hanc rem spectantia tuo nomine disseruit, Dilectus Filius, Religiosus Sacerdos, Joseph Parisiensis Capucinus, ea libentissimè audivimus, atque ad optatos exitus perducere omni ope conabimur. Testari ille poterit, quàm anxium Pontificiæ charitatis votum sit Regni istius fœlicitas, & nominis tui gloria. Nos autem illum istuc redire sine amplo benevolentiæ nostræ commeatu non patimur; Sacerdos enim litterarum gloria clarus, pietatis artibus pollens, et rerum gerendarum peritus iisdem laudibus, quibus Tibi commendatus est, demeruit voluntatem nostram & in eo, quod Religiosis Sacerdotibus Te gravissima negotia libenter mandare testaris, agnoscimus pietatem, ac prudentiam Majestatis tuæ. Nemo enim potest feliciùs gloriam Regis curare, quàm, qui Omnipotenti Regum arbitrio famulatur, & laudem conditionis suæ constituit in opum contemptu, & procuratione publicæ salutis. Oramus Deum, ut Majestati tuæ propitius faveat, Nos autem Apostolicam Benedictionem Tibi amantissimè impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Julii MDCXXV. Pontificatûs nostri Anno secundo.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium ad Principes Regest. Mensis, & Anni præd. fol. 305. terg.

Eundem Fr. Josephum consilia profligendæ in Oriente impieratis sibi cum Pontificiæ curæ levamine retulisse, Reginæ Christianissimæ reponit.

Charissimæ in Christo Filiæ nostræ, Mariæ, Francorum Reginæ Christianissimæ, Viduæ.

URBANUS PAPA VIII.

Charissima in Christo Filia nostra salutem, & Apostolicam benedictionem.

DIscordiam inferni sobolem, & calamitatum parentem, quo studio conetur Majestas tua è Christianâ Republicâ eliminare, testatus ubique est in hac Patria nationum dilectus Filius, Religiosus Sacerdos, Frater Joseph Parisiensis Capucinus. Ejus verbis Regalem animi tui pietatem extollentibus, Nos quidem fidem habuimus, quibus prospecta jam pridem est tantæ Reginæ indoles, in publicâ felicitate constituentis

Gallicæ potentiæ gloriam. At enim cupientes pro veteri nostra in Te charitate cœlestem hunc Majestatis tuæ zelum universo generi humano exploratum esse, hortamur Te, suadente Spiritu Sancto, ut quamprimum Te pacatricem Regum, & conciliatricem concordiæ possit Europa nuncupare. Et auctoritate, quâ flores, in Orbe terrarum non potes uberiores colligere solidæ gloriæ fructus; hâc enim generosa illa fidei propagandæ, & liberandi Orientis consilia, quæ idem Fr. Joseph disseruit, poterunt ad eos exitus perduci, qui beatissimos immortalium laudum thesauros Gallico nomini comparabant. Ex eo istuc redeunte cognosces, quàm propensâ voluntate faveamus laudibus Majestatis tuæ, quarum frequenti commemoratione Pontificias sollicitudines consolatus ille est, pietatis studia cum prudentiæ artibus mirè conjungens. Ita enim mandata negotia disseruit, ut dignus sit, cui cum amplo amoris nostri commeatu istuc redeunti Regiam benevolentiam illustri aliquo solatio declaret Majestas tua, cui Apostolicam Benedictionem amantissimè impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Julii MDCXXV. Pontificatûs Nostri Anno secundo.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium ad Principes *Regest. Mensis, & Anni prædict. fol.* 306.

Ejusdem virtutem pariter Armando, Cardinali de Richelieu commendat.

Dilecto Filio nostro, Armando, S. R. E. Presbytero Cardinali de Richelieu nuncupato.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NOn dedecoravit certè judicium litterarum tuarum in Urbem adveniens dilectus Filius, Religiosus Sacerdos, Frater Josephus Parisiensis Capucinus. Non deest illi in negotiis curandis prudentia, pietas in ejus deliberationibus dominatur, litterarum gloria in ejus ingenio floret: ubi eum loquentem audivimus, dignum omnino Eum judicavimus patrocinio, & benevolentiâ tuâ: consolatus ille est Nos non mediocriter, ubi seriò, & prolixè testatus est Te consilia meditari, quæ pacem Ecclesiæ pariant, & excidium minitentur impietati. Digna hæc est auctoritate, & ingenio tuo provincia, quæ poterit parare Nomini tuo immortalis gloriæ principatum; ex eo istuc redeunte cognosces, quàm sollicitis studiis curaturi semper simus Christianæ Reipublicæ fœlicitatem, faventes laudibus Galliæ Regiæ, & cœlestis Regni fines ad Barbaras nationes propagare cupientes. A Te autem exigimus, atque expectamus, ut eas difficultates expugnes, quæ tam beatæ spei fores possunt occludere in Orbe Christiano, Tibique Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Julii MDCXXV. Pontificatûs nostri Anno secundo.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium ad Principes *Regest. Mens. & Ann. præd. fol.* 307.

N O T A.

ANtequam de Josepho loqui ordiar, silentium miror tam morosè à nostri Ordinis Annalibus de eo servatum. Nonnulli horum tomi, ac supplementa, Viros ejusdem sæculi, quo Josephus vixit, latè commendant, de illo autem, cujus nomen totam Europam implevit, hucusque vix verbum movent, ita, ut Plinii Junioris querela, dignè huic aptetur facto: *Subit indignatio, tanti Viri post tot annos reliquias, neglectumque cinerem sine titulo. sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloriò pervagata est.* Resuscito ego Virum tam diu in oblivione sepultum, &, quem præpositæ Apostolicæ litteræ amplissimè commendant, Ordinis memoriæ vivum reddo, incipiens ab ovo, & Josephum needum luci datum laudans in Familia, ex qua hanc hausit, Divi Ambrosii insistens consilio, ita loquentis: *docet nos Divina Scriptura non solùm mores in iis, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, ut velut transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in his, quos volumus laudare, præcellat.* Nullus jam est decor, Familiam commendans, qui non in genere Dominorum le Clerc refulgeat: Nobilitatem ejus à Regibus collatam non solùm antiquitas, jam anno 1349. in regia rationum Camerâ registrata, verùm etiam regius sanguis, è matrimoniali fœdere derivans, insignit: Sagi & Togæ officia, nec non Ecclesiæ & Aulæ honores fuêre semper suæ virtutis præmia: Primæ Regni Familiæ maritali vinculo cum ea colligari non tam sortem, quàm gloriæ suæ accessum crediderunt. Divisa tandem est, quæ in perfectione unitatis diutius viguit, per tres Fratres compago, qui juncto ortui suo feudi proprii titulo tres erexerunt Familias, videlicet le Clerc de Fleurigny, le Clerc d'Aunay, e le Clerc de Tremblay; & hæc est fœlix illa radix, ex qua Josephus 4. Novembr. 1577. processit, fructus primogenitus sacri Connubii, quo Joannes le Clerc de Tremblay, Parlamenti libellorum supplicum Præses, Regis Christianissimi ad Serenissimam Republicam Venetam Orator,

Cau-

Cancellarius Francisci, quarti Regii Filii & Ducis Alenconii &c. & Maria de la Fayette Baronissa à *Sanctis Romano, de Maffliers, de la Malemaison &c.* exspectabant jucunditatem à Domino. Franciscum dum in Baptismo Pater nominari voluit, Patrinus Dux altefatus puerum in sortem Domini & Francisci selectum esse jam tunc intulit; & firmavit omen tum amor, quo puer erga res sacras & spirituales ferebatur, tum affectus, quo Religiosos Mendicantes coluit, & septennis adhuc pro iis eleemosynam quæsivit. Minervę datus eos in lingua latina & græca fecit progressus, ut videretur prodigium. Prosperè incedentem afflixit plurimùm mors Patris, & rerum humanarum fastidium ingessit: adauxit dies luctûs turbata rerum Parisiensium facies, quæ Matri cum Filio decennali primò ad Feudum *de Tremblay*, & postmodum ad Castrum *de Menu* secedere suasit. Aptas invênit studio Franciscus hujus recessûs moras, &, ut gratiorem sibi illarum usum redderet, quædam Plutarchi opera traduxit, & discursum de vitæ Monasticæ felicitate composuit. Attingens 16. annos, & vocatus Baro de *Maffliers*, omni quidem nisu à vanitate mundi segregari quæsivit; cum tamen esset Primogenitus, & honori tum Domûs, tum Matris consulere deberet, diutius se inter fallaces mundi laqueos detineri ingemuit: liberior olim, de iis se extricare, & inter Capucinos spiritualia charismata quærere statuit. Ita dum ille cogitavit, Mater pubescentem inter & Personam nobilem nuptias concludi laboravit. Vix non & confecta jam erat catena, nisi manus Domini nodos solvisset. Periculum novi impetûs ut Franciscus evitaret, elongavit fugiens à loco recessûs; horruit autem, dum Matrem cum Sponsa destinata sequentem vidit. Confugit ad orationem, ut gratiâ Dei cor ejus contra Materna consilia firmaretur. Illi dum incumbit, se duo Religiosi sistunt, virtute & prudentia graves. Aperit uni eorum technas Matris, & Sponsæ, simul & captum à se Regularis Instituti propositum: laudat hic virtutem Francisci, &, ut in ea contra dolum constans maneat, monet.

Belli scenâ tandem terminatâ, Parisios, ubi reassumptis Academiæ exercitiis linguam Italicam, Germanicam, Hispanicam, Anglicam, & Hebraicam didicit, & linguarum studio, disciplinam Mathematices, & Artium nobilium conjunxit, ita in utroque profecit, ut nihil nisi exterarum regionum notitia deesse videretur. Romam inde exacto 19. ætatis suæ anno missus, à Clemente VIII. qui in eo spiritum & agendi & dicendi mirum detexerat, specialia Pontificiæ benevolentiæ argumenta recepit. Viso, quod inter almam Urbem & agrum Romanum concluditur, antiquitatis & artis lusu, ac illicio, in aliis quoque Italiæ Provinciis, & populi morem, & Civitatum splendorem, & climatis naturam inspexit. Patavii diutiùs cunctari voluit, non tam, ut regionis deliciis frueretur, quàm ut Eruditorum & Religiosorum colloquiis uteretur.

Virum nobilem dum ad Eremum secessisse inaudiit, illum adivit, & dum ficto sermone solitariæ vitæ methodum diutius traduxit, se Capucinum fore ab Eremita audiit. Omen redux Parisios non parum dubium tenuit, dum se Militem conspexit, à Duce Montmorancio ad Ambiani obsidionem ductum. Exhibuit & hic Franciscus bellicosum spiritum, ab ipso Duce Regi commendatum: reperit ille & novum ibi spernendi Mundum argumentum, videns amicum, distincti meriti & Nobilitatis Virum, sensim morientem, quin, qui eum consolaretur, ex omnibus haberet unum. Eousque ferbuit ex hoc conceptum fallacis mundi fastidium, ut executionem iter Londinum, quo D. de Mesle de Berzeau Regis ad Reginam Elisabeth Oratorem extraordinarium, suum Cognatum, comitari debuit, unicè distraxerit.

Hic dum Orator Regis negotia curavit, Franciscus animarum saluti incubuit, & Dominum, seu Patronum Domûs, in qua eum degere obtigit, tum verbo tum exemplo ad veram fidem convertit. In regressu Parisios parem conversionis fructum in Domina de Feuquiere, Matertera, Calviniana secta imbutâ variè quæsivit, congenita autem mulieri pertinacia spiritui erroris conjuncta conatum reddidit inutilem. Seposuit pro tempore alienæ salutis negotia, & propriam prius curare statuit. Cautior in hoc incessurus, à celebri Sorbonæ Doctore Duvallio, & ex Ecclesiæ purpura notissimo P. Berullo, Generali Oratorii Superiore consilia requisivit, & inter sæculi tumultum operibus solitariæ vitæ vacavit. Displicuit hæc Matri, & cum ea, quæ ob eximias dotes cor Francisci semper profundiùs vulnerabat, thoralis societatis fœdus tandem concludi institit. Alienum ab hoc dum ejus animum conspexit, & Capucinum Institutum ab ipso electum audivit, furore, qui post duriora verba in lacrymas solvebatur, amoris pacta ursit. Mansit intrepidus inter frementis & plorantis Matris impetus Filius, protractamque cum pietate naturæ pugnam Fr. Benedictus Canfeldensis finivit, Franciscum ad Conventum Aurelianensem mittens, ubi secundo Februarii 1699. sacro Habitu fuit indutus, nomine Francisci in illud Josephi commutato. Lachrymas usque ad thronum Regis novitate perculsa portavit Mater, & obtinuit, ut Filium sibi restitui mandaret. Tulit illa ipsa Aurelianum regias litteras Domino Procuratore Generali regio sociata. Has æquè, ac minas & lachrymas dum inutiles in Filio vidit, irritatum animum succedanea virtute ad quietem composuit, nec aliud à Fratribus requisivit, quàm ut Parisiis in Conventu S. Honorati Filio vota sua Deo nuncupare daretur. Quod & inter P. Angeli Jojosæi manus præsente Matre fuit factum, Cœlo in uno sacrificio duo mirante; uno, quo Filius se obtulit Deo per Matrem, & altero, quo Mater se obtulit per Filium.

Diu ne Provincia perspectæ virtutis fructu careret, Josephum studio Theologico Carnuti, ubi & primitias sui Zeli in celebri Hugenotico Ministro, ad veram Dei Ecclesiam converso dedit, addixit, & post Philosophiæ lecturam, ac Novitiorum Magisterium, Guardianum Conventûs Bituricensis constituit. Suscepit obedienter Fratrum gubernium, Missiones tamen & Conciones non omisit, præsertim dum collectum earum fructum vidit tum in pœnitentia populi, tum in Conventuum constructione mirabilem.

Missus Cainovum non tam, ut Fratres ibi regeret, quàm Eleonoram Borboniam, Antonii Regis Navarræ Sororem &c. Fontis Ebraldi Abbatissam in consilio reformandi Ordinis juvaret. Historiam ut Lector è fundo capiat, & gloriam Josephi perfectiùs ex ea metiri queat, notare debet, quod, postquam Antonia Aurelianensis, Henrici primi Ducis Longavillæ Soror, & Vidua Caroli de Gondy, Marchionis de Bell' Isle &c. jam anno 1599. dejecto ad pedes Crucifixi sæculi fastu & Aulæ pompa ad Moniales, quas *Fevillantines* vocant, Tolosam secessisset, & ibi per quinque annos inter eas vitam in Christo absconditam duxisset, Coadjutrix Fontis Ebraldi ad nominationem Regis Henrici, Bullâ Pontificiâ fuerit declarata. De quiete recessûs ad strepitum Monastici gubernii se vocari, Antonia non nisi plorans audivit; diu autem reluctari non licuit, cum per alias Pauli V. litteras Monasterium Fontebraldense adire, & gubernium ejus ob Materteram ex senio minùs regiminis capacem suscipere sub pœna excommunicationis juberetur. Terruit Ecclesiæ fulmen, ivit victima obedientiæ, & gemuit eò acerbiùs, quò certiùs ejus in regimine successionem parti Monialium non acceptam esse calleret. Confortavit gementem divina Providentia, dum Josephum ad consilia misit, ex reformatione in Monasterium Monialium *de Haute Bruiere*, cujus disciplinam libertas temporis, & infelicitas belli

haud parum relaxaverant, feliciter inducta, ubique commendatum. Mansit Principissa Antonia in Monasterio, quin munus Coadjutricis, Communitate 200. Monialium in partes scissâ, assumeret; hinc vocatus Josephus ab Abbatissa, seriò cum Antonia agendum esse duxit, & per litteras, Abbatissâ & Antonia inscia, Papæ, Regi & Parlamento scriptas effecit, ut hæc munus Coadjutricis indilatè assumere, & Habitum Monasterii induere cogeretur. Cumque & omnia Antoniæ gravamina à consiliis, quibus duo Religiosi continuò, illius Tolosam regressum necessarium suadebant, & facilem adulabantur, scaturire fundatè nosset, per litteras regias, quas *de Cachet* appellant, eorum regressum Tolosam evicit, non attento, quod unus eorum Antoniæ à confessionibus esset. Omni jam obice anno 1607. semoto, reformatio Monasterii incepta, & ita feliciter intra 3. dierum spatium perfecta est, ut abusus Regularis Observantiæ sublati, & antiquus Ordinis decor fuerit restitutus: nec ulla reperiretur Monialium, quæ Coadjutricem non agnosceret. Redivivum spiritûs florem inter muros Fontebraldenses arctari hæc noluit, sed per encyclicas litteras omnibus Ordinis sui Superiorissis eundem in suis Monasteriis renovari præscripsit: Gallia autem, dum hoc opus personuit, illud prodigium Josephi laudavit, nomenque Reformatoris ei apposuit, hocce adhuc tempore ibi venerandum. Vertit hic postmodum zelum suæ virtutis ad Civitatem Samuriensem, in qua iniquitas clamavit ad cœlum, & scandala cum libertate viguerunt, Primipilis Civitatis sectâ Hugenotica depravatis. Cloacam hanc malorum ut purgaret, instituit Missionem eo effectu, ut depressa vera Religio primævum adipisceretur vigorem, ad sinum Ecclesiæ, à qua deflexerant, plurimi redirent, & delicias Civitatis decoraret ordo charitatis, fotus libro devotionis ab illo typis dato.

Vix autem Cainovum rediit, ad Fontem Ebraldum nova honoris scena eum vocavit. Nullum Jurisdictionis Fontebraldensis Monasterium miserias civilis belli in tanto pondere sensit, ac illud, quod *l'Encloitre* vocant: fuere enim Moniales coactæ Sanctuarium linquere, confusione rerum omnium squallidum, & à Parentibus asylum virginitatis & vitæ petere: rediêre quidem pace conclusâ ad muros; at, cum in plurimis earum libertas mundi spiritum religiosæ vitæ haud parum minuisset, ad hunc restaurandum potentiore medio opus fuisse facile conjici potest. Tentavit plura Abbatissa Eleonora, optimum invênit in Josepho, pro quo & ipsa noviter eò missa Encloiterrensis Superiorissa, Domina de Harleux, rogavit. Gavisus est ille, dum in confuso hoc Monasterii statu, jamdudum à se conceptæ Congregationis Calvarii basin latêre advertit: volavit anno 1609. ad reformationis opus, quod durioris pietatis exercitio fortiter incepit & gloriosiùs perfecit. Non horruêre rigorem Moniales, dum novi templi columnas se destinatas esse præsciverunt. Stupuit etiam operis effectum Domina Joanna Guichard de Bourbon, Abbatissa Monasterii SS. Trinitatis Pictavii, nonnisi paucis horis à Monasterio Encloiterrensi distantis, ac, sicut & illa aurum Religiosæ consuetudinis obfuscatum deflevit, ita & Josephi labore hoc purgari rogavit. Ivit & illuc, & vota Abbatissæ complevit, dum indicta decendiorum exercitiorum devotione, corda Monialium ita mutavit, ut reformationi se dociles subiicerent. De actis Monasterii Encloiterrensis rationem redditurus, Antoniam Coadjutricem convênit, anno 1610. Parisios ad Capitulum se contulit, finitoque jam Guardianatûs officio, solertiore studio animarum saluti incumbere incepit: dumque stationem suam ibi longiorem fore autumavit, ad Provinciam Turonensem redire debuit, à 3. Principissis per Cardinalem Jujosæum, Ordinis Protectorem petitus. Hæsit, dum ibi Antoniæ Principissæ asturæ pietatis acta percepit; hæc enim, cum munus Coadjutricis nonnisi formidine censuræ acceptâsset, secretis litteris Summum Pontificem de sui statûs desolatione instruxit, & ad Tolosanas *Fevillantines* remitti rogavit. Examen rationum remisit Papa altefati Cardinalis judicio, & Antoniam Tolosam remittere ejus arbitrio reliquit. Rationes dum Subdelegatus Doctor Sorbonæ justas invênit, reditum ei negari non posse decidit. Læta de hoc nuntio Antonia vocavit Josephum de hoc nec somniantem, & dum se voti sui compotem factam esse retulit, ille par pari sibi relatum esse inter se cogitavit, & gaudium in ficto gratulationis officio expressit; Verè enim Fontem Ebraldum Antoniâ privari doluit, & adhuc solâ Abbatissæ morte, quam vicinam supposuit, mutationem consilii in Antonia & viduum officium Abbatissæ ab ea acceptandum esse speravit. Successit mors illius, & stetit hæc in verbo suo immobilis. Hinc de alea futuræ electionis agitatus Josephus Armandum, Episcopum tunc Luconiensem, & postea S. R. E. Cardinalem de Richelieu in Prioratu *des Roches* à Ponte Ebraldo parum dissito degentem accessit, captaturus, quæ meliora essent, regulandæ electionis consilia. Icto inter duos hosce Viros amicitiæ fœdere, quod fasces Imperii Gallici diu rotavit, collatoque inter se de re Fontis Ebraldi consilio mortem Eleonoræ Borboniæ, sicut & renuntiationem Principissæ Antoniæ personalea Reginæ Franciæ nuntiârunt, quæ & litteris hujus jam præventa, Monialibus liberam electionem, ex gratia quidem speciali, conditione tamen, ut illa nonnisi Episcopo Armando, & Josepho præsentibus institueretur, concessit. Ludovica de Lavedan, quam Josephus meliorem & noverat, & commendaverat, glorioso voto Abbatissa proclamata fuit; quam & Regina confirmavit, data Principissæ Antoniæ plenâ optione, vel munus Coadjutricis servandi, vel ad aliud Ordinis Monasterium pro libitu secedendi. Regina quidem, ut sibi Dilectam haberet vicinam, Monasterium S. Magdalenæ ab Aureliano parum distans ei proposuit, Antonia tamen consilio & voto Josephi, & Monialium accessura, illud *de l'Encloitre*, ubi spiritus paupertatis ob angustum censum usque ad horrorem viguit, selegit: ad quod, & Ducissâ de Reta Cognata, Episcopo Luconiensi, & Josepho comitantibus, fuit perducta. Illico in ejus appulsu patefactum est mysterium Ordinis Calvarii erigendi, illudque per Monasteria Ordinis vulgatum eo effectu, ut plures Moniales ad novæ reformationis transitum se resolverent. Anno 1611. ad finem declinante, Josephus Turonam se contulit, & dum ibi sub lege Superioris vivere optavit, se ad Definitoratum, & successivè ad Vicariatum, & Ministerium Provinciæ, nonnisi 13. vel 14. Religionis annos adhuc numerans, promotum conspexit. Rarum sicut fuit electionis exemplum, ita regimen fuit conceptæ ex ejus virtute spei conforme. Samurio Cainovum anno 1615. pergens, in Ædibùs Domini Blanchard Canonici hospitabatur, &, dum eum dormientem crediderant, ad fores Ecclesiæ S. Martini *de Candé* oravit. Mirum quid ibi contigisse omnes intulerunt ex scheda & nota, post mortem ejus reperta, in qua tamen mysterium penetrari nequibat, cum nonnisi majore littera expressum legatur *id, quod contigit ad sepulchrum S. Martini de Candè.* Curæ Fratrum & Provinciæ dum assiduo zelo intendit, laboravit simul cum Antonia pro Fontebraldensi reformatione, ut *cœpta temporis languescerent spatio*: & ut citiore assurgeret effectu opus, novam à Paulo V. obtinuit Bullam, qua Antonia ea forma, qua id tempore Eleonoræ factum fuit, Coadjutrix Ludovicæ de Lavedan fuit constituta, simulque cum Abbatissa Superiorissas pro arbitrio eligendi, & seminarium pro iis, quæ rigidioris vitæ formam ambirent, erigendi facultas concessa. Oportunius ad hunc Seminarii finem censuit Josephus Monasterium Encloitrense; vixque illius fuit nota institutio, illico Novitiis, & Monialibus ab omni

parte

parte confluentibus repletum est. Eousque etiam fervor, & pietas quarumdam processit, ut rigore reformationis non contentæ, S. Benedicti regulam in sua littera puram, & merito austeritatis novæ duntaxat adauctam observare se velle declararent: cautè tamen, & nonnisi cum consilio Episcopi Luconiensis, quem actionum suarum polum jam fixerat, incedendum esse Josephus censuit. Cumque eundem fervorem in omnibus non vigere nosceret, medio separationis proposito consulere statuit: Eapropter pro licentia Monasterium, in quo zelantes Filiæ cum Antonia sub arctioris vitæ disciplina viverent, in sua Diœcesi Antistiti Pictaviensi supplicavit, qui & eâ benevolentia, qua ad preces ejusdem Josephi constructionem Conventûs Fratrum jam concesserat, suum præbuit consensum. Non deerant tamen, quæ executionem tardabant, obstacula, non quidem ex parte sitûs, cum Magistratus hunc in Colle libenter assignaverit, tum intentioni Antoniæ, tum nomini instituti, quod à Calvario habere debebat, accomodatum. Opus & labor fuit novam Bullam, vi cujus Antonia Ordinem & Habitum Fontebraldensem deponere posset, evincendi, cum duratio novi Ordinis supponi non potuerit, si independentia à Monasterio Fontebraldense non præcederet. Transitûs quidem licentiam pro Antonia Josephus ab Abbatissa jam obtinuerat, ubi autem de Domo à jurisdictione Fontebraldense secanda agebatur, tam facilè de annutu præsumi non potuit. Vivax Josephi spiritus, sicut obstacula prævidit, ita illa non horruit; hinc sub spe & Bullam & consensum obtinendi, jam anno 1614. primam Monasterii petram posuit. Pace interim tempori per bella civilia turbato non sine operario Josephi concursu anno 1615. restitutâ, Romanam iter 1616. aggressus, & feliciter absolvit, ubi & Summo Pontifici literas Principis Condensis porrexit, initæ pacis articulos exposuit, & tria alia puncta, quæ animum ejus jam diù obruebant, commendavit: Primo, ut pro extirpatione hæreseos in Francia stabiliatur Missio: Secundo, ut pro conversione Orientis erigatur inter Principes Christianos *Cruciata*: Tertio, ut Ordo Calvarii, seu Piliarum Crucifixionis Apostolica confirmatione muniatur. Ad quæ Sanctitas Sua gratiosè consensit, primò permittendo, ut Missio à Fratribus Pictavii institueretur, & hi amplis privilegiis gauderent: Secundò, ut litteræ Pontificiæ expedirentur, & Imperator, Reges Galliæ, Hispaniæ, & Poloniæ, necnon Principes Catholici ad armorum unionem animarentur: Tertiò, adpromisit Bullam, qua Antoniæ Ordinem Pictavii inceptum ingrediendi, Habitumque Fontebraldensem mutandi, nec non aliis ejusdem Ordinis Monasteriis Angeriaci, Lavalli &c. construendi concederetur facultas. Durum quidem Josepho videbatur Romam, quam suæ commissioni & precibus tam propitiam reperit, linquere, calcar tamen discessûs adjecit ipsa, quæ eum pressit, concessorum executio. Valedixit inde Amicis 10. Martii 1617. & antequam attigerat Galliam, poemate Latino, quod *Turciadem* appellavit, Principes Christianos ad arma invitavit, media vitæ & felicis expeditionis suggessit, se datâ Aulæ Regiæ suæ commissionis relatione, stabilitaque in Capitulo Aurelianensi Missionis Pictavii gerendæ methodo, properavit ad Monasterium Encloiterrense, ubi actis agendis, Antoniam cum 24. Monialibus eduxit, & in novo Pictavii Monasterio collocavit, fabricâ licèt ad perfectionem non deductâ.

Vix gloria captæ possessionis in Fontebraldensi personnit Monasterio, factus est motus & protestatio contra novam Domum, utpote authoritatem Abbatissæ lædentem, & ejus jura coarctantem. Eoipsò, quod causa fuerit tracta ad Forum, & ab ipso Rege, Carolo de Sourdis, Archiepiscopo Burdigalensi remissa, exitus ejus tam citò sperari non potuit. Hinc institutione Missionis supradictæ, cujus Præfectus Josephus erat constitutus, imminente, Turonum se contulit, ubi & inopinò periculum morbi, quo Antonia conflictabatur, per cursorem percepit. Suspendit illico, quæ ibi cœpta erant, negotia, & accellerato gradu Pictavium repetiit. Vivam ibi non amplius reperit Antoniam; audivit autem ploratum & ululatum magnum, quo novellæ Filiæ Matre sua se orbatas, causamque suæ fundationis jam perditam conquerebantur. Spiritu magnanimo, panico metu dejectas erexit in spem, jacturamque Matris, aliis cæli donis compensandam esse prædixit: vulnus quidem novi Calvarii coloniæ ex morte Principissæ Antoniæ illatum esse, justo suspirio fassus est, in Divinæ Providentiæ thesauro tamen antidotum, quod mederetur, reservatum esse, præsagiit. Leniverunt nonnihil dolorem Filiarum Josephi verba, libentius autem operis sequelâ timorem suum sublatum cupiebant. Dedit hoc in nova Domo Angariaci fundanda; pullulantem adhuc hunc ramum ut impediret nova Fontebraldensis Abbatissa, nihil intentatum reliquit, &, ut id sequeretur potentiùs, ipsam nascentem Ordinis arborem è radice evellere moliebatur, tum ordinando, ut defunctis Monialibus aliæ non subrogarentur, tum præcipiendo, ut puellæ ad Monasterium novum ituræ à via violenter abducerentur.

Informata Regina de violentia, quâ opus Dei & Ecclesiæ impetebatur, Abbatissæ per litteras litis & oppositionis finem jussit. Victam hæc dedit manum regio monito, & consensum suum scriptâ fide firmavit. Sortem hujus eventûs sequebatur & illico nova Ordinis gloria; ipsa enim Regina, quam tunc Angariaci cunctari contigit, non solùm titulum Fundatricis in se suscepit, sed & Crucem in loco fabricæ plantavit. Affectum Reginæ novo Ordini tam propensum Josephus dum vidit, pro alia ejus Domo in Civitate Parisiensi construenda rogavit: eo die & propositio fuit acceptata, executio subscripta, & Palatium Luxemburgense pro situ selectum. Solutas ita se à Dominatu Fontebraldensi Filiæ Calvarii videntes exultârunt in spiritu, & austerioris Regulæ observantiam, solemni voto inter manus Fr. Josephi emisso, Deo spoponderunt. Gaudium complevit Bulla Gregorii XV. eo ipso tempore accepta, & sub 21. Martii 1622. emanata, qua Monasteria, Parisiense, Angariacense, Pictaviense, & alia quæque fundanda in Congregationem Ord. S. Benedicti, sub titulo B. Virginis de Calvario, & sub directione trium Superiorum in Ecclesiastica dignitate constitutorum erigebantur. Necdum tamen ab opere Josephus quievit, eam, corruptæ naturæ nostræ conditionem esse noscens, ut à primo fervore facilè deflectat; hinc, ut spiritum Ordinis servaret illibatum, secundum in Civitate Parisiensi Monasterium, in quo Directrix Generalis cum Monialibus provectioris ætatis, & pro illæso regulę cultu zelantibus resideret, construendum esse censuit: voto quoque illico successit effectus, situs in platea *Marais du temple* vocitata, ære Congregationis communi emptus, & fabrica expensis Regis, Cardinalis de Richelieu, & Dominæ de Combalet, postea Ducissæ d' Aiguillon absoluta. Voluit quoque Josephus, ut, ubi alterum Parisiense ad honorem & imitationem mysterii Compassionis B. Virginis fuit erectum, hoc Crucifixionis nomine ab illo discerneretur; hinc & ibi diu noctuque ad pedes Crucis oratio continuatur, ut offensæ, quibus Arbor vitæ à peccatoribus injuriatur, hac specie devotionis reparentur. Texnerat quidem Josephus jam priùs quædam statuta, quibus ceu sepe custodiam regulæ cinxerat: sicut autem negotia Statûs ea ad perfectionem extendi impediverant, ita liberiore tempore habito, Constitutiones firmavit, in qua prudentia & sanctitas sibi invicem obviant, & quæ adhuc hodiedum in Congregatione sine alterationis

vitio servantur, jam in suo principio, ceu opus consummatæ prudentiæ à Viris in ascesi illustribus encomiatæ; exceptæ ex D. Benedicti Regula, & ita fragili sexui accomodatæ, ut spiritum rigoris leniat in iis judicium charitatis.

Ultra ea, quæ hic calamo velociter scribentis adducta sunt, plura alia à Josepho pro hac sua Prole acta fuisse facilè concludet Lector; & non parum id probant tum litteræ encyclicæ ad Congregationem datæ, tum aliæ quasi infinitæ Monialibus particularibus inscriptæ, tum cumulus manuscriptorum, quæ in Monasterio Calvarii asservantur, & inter quæ 400. exhortationes continentur; tum tractatus devotionis partim juxta notam nostræ Scriptorum Bibliothecæ typis cusi, partim adhuc in charta servati.

Tam feliciter dum Josephus pro Ecclesiæ decore laboravit, non minus gloriosè in Aula, ad quam justissimus Rex Ludovicus XIII. eum vocavit, egit. Eum se immiscere negotiis Sæcularium & Regum, multis dissonum videbatur, tum, quod exempla Ecclesiasticorum & Regularium, qui habenas regnorum flexerunt, pacta inter Principes concluserunt, aut belli sortem instruxerunt, ex historia Ecclesiæ in memoriam non revocaverint, tum, quod ab hujusmodi viris plus utilitatis Ecclesiæ, dum in Aula degunt, quàm si inter privatos lares habitant, aliquoties conferri posse fors ignoraverint. Tot commoda, quæ partim relata sunt, partim referentur, à Josepho Ecclesia nacta non fuisset, si inter penates religiosæ quietis mansisset: nec Missionibus Orientis, & Provinciæ, nec tot Conventuum fabricis necessario ære providere potuisset, si accessum ad Regem liberum non habuisset. Juliodunum fuit primus campus, in quo Josephus anno 1614. negotium Aulæ in se suscepit, ita tamen, ut Galliam à schismate exemerit, & Sanctæ Sedis authoritatem sartam tectam servaverit. Scissum fuit regnum in partes, dum Principes alii gubernium Reginæ variâ querelâ impetiverunt, alii autem matrimonium Regis cum Infante Hispaniæ, & Sororis Regis, cum Rege Catholico impedire quæsiverunt, accenso jam igni Hugenotica turbâ, quæ ex duplici hoc connubio instans sibi præjudicium prævi-derat, oleum affundente.

Sedavit hunc nonnihil tractatus pacis in San-Manechildensi Civitate conclusus; cum autem in Dieta Statûs, in qua abusus Regni emendari debebant, articuli fuerint inserti, & Ecclesiæ, & Regia jura lædentes, cœpit anno 1615. impetuosa flamma in publicum exitium, &, quod ratio concedere non potuit, Principum armis quæsitum fuit. Eo ipso tempore, cum Josephus Conventum S. Maxentii visitâsset, accessit Principem Condæum, partis contrariæ antesignanum, eidemque funestum malorum nexum, quem belli & prætensionis prosecutio Regno minitarentur, ita graphicè descripsit, ut & in eo stringentem dicendi facondiam miraretur, & adjicienda pacis pacta se promptum declararet. Nuntiatum est hoc Regi, Juliodunum locus congressûs destinatus, & ad hunc Josephus urgente Apostolico Nuntio *Ubaldini*, qui subdolè adhuc agi exploraverat, ablegatus. Suspirio illum ibi excepit Abbas d'*Aumale*, rerum Nuntii Apostolici Curator, & tractatum, quo Gallia pari cum Anglia schismate cum sancta Sede consectariò divideretur, signatum jam esse ingemuit. Signatum duntaxat, & non vulgatum dum Josephus audivit, dejectum reassumpsit animum, post variosque politicos gyros accessit Condæum, à quo dum articulum, in quo præjudicii axis hærebat, mutari amplius non posse audivit, rem non amplius ab hominis ingenio, sed à Deo pendere intulit. Fecit & hic potentiam in brachio suo, dum Principem morbo, vitæ periculum minitante dejecit. Imago mortis refricavit in Principe memoriam illorum, quæ Josephus vatidica & christiana libertate secutura prædixerat; hinc & illum, Julioduno jam egressum, revocari jussit, pacem à controversa conditione puram adpromisit, Sociosque, utut reluctantes, ad eam signandam induxit. Comparavit sibi ex hac Josephus ingens de Ecclesia meritum, totumque Regnum de sublato durioris belli timore liberavit. Illam quidem opus Ducis de Villeroy esse multi autumabant; hinc & illum in suburbio Parisiensi festiva acclamatione exceperunt, quam tamen non sibi, sed P. Josepho, mox adventuro, deberi Dux justus censor edixit. Abduxit & Scriptores in parem errorem vel ignorantia vel invidia, dum historiam referunt, omisso Josephi nomine. Potentem autem illius ad hanc concursum probant luculenter tum ipsa ipsius Romam cum articulis pacis legatio, tum Pontificia ad Condæas litteras supra fol. 48. data responsio.

Pacis alcyonâ tam feliciter restitutâ, Josephus hæresi bellum famigeratâ Pictaviensi Missione indixit. Recensere portentosa hujus acta hic nolo, cum tam integer liber gallico idiomate conscriptus, quàm tertius Annalium tomus à fol. 242. gloriam ejus enarrent. Et quantumvis Josephum iter in Hispaniam, quò anno 1619. eum ire oportuit, ab Apostolico labore abstraxerit, hunc tamen per socios suos tam feliciter produxit, ut inde reducem acclamans populi devotio, ceu Apostolum illum exceperit, fructumque ipsius non solùm Summus Pontifex, & Sacra Congregatio de Propaganda Fide litteris gratulationis commendaverint, sed & ipse Pater Josephus epistola ad Matrem data ita descripserit: *Numerus Ministrorum & Acatholicorum ad fidem in Missione Pictavii instituta conversorum specificari non potest. Missionarios sequitur populus, haud aliter, ac olim in Ecclesiæ ortu cum Apostolis factum legitur: ante sex menses in quodam Burgo nec unus reperiebatur catholicus, ubi heri tredecim millia communicantium numerabantur. Unus ex Patribus nostris in loco, qui Capucinos nunquam recipere voluit, habita in Festo Paschatis concione, pietate Incolarum compulsus fuit eos processionaliter ad B. Virginem* dea Ardilliera *Samurii, ubi magna illius Ditionis viget devotio, conducere. Omnes Missionarii mecum populum hunc, canticum Domini in via cantantem sociârunt, quem ad quindecim millia se extendisse teneo. Tribus diebus, tum in Civitate, tum in vicinia mansimus: gavisus est populus, dum me reducem vidit: gavisus sum & ego, dum fructum mearum concionum ibi tempore, quo Conventûs fundatio urgebatur, à me habitarum conspexi. Ministri contumaces aliud jam nobis objicere nequeunt, quàm quod simus incantatores, &, quod in his, quæ operamur, magia lateat. Deo autem sint gratiæ, quod eorum calumniæ nobis non noceant; oramus pro iis, &, quod obstinati exemplum aliorum quoque sint secturi, speramus. Dum abivi de Missione, à me per Ministrorum suorum suadam Religionem mutatam, vel me in eorum Templo Rupellæ concionantem visum esse, vel vita functum sparserunt. Prævenire D. Matrem volui contra rumorem de me vulgatum, ut, si talium vox personet, inde non turbetur; sub protectione Dei, cujus opus facio, consisto, nec timeo homines, dum pro illius gloria (indignus licèt) laboro. Duplicem exin colligo fructum, animas videlicet ad illius cultum ducendo, & subditum Regis in respectu, amore, & obedientia, quam sua Majestati debet, confirmando. Nemini graves sumus, cum providentia Dei ita nobis consulat, ut & ipsi nos extraordinariâ eleemosyna pauperi succurrere possimus &c.* Resonans continuò Romæ insignis hujus fructûs fama induxit Papam, ut Missiones hujusmodi non solùm in partibus Infidelium erigi, & Ordinum Religiosorum Generalibus juventutem ad Missiones aptari mandaverit, sed & Regi Chri-

stia-

stianissimo, ut Capucinos Gallos, ad partes Thraciæ, & sub P. Josephi cura ablegaret, eosque Oratorum & Consulum suorum protectioni commendaret, efficaciùs scripserit.

Evangelicum baculum, & peram Capucinorum convertendo populo feroci imparem esse probè noverat Josephus; hinc potentiam armorum ceu medium necessarium judicans, erectionem Cruciatę supradictæ disponere cœpit, nec etiam duntaxat Regem, Cæsarem, Hispaniam, Poloniam, Sabaudiam, Venetias, & plures Galliæ & Germaniæ Principes, ad eam pronos reperit, verùm etiam ex factione, quæ Ottomanum Imperium tum ob mortem Osmani, depositionem Mustaphæ, & exaltationem Amuratis ad Solium, violenter agitaverat, tempus optimum tenuit; hinc varios tractatus tum de dispositionibus belli contra Turcam, tum de instructione pro Principibus, tum de commodo iis ex hac expeditione accrescente, tum de misero statu Christianorum in captivitate gementium, & modo illos ex hac liberandi, tum de institutione militiæ Christianæ, ejusque stabiliendæ & conservandæ, à se dispositos hinc inde dispensavit.

Fervente tam feliciter initio, opus Ordine Militiæ Christianæ, quæ sub Magistro electivo ex Nobilitate Catholicarum Nationum constituta à Sancta Sede immediatè dependeret, & tum pro Reipublicæ Catholicæ incremento, tum pro gementis Christiani è mancipatu Turcarum liberatione gladium stringeret, facilitare cœpit. Carolus Gonzaga, Niverni Dux, sicut zelo dilatandæ fidei singulariter ardebat, ita operi socias opes indilatè adjunxit. Fuit Niverni Cathedralis gloriosum illud theatrum, in quo anno 1619. Josephus à congregata Nobilitate juramentum excepit, hancque promisso ad duos annos exercitûs stipendio, & Evangelico sermone ita animavit, ut sanguis in venis nonnisi ad prædas, & cædes Turcarum ebulliret. Hoc eodem tempore Olomucii Adolphus Comes d'Althan idem sancivit fœdus, & Principem Radzevil, Polonum, Ducem Saxo-Lavenburgensem &c. eidem univit, Capucinis hinc inde Nobilitatem ad societatem Militię stimulantibus. Machina dum vix non perfecta credebatur, Sathan dejecit eam, tum inter Principes ipsos semina discordiæ spargendo, tum Germaniam ex prætensa à Friderico, Palatino Electore, Bohemiæ corona, cruento bello implicando. Similem Davidi se Josephus ingemuit, dum templum, pro quo materialia jam congesserat, perficere sibi datum non fuit, alteri gloriam hanc asservatam esse, confuso cum dolore solatio conclusit.

Ubi bellum Domini inter inimicorum cuneos præliari non potuit, pacis opus in Aula Regia assumpsit; irritato animo Regina mortem Marechalli *d'Ancre*, sicut & Ministrorum ab illa depositorum regressum ad gubernii partes suspexit; ne tamen motum excitare posset, Blessium ex instinctu Caroli d'Albert, Ducis *de Luynes*, primum Aulæ Ministrum tunc agentis, secedere debuit. Armandus Episcopus Luconiensis, cujus fidei Regina, secreta sua consilia commiserat, jungebatur itineris socius, ut ab Aula remotus consilia Ducis penetrare minus posset. Regina Blessii cunctari noluit, Lochium priùs, & dein Inculismam secessit, Armando ordine regio Avenionem relegato. Præsagiit Aula axin certa mala; hinc Duci ad tetram, quæ agglomerabatur, nubem dissipandam, consilio P. Berulli, Superioris Generalis Presbyterorum Oratorii, & postmodum S. R. E. Cardinalis, & Josephi uti suasum est, qui Reginam, de Regis erga eam affectu, per Decanum Cathedralis Luconiensis *de la Cochere*, intimum Armandi Amicum, monendam esse statuêre. Rex dum id ratihabuit, Josephus reditum Armandi ad Reginam callidè hoc medio effecit. Beneficium ut beneficio hic alternaret, sub prætextu, quod consilia Reginæ ab eo danda possent aliquoties esse suspecta, cursum negotiationis alteri, à quo tamen ille communionem rerum sperare posset, committi suasit. Selegit Rex Josephum, & ad Reginam ablegavit, tam felici opere, ut Turonæ hæc Regem conveniret, & utrinque pacem inter se stabilirent.

Rupit hujus vinculum post breve tempus novum schisma Regem inter & Reginam Matrem obortum; cum enim Rex ducis Luynes potentiam non arctaret, hic verò artem simulandæ ambitionis non calleret, Principemque Condæum, quem Regina tempore sui gubernii in castro Vincennę detineri jusserat, assensu vel dissensu hujus non expectato, libertati restituisset, ac edictum, quo Regina se non amplius tutam credidit, vulgâsset, hæc irritatos jam alios Principes ad partes suas traxit, & non tantùm publico edicto authores discordiæ castigavit, sed & eos à Consilio & Aula, ceu Statûs inimicos alienari, à Rege poposcit.

Timere cœpit Dux Luynes eandem cum Marechallo *d'Ancre* sortem, & publici odii Ministrum cum ruina Regni à Rege non protectum iri ab amicis variè audiit: hinc auctoritatem potentiæ in cogitationes pacis convertit, & ad hanc firmandam operâ Josephi, quem Reginæ & Episcopo Luconiensi dilectum, & ab Inculismensia pacis exemplo habilem noverat, uti decreverat. Regio jussu Josephus Angeriaci Reginam accessit, eamque ad regios Deputatos recipiendos induxit. Dum hi articulos novæ pacis formârunt, Rex militem suum Angeriacum versùs duxit, ubi & illam conclusam audivit. Cum tamen illico ac erat signata, Regi non fuisset allata, agmen Reginæ ad pontem Cęsaris, vel *Cé* invadi jussit. Exacerbavit Reginam strages militi sub, signato jam pacis pacto, inflicta; & consilia vindictæ ut exequeretur Pictavium, Angeriaco in victimam hostis relicto, secedere statuit. Inceperat jam ejulatus mulierum exeuntium catastrophen, dum Josephus Reginæ capti consilii perniciem sociâ Episcopi Luconiensis operatione demonstravit, tam feliciter, ut jussa tradendæ Civitatis revocaverit, gemitus populi in vocem laudis, qua Josephus *Salvator Angeriaci* prædicabatur, fuerit mutatus, negotiatio pacis & regiæ unionis reassumpta, conclusa, & Brissaci inter mutuos Regis & Reginæ amplexus confirmata.

De gloria, quæ ex tam fausto successu Authori debebatur, Josephus nihil sibi retinuit, totum in Episcopum rejecit, eumque Ecclesiæ purpurâ dignum, Duci Luynio commendavit. Aulæ Minister promisit quidem officia sua, seriò tamen illa non fuisse impensa, regia Archiepiscopi Tolosani in Cardinalem prænominatio probavit. Simulavit hunc abortum Josephus, & sicut extirpatio hæreseos fuit semper principalior actionum suarum finis, ita cum Luynio desuper iteratò egit, & in præsentia Cardinalis de Retz, Nuntii Apostolici, & aliorum tum enormem hæreticorum audaciam, qui in sinu Monarchiæ speciem Reipublicæ independentis formarent, tum planctus & preces Episcoporum, & Cleri Bearniensis, qui restitutionem bonorum à Regina Joanna *d'Albret* direptorum urgerent, tum vacillantem statum, in quo Rex & Regnum ob contractum eorum cum aliis hæreticis fœdus versaretur, longo sermone recensuit. Proposuit Luynius, quem solidum audivit Josephi discursum, Regi, qui & ipse concluso contra Hæreticos bello, misso Pictavium versùs milite, eum approbavit, ac in suo Burdigalæ appulsu, Parlamento Pali Catholicam Fidem & Ecclesiæ bona Bearniæ restitui mandavit. Obedivit dolosa semper iniquitas; vix autem Rex Parisios rediit, Bearnienses & ad vomitum rediisse audivit. Domuit versipelles iterata militis expeditio, & trophæum Catholicæ professionis solidiùs, quàm priùs positum erat, ibi fixit. Cum & Pictavii & Turonii plebis zelus, Huguenotorum

Tem-

Templa solo æquaverit; per Missiones & auctoritatem, qua in Aula Josephus pollebat, privilegia per Edictum Nannetense aliàs sibi concessa, aut demenda, aut limitanda fore timuit, & verè prædixit, nam Samurio Gubernatorem, *Du Blessis Mornay*, qui & alios in errorem abducere, aut in eo nutantes firmare, nativa sua facundia facilè poterat, elongari curavit. Dum & Rex, & locum S. Joannis *d' Angeli*, Montalbani &c. subjugavit, & pertinaciam Hæreticorum armis fregit, Josephus donum fidei Missionibus intulit, & vigili oculo dolis rebellium in Pictaviensi regione, à Rupellę perfidia fotorum attendit. Rediit Rex & anno 1622. Samurium, ubi auditâ Josephi de statu Religionis relatione, reliqua vicina loca suæ obedientiæ subdere decrevit; quod & feliciter successit, &, postquam Rex ipse Apostolico Josephi labori se plurimùm debere fassus est, hunc ab eo tempore, quo Monspellium obsideret, continuari monuit: Armandus autem, per officia Reginę Sacro Cardinalium Collegio à Gregorio XV. adscriptus, illum expeditis negotiis ad Aulam Regis vocavit. A' latere Cardinalis non amplius fuisset divisus, ni Capitulum Aureliani 1623. celebratum adire debuisset. Nunquam tuta virtus insigni hic in Josepho fuit lacessita calumniâ: invidia enim doctrinæ non sanæ in suo Orationis mentalis libro accusavit: at innocentem tum Sorbonæ censura, tum collatio Provincialatûs declarârunt. Tempore, quo Fratres visitavit, adivit & Missionis loca, ac Neophytos in fide confirmavit. Viribus ita fractus, ut iter Romanum, quod incumbebat, pedester facere vix posset, convocavit Capitulum, ut Magistratu Provinciæ se abdicaret; Fratres autem ut votis accederent, obtinere non potuit. Ad finem Capituli epistola ei allata est, qua Cardinalis de Richelieu se Primum Ministrum ad preces Reginæ à Rege nominatum esse illi intimavit, eumque ad iter Parisios accellerandum sollicitavit. Per menses cum Cardinale egit, & varia commissione circa Ducem Sabaudiæ, & negotium Vallis Tellinæ instructus Romam discessit.

Temporis perditio foret referre honores, quibus hæc notas sibi dudum Josephi dotes ubique cumulavit: meruit & hanc distinctionem ipsum grave Missionum in Oriente, & partibus infidelium instituendarum negotium, quod tum prudentia, quam literæ Pontificiæ fol. 49. relatæ eximio commendant elogio, tum fructu, quem Ecclesia Sancta Dei adhuc hodiedum percipit, ad finem suum perduxit, ita ut sine contradictione nomen Fundatoris Missionum nostrarum Orientis, Canadæ &c. Josepho debeatur. Liber accessus ad Papam tunc Urbanum VIII. bina vice hebdomadatim ei fuit concessus, cum æquè comitas sui sermonis, ac pondus rerum tractandarum. conversationem ejus volupem, ac necessariam reddiderit. Infelicem Ordinis militiæ Christianæ successum, dum Papa semel movit, ejusque rationes exquisivit, eas Josephus amplè deduxit, simulque poema suum, *Turriada* vocitatum, ei obtulit. Tanti id fecit Papa, major sui temporis poeta, ut Æneadas Christianas illud nominaret, & in laudem Authoris versus quosdam caneret, Pontificiis operibus insertos. Vota ad Ordinis officia in Capitulo non tulit, cum eum Pontificio consensu consiliis & usui primi Galliæ Ministri & Cardinalis de Richelieu destinatum esse, Cardinalis Præses Capituli nuntiaverit. Abiit autem repletus Pontificiis donis, gratiis, & indultis, quorum præclariora alii Capucino nunquam obtigerunt. Data in regressu Regi, & Cardinali Ministro actorum suorum ratione, & triennio Ministerii sui expirante, Capitulum anno 1625. convocavit, in quo Ordinis & provinciæ muniis renunciavit, Missionum Orientalium Præfecturâ, quam ejus ad Cardinalem Ministrum recessus impedire non poterat, imò, quæ illarum commoda adaugere debebat, sibi duntaxat reservatâ. Primum, quod Cardinalis Minister ei commiserat negotium fuit illud pertinaci bello complicatæ Vallis Tellinæ, ad quod felici termino tandem concludendum, Orator ad Regem Catholicum Dominus *du Fargis* in Hispaniam ablegatus est. Fuit & signatus ibi tractatus; cum tamen instructioni à Cardinale Ministro & Fr. Josepho datæ minus concordaret, hic illius articulos adeo immutavit, ut laudes à Papa, Regibus Galliæ & Hispaniæ, ac Cardinale Ministro sibi comparaverit immortales. Vertit tandem se, quod ipsi potissimum cordi erat, ad Missionum Orientalium opus; initium ejus fecit emptione hospitiorum, ad quæ Missionarii in via divertere debebant. Et sicut hos ex quibuslibet Conventibus excerpendi liberam habebat facultatem, ita intra breve tempus centum Fratres, qui vexillum Crucis ad ultimas terræ plagas portare, & sanguine Martyrii Evangelium Jesu Christi firmare gestiverant, reperit: quorum aliquos in Græciam, alios in Palestinam, & alios in Armeniam &c. ablegavit. Institit & pro aliis Rex Georgiæ, communionis Catholicæ fidem amplexus, ejusdemque exemplum Chienses, Smirnenses, Aleppenses &c. sunt secuti. Resonante usque ad Thronum Papæ novi fructûs Evangelii famâ, alios Tunesium, Algerium, Cairum, Naxiam &c. dimittere, literis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide jussus est. Evicit & per Regis Christianissimi Oratorem, ut & in ipso Turcæ Imperio in locis, in quibus Franciæ Consules degerent, Missiones, & in ipsa Turcæ residentia Hospitium & Schola pro Juventutis instructione instituerentur. Partem Gallicæ gloriæ cum & Hispaniæ & Italiæ Provinciæ ambirent, Missionarios quoque illuc mittere statuerunt: confusionem Nationum noluit S. Congregatio, ne fructus Evangelii exinde impediretur.

Vix autem primi Missionarii indictam sibi stationem attigerant, sors illos divisit, alii enim in Persiam, alii in Armeniam, alii ad Montem Libani, alii in Babiloniam &c. missi sunt. Iis, quibus Ispahan ire contigit, in Palatio Regis per 20. annos hospitari datum est; mansissent & ibi diutiùs, ni Zelotypia Hollandorum, illos reddidisset suspectos: Emir Phecardin Montis Libani Princeps suos liberalissime charitate fovit, & singulari confidentia tractavit: Patriarcha Maronitarum, Archiepiscopus Hedensis, omnesque Præsules, quos jugum Ottomannæ Ditionis diriùs oppresserat, univerunt se Missionariis, & fructum collegerunt prodigiosum. Usque ad Riones Romanos portavit hujus gloriam Archiepiscopus Naxię, & similes operarios pro Archipelago & Insula Andros sibi dari petiit. Omnes effundebantur in laudem Capucini zeli, dum intra tempus duorum annorum Religionem barbaris aliàs odiosam, tot Turcarum, Schismaticorum, Gentilium, Gręcorum, & Hębreorum conversione propagatam audiverunt. Rex ipse Christianissimus ut felix hoc initium confoveret, Josepho de ęrario suo largas pecuniarum summas, pro sacrę suppellectilis, librorum &c. emptione dispensari pręcepit. Sola invidia opus Dei & Ecclesię, dente maledico momordit, dum sub prętextu Missionum à Gallis unionem cum Turca in aliorum Principum pręjudicium quęri divulgavit. Helleboro laborantium fabulam facilè agnoverunt, qui ęqui veri fuęre ęstimatores. Nec morsus Josephum offendit, sed stimulum continuandi operis ei addidit: quapropter cum Dominus Commendator de Rasilly Marochium ad fędus cum Rege renovandum pergere debuisset, tres Capucinos Comites ei jungi voluit, ut, ubi ille politica curaret, hi in terra, sanguine quinque Minoritarum fœcundata, semen Evangelii spargerent. Infelicem nacta est cursum expeditio, tum ex nativa populi ferocia, qui Dominum de Rasilly cum Officialibus captivum abduxerat, tum ex fama, qua Gallos sub fœderis renovandi motivo, Dominio Portus *Saphi* inhiare vulgatum est. Sinistri &

alii

alii casus Capucinos æquè ac alios socios variis miseriis exposuêre, & compassione cor Josephi ita affecêre, ut ad lytrum centum mille librarum Regi Marochii pro eorum libertate transmittendum Regem induxerit. Capucinis non amplius profuit, cum eos pestis, quæ Marochio stragem sexaginta millium subditorum intulit, cum ipso Rege consumpserit. Insultus, quibus barbara gens Gallo hinc inde illusit, Rex vindicaturus bellum ei indixit, & ad pacis fidem coegit, conditione infertâ, ut in omnibus Regni Marochiani partibus, ubi Consules Galli morarentur liberum Religionis exercitium concederetur, ex utraque parte captivi in libertatem restituerentur, & Capucini absque molestia in Regno Missionem fundare possent. Tractatum ex parte impletum qui legit, Missionem econtra ad effectum deductam non esse non miretur, & consilia Divinæ Providentiæ in spiritu humilitatis adoret.

His in rejectis naturæ plagis ita actis, Cardinalis Minister in regno Galliæ, ad eum eluctatus est gloriæ gradum, ut non nisi cum invidia videretur, & inimici per libellos famosos & calumniis repletos, ejus famam passim lacerarent. Tempestatem exin sibi imminere prævidens, morbum finxit, Regemque, ut onere negotiorum liberum ad ædes *de Limours* dimitteret, instanter rogavit. Sat quietum & ab insidiis tutum se dum nec hîc censuit, Romam usque declinare statuit. Reprobavit sine præscitu suo capta Cardinalis consilia Josephus, & invidiæ ne honorem Regis & proprium sacrificet, nec clamorem populi contra Ministros consuetum apprehendat, consuluit. Successit amico factus sermo, & mutata est recessûs ab aula resolutio. Calumnias dum invidia irritas vidit & elusas, insidias vitæ Cardinali paravit. Inter novem Proceres, quos Dux Aureliani & Marechallus ab Ornano ad suas traxêre partes, conclusa fuit mors Cardinalis, & *Fleury* seu Floriaci, ubi tunc cunctabatur, subsecuta fuisset, ni Josephus tempestivè technas malignantium detexisset, earumque effectum custode milite, Cardinali misso, impedivisset. Digna mulcta compescuit conspirantium flagitium, & Ducem Aureliani duntaxat salvavit ejus cum Rege Fraternitas. Honoribus & obsequiis hunc cumulari Josephus suasit, ut, quem invidia ab aliis excitata fecisset hostem, studiosa beneficentia mutaret in Amicum. Durâsset & novus amicitiæ nexus, ni Marechallus ab Ornano, qui Regio Duci consilia dictaverat, eum rumpi, vario tricarum, & vexarum studio non contendisset. Dedit turbæ quietem, bonitate abundans Josephus, tum Ornanum de conspiratione contra Regem suspectum hujus gratię reconciliando, tum Ducem Aureliani Consilio statûs aggregari, redditusque ejus annuos augeri consulendo, ac hunc eundem Ducem ad nuptias cum Principissa Montispenserii, quas Regi & Reginæ gratissimas esse Josephus noverat, concludendas inducendo.

Galliam diu in pacis otio torpere noluit Josephus, dum uno eodemque ictu, & Calvinismi domandi, & Regis auctoritatem amplíandi tempus opportunum credidit: bellum contra Rupellam, hæreseos æquè ac rebellionis sedem, concepit: facili etiam negotio Regem ad id persuasit, tum exempla indignarum actionum, quibus hæc Galliam sub Ludovico XI. Carolo VIII. Ludovico XII. Francisco I. Carolo IX. & Henrico III. vexaverat, tum contemptum, quo impunè Regis jura violare pergeret, exponendo. Accessit & consilio Cardinalis Berullus, præsertim cum ab Hispania novo Duci Mantuæ bellum parari sciret, & ideo arma Imperatoris, obsidione Rupellæ semel inceptâ, vel dividenda, vel ad partes Italiæ vertenda inferret. Nec hæsit Cardinalis Armandus, quin & suo assensu consilium firmaret. Detecto, qui latebat, igne, Rupellenses Anglorum suppetias incunctanter petierunt; cumque hi Insulam Regis dictam invadere jam tentarent, obsidio Rupellæ concordi consensu fuit conclusa. Huic, an Rex ipse assistere deberet, unicè adhuc fuit disceptatum. Discordes sententias univit Josephus, dum prolixâ ratione præsentiam Regis necessariam ostendit, qui & 13. Augusti 1627. in castris appulit, Josepho, quem Cardinalis vocaverat, post paucos dies subsecuto. In ipso Cardinalis domicilio hunc hospitari oportuit, & timere, dum varia obsidionis fata conspexit nec tamen animo cecidit, dum causam Dei agi cogitavit. Rege Parisios redeunte, Cardinalis Minister sub Duce Inculismæ, & Marechallis de Bassom-pierre, & de Schomberg obsidionem direxit. Successus hujus non parum tardabatur, dum portus, per quem Cives subsidia recipiebant, claudi non poterat, tempestate maris argines & machinas positas absorbente. Per rupem tandem maris ventum est ad vota, ita, ut Cardinalis Cives ad deditionem moneret. Spreverunt hi nuncium, & ingenio loci, & Virorum numero confisi: hinc per fistulas subterraneas, quibus immunditiæ exonerabantur, in Civitatem penetrari à Josepho suasum est: placuit Regi ad campum regresso consilium, turbavit autem Josephum obex, qui illius executionem impossibilem reddidit. Terruit omnes, dum Josephum febre, quæ in continuam deflexerat, dejectum percepêre: cura tamen, quæ in Medicis Regis major esse non poterat, ægrum ita refocillavit, ut cum totius exercitûs gaudio, denuo in castris compareret. Fuit & hoc eò majus, cum fœminæ, quæ de Urbe exire debebant, eam victualium inopiam ibi esse retulerunt, ut eorium manducare multi cogerentur: recreavit emaciatos tamen Cives non parum adventus 70. navium Anglicarum, quę dentato ordine in conspectu Urbis se sistebant. Eò autem aleam jam jactam tandem conspexêre, ut resisti amplius non posset, & ab Anglia nihil sperari deberet. Hinc per quatuor Deputatos Cardinalem rogârunt, ut Regem, cujus obedientiæ se submitterent, sibi redderet propitium. Mox ad hæc portas Civitatis Gallus Miles occupavit, Cardinalis 1. Novembr. in Ecclesia S. Margarithæ per Archiepiscopum Burdigalensem noviter consecrata, Exercituum Domino Sacrificium laudis immolavit, & portato per plateas Sanctissimo Sacramento, oratio, hymno Ambrosiano fuit absoluta. Rex memor eorum, quæ Josephus suasit & fecit, in Principum præsentia de eo hæc dixit: *Josephus ceu alter Abraham contra spem in spem credidit: compensavit Deus fidem ipsius, debetque historia gloriam expeditionis inter Cardinalem Berullum, & Josephum dividere.* Mitram, Rupellæ primam, *opus æterni nominis*, pręmium Josephi, Cardinalis Minister esse voluit; at, qui Albiensem jam olim rejecerat, Rupellensi renuit abduci à spiritu humilitatis, qua regulam, & S.P. Francisci paupertatem super omnia æstimavit.

Tam gloriosa Ecclesiæ & Regi expeditio facilitavit suppetias, quibus Rex Carolum Gonzaga Nivernensem, quem Hispania, de noviter occupatis Mantuæ & Montisferrati Ducatibus, extorrem voluit, suffulcire decrevit.

Ventum jam fuit ad arma, & obsidione Civitatis Casalis ex parte Hispaniæ factum hostilitatis principium. Properavit & Gallus miles (mordente licèt gelu) in subsidium, & coactis ad deditionem variis Ducis Sabaudiæ locis, pacis tractatus, quo Hispani à Casalis obsidione desistere, & ad partes Mediolanenses secedere obligabantur, fuit initus. Josephum Rex ad Ducem Mantuæ, ut eum de actis instrueret, ablegavit. In via adivit ille Ducem Sabaudiæ, qui & gratiosè eum excepit, & Comitem Cumianæ, ut Josephum ad Civitatem Casalensem comitaretur, destinavit. In ingressu Civitatis invênit & Ducem Mantuæ, qui quidem de restituta sibi Civitate Regi & Josepho se devinctum fassus est, cessionem tam loci Trini Duci Sabaudiæ factam querulo sermone traduxit. Rationibus tandem Josephi accessit, & pacem pariter signavit.

Ex

Ex Italia anno 1629. tranalata funt Galliæ arma ad partes Occitaniæ, ubi Hugenoticæ gentis rebellio usque ad insolentiam noviter fervuit. Cinxerat jam Rex densâ milium corona Civitatem *Privas* dictam; cumque assaltu esset superata, libertati & prędę furientia militia fuit tradita; Misericordia motus Josephus cum Cardinale in Urbe furias compescuit, & indignia quoque vitam servavit. Hæc direptiona vindicta, & alia loca Regi se subdere coegit, ex quo plura fortalitia solo ęquata, Religio Catholica inducta, & bona Ecclesiis & Monasteriis direpta, fuerunt restituta. Rege Parisios redeunte, & Cardinale Montalbani cunctante, Josephus Missionibus, quarum expensas Rex suppeditaverat, superstitea hęresena, & Catholicę quoque licentię reliquias purgavit, stupendo fructu & conversione zelum Josephi denuo al Solium Vaticanum deferente.

Particularia hęc Ecclesię commoda, quieta non poterant reddere Josephi vota, qui omnium hęreticorum conversionem ambivit; cumque conferentiam publicam, in qua discordea Religionis articuli sub Pontificia & Regia protectione examinarentur, optimum medium esse judicaret, pro hac instituenda laboravit, & Cardinalem in suam quoque sententiam abduxit. Idęam in suo orto suspendit varia, cui temporis infelicitas non poterat obviare, difficultaa; inde Josephus oe audacia hæreseos serperet ad majora semper damna, duo in suo Parisiis appulsu evicit Decreta Regia, quorum primo, Ecclesiarum contra tractatua constructarum demolitio, & secundo, Ministrorum Anglorum, Hollandorum &c. è Regno emigratio fuit indicta. Cumque & ibi jam diu Liber *De Ecclesiastica & Politica potestate* ab Edmundo Richer, sacrę facultatis Parisiensia Doctore &c. anno 1611. jam impressus, ignem nutriret regno exitialem, hunc suffocari Cardinalem inter-& Iosephum fixum est. Primo ad alia distractu, spartam hanc solua in se suscepit secundus, & tam dexterè adimplevit, ut Richerus doctrinam suam, dictatis sibi terminia revocaverit. Hoc & eodem anno pacia & Matrimonii fædus Galliam inter-& Angliam conclusum est. Vigore secundi; Soror Regis Gallię, Henrica Maria nupsit Anglię Regi Carolo I.; hoc ne fieret sine Ecclesiæ fructu, sex Capucinos in Reginę Capellanos, qui & Londini morantes animarum lucro feliciter invigilarent, Josephus abduci curavit. Adauxerunt in Josepho felicitatis gaudia, litterę, quibus Canadę conversionem facilem percepit: misit & illuc sex Capucinos, quorum zelum commendat hodierna adhuc laboris ilatio, & fructûs duratio. Tam lætos successus nova Italię invasio, qua Dux Mantuę denuo impetebatur, non parum alteravit. Copię Cęsaris & Hispanię Mantuam jam occupaverant, Civitas Casalensia obsidione jam cincta, Rex cum Cardinale, Josepho, & exercitu in via jam constitutus: undique tamen dum classica Martis strepebant, pacia & consilia agebantur, Regi à Josepho per Oratorem Ratisbonam destinandum dictata. Melior Josepho legatione hac fungi non posse omnes judicârunt; cum tamen in Concilio Principum, quod auro gemmisque radiaret, Capucinus Habitua non concors censeretur, Dominus Brulart, Orator Regia ad Helvetoa, socio P. Josepho, eò ire jussus est. Post Martis & artis casus, post Politicę lusus & usus, tandem pax sub articulia, quos historia temporia variia libria immiscuit, fuit conciliata. Josephus hanc quidem signare renuit, cum Oratoris se socium duntaxat assereret, signare tamen debuit, cum aliàs alii Oratores eam sine illo subscribere detrectarent. Egerunt in furias articuli Cardinalem, quoa tum ex omisso Majestatia titulo, Regi haud aliter ac Cęsari debito, tum ex imposito onere *inimicis Imperatoris, nec ope, consilio, pecunia, armis, commeatu, vel alia quavis ratione assistendi*, Regi injuriosus ęquè ac perniciosos sparsit. Agitatum quidem ejus animum, Josephi Frater, Gubernator Bastilię placare contendit, rogando, ut usque ad hujus regressum judicium suspenderet. Quin Cardinalis ad preces quid replicaret, celeri cursore, Iosephum ad suum S. Honorati Conventum recto tramite redire, & Dominum Brulart ad Ratisbonensem tractatum juxta novam instructionem reformandum, Vienoensem ad Aulam se conferre jussit. Indifferens P Josephus solitudinem Conventûs anno 1630. accessit, & gaudia religiosę vitę, innocentiâ actionum suarum cumulavit: nec aliud à Matre & Fratre ab eo obtineri potuit, quàm, quod folia quędam justificationis Cardinali mitteret. Recognovit illico ex his Cardinalis excessum suę actionis, & œstro irę in amorem converso, Josephum ita existimationis & confidentię actibus convênit, ut secum ad Aulam redire, & curam gubernii dividere eugeretur, destinatis variis pro ejus mora Palatiis, quatenus sibi pro ratione residentię eum semper haberet vicinum, & assignatâ Regia pensione, qua cum quatuor sociis Capucinis labori suo solertiùs insistere posset, rebusque aliis ad id reductis, ut, qui Cardinalem accedere vellet, Josephum pręterire non posset, cum uno sine altero videri vix daretur. Hinc contra Ducem Mantuę nova bella Hispaniâ moliente, & Sabaudię Duce pacis contractum infringente, uterque cum exercitu ad Alpes remeârunt, expugnatoque Pinerolio, Militi Ducis stragem intulêre totalem, ita, ut pacis olivam in pręsidium infelicioris sortis poscere debuerit. Italia tota ut hac eadem potiretur, Romam denuo Iosephus adire debuit, ubi & id, quod Gallię Oratori prius denegatum fuerat, obstetricante meriti sui famâ facilè obtinuit. Redux Parisios librum, quo Regem, ejusque Ministros defendit, vulgavit, qui quantùm ęmulis displicuit, tantùm Regis gratiam sibi conciliavit.

Historiam Loudunensem de Monialibus S. Ursulæ à Dęmone obsessis hic recensere supervacaneum judico; tum quod eam comentum à Monasticę Religionis inimicis sparsum cum pluribus teneam, tum quod Josephum (si veritas facto insit) re fœminea levitatis, aut doli in ea latentis abreptum non fuisse, ex ipso ejus ad majora nato spiritu, contra insensatos concludam. Egisse econtra illum eo tempore, quo rumor dictę historię Galliam implevit, contra sectam *Illuminatorum* ex Hispania exulantem, & in quibusdam Gallię locis repullulantem, certus est vitę illius articulus, & dum zelo Iosephi potentia authoritatis non defuit, exterminium *quieti* criminis, necessaria fuit vigilis semper virtutis actio. Hydram Iosephus patenter serpentem facilè dejecit, at majoris studii opus fuit sopire discordię ignem, qui subtiles in flammas erupit, & Matrem Regis, ac Cardinalem Ministrum arripuit, eò perniciosior, quò strictior prius inter eos viguit amicitię nexus: Ad hunc extinguendum Rex ipse felicem semper Iosephi operam impendi voluit; cum autem hic ob pedem in itinere ad Reginam læsum commissa exequi haud posset, hęc sub herba anguem latere credidit, & Bruxellis asylum, quod in Gallia non amplius speravit, quęsivit, imò secessum Florentiam simulavit, ut Regia Filii animum fictis minis ad suas traheret partes. Has dum inutiles doluit, per literas Iosephum pro assumendo conciliationis remedio requisivit. Pro ea, qua erga Reginam ferebatur, reverentia, opus incepit, & effecit, ut Rex & Cardinalis regressui Reginę consenserint: Cum autem Regina conditiones pręscriptas, sibi ignominiosas autumaret, suosque Ministros passioni Cardinalis sacrificari nollet, in Anglia moras suas figere statuit, Elusâ, quam impendit improbam, Iosephi operâ. Gloriosior fuit conatus, quo Aureliani Ducem, qui & verbis & factis Regem Fratrem irritaverat, Iosephus ad aulam & gratiam hujus ita reduxit, ut Matrimonium cum Principissa Lotharingię, cui diu obluctabatur, tandem ratihabuerit.

Tam

Tam excelsa facta, quibus Iosephus & Ecclesiam & statum exaltavit, sine premio diutius manere Cardinalis minus equum credidit, purpurâ illa sublimari Regi suasit, qui & illum ad hanc ad finem anni 1635. nominavit, tota Aula in officio gratulationis illi applaudente. In verbo solo animi sui intentionem quiescere Rex noluit, eam executioni dari à Papa Urbano VIII. sollicitavit, litteris ad suum Oratorem Comitem Noaillium ita datis. *Tempore, quo plura Cardinalium loca vacant, novam talium promotionem à Summo Pontifice proximè instituendam esse censemus. Ex quo vobis scribendum duximus, & inculcandum, ut tempore opportuno Sanctitati Suæ omni vigore, & necessaria constantia pro P. Josepho in Cardinalem eligendo supplicetis, & omnia obstacula, quæ in hoc puncto vobis obiici possent, tollere queratis. Si Sanctitas Sua ex eo, quod Religiosus sit (prout jam factum esse novimus) contradicat, eidem & Episcopum Viennæ (Emericum) ab Imperatore ad eandem dignitatem commendatum, talem esse, nec esse rationem magis huic respectu Imperatoris illam concedendi, quàm Josepho in gratiam nostram; respondebitis. Sique non obstante omni eo, quod illi exponetis, Sanctitas Sua nobis gratificari nollet, eidem declarabitis, quod Cardinalis à Lugduno, Marechallus d'Etrées, & vos Roma discedere debeatis. Quod ad hanc resolutionem procedam, Suæ Sanctitati eò minus alienum videri debet, cum mihi denegaretur gratia, ab ea à me pro subdito hujus honoris tam digno, petita. Reminisci debet Sanctitas Sua, quod Orator Hispaniæ idem à se agendum esse eidem jam declaraverit, casu quo Abbatem Perettum non renuntiaret Cardinalem, quantumvis Perettus sit subditus Papæ, & Rex Hispaniæ motivum non habeat petendi pro eo id, quod à me petitur pro Josepho. Quod hac occasione nihil eorum sitis omissuri, quæ à vobis dependent, & quæ Papam ad meas instantias explendas inducere possant, persuasi sumus. Hanc epistolam longiorem non facio, quàm Deum exorando, ut vos in sua sancta conservet custodia. Datum Fontis Bellaquei 6. Junii 1636.*

Quò scrupulosius Roma hinc inde quæsivit obices ad Regis nominationem eludendam, eò potentiùs econtra eam pressit Rex Christianissimus, ut ex iteratis ad D. Marechallum d'Etrées, tunc Regis ad Papam Oratorem patet literis, tenoris sequentis. *Supponentes à Summo Pontifice pro festo Paschatis faciendam esse Cardinalium promotionem, & percipientes semper adhuc obstare nominationi à nobis in Persona P. Josephi Capucini factæ, ut hac dignitate insigniatur, & quidem obstare ex motivo sui Ordinis, vobis per hasce significandum duximus, quod de servitiis, quæ P. Josephus mihi præstitit, & quæ quotidie in negotiis gravissimis præstare non cessat, eam habeam satisfactionem, eumque virtute & merito ita insignem recognoverim, ut in mea voluntate, jam dudum fixa eum Cardinalem nominandi persistam. Quod tum Suæ Sanctitati, casu quo promotionem facere vellet, tum Cardinalibus Barberino & Antonio in terminis præcisis exponetis, eas rationes, quibus dictum Patrem Cardinalem volo, allegantes. Et casu quo Sanctitas Sua difficultates, jam aliàs factas, movere pergat, à me absolutè in mea resolutione nihil immutandum esse, & Personarum nominationem ad me, & non ad Papam spectare reponetis, cum ille eam acceptare debeat, postquam illarum mores à toto Mundo sunt commendati, & zelo, & sensu, quem pro Religione Catholica, Apostolica, & Romana fovere debent, ornatæ dignoscantur. In nullo horum P. Josephus de defectu potest argui, & consectariò absque justitia id, quod peto, mihi denegaretur. Si hoc ad ruinam Ordinis Capucini vergere, & legibus, quibus suos à dignitatibus Ecclesiæ excludit, contrariari replicet, hoc non sequi cum respectu respondebitis, cum suum Fratrem Capucinum, creaverit Cardinalem. Tam parum autem hoc ad Ordinis præjudicium factum est, quò certius est, quod illum hac sua authoritate foveat, & foturus sit, haud aliter, ac P. Joseph idem in hoc Regno facturus est. Si autem ab Hispanis Abbatem Perettum nominatum, non tamen à se acceptatum Papa alleget, ei respondendum erit, primò, quod Perettus sit illius subditus, & ideo cum eo juxta placitum disponere possit. Si hoc quoque non foret, allegata ratio ad me laxandum infirma est, cum Hispani ob motiva particularia, quibus ego non ducor, id faciant, & cum mihi competat titulus* Filii primogeniti Ecclesiæ, *prætendo, quod Rex Hispaniæ mihi, & non ego illi me conformare debeam. A Papa post tot reflexiones, instantias meas esse reiiciendas credere nolo, si tamen firmus in suo primo consilio persisteret, locumque in promotione relinquere vellet pro Gallia vacuum, omni nisu hujusmodi promotioni resistetis. Si & contra hæc omnia ulterius progredi vellet, ordinem, quo Româ abire debetis, in extremitate monstrabitis. Hunc & executioni dabitis secedendo ad quandam Civitatem in Status Ecclesiastici limitibus situatam. Si quæ nova de hoc negotio emergant, celerem mihi dabitis notitiam, & si, quid, quod premat, occurrat, pro nova instructione cursorem expressum expedietis. Pro fine litterarum addo, quod Papa fortiùs me sibi obligare non possit, quàm id, quod à me pro P. Josepho petitur, concedendo. Nec vos mihi majus placitum præstare poteritis, quàm ea, quæ à vobis dependeat, ad hunc finem impendendo: pro hoc omnem meam authoritatem adhibebitis & ut Cardinales Barberinus, & Antonius ad hanc actionem eo, qui me pellit, affectu concurrant, curabitis. Hos pro parte mea conjurabitis, & quàm grata mihi sint futura illorum officia, nuntiabitis; ad quæ Deum precor &c.* Danguet 12. *Mart.* 1637.

De pileo rubeo Iosepho imponendo, dum tam solerter ultra duos jam annos terra egit, Cœlum Diadema & coronam gloriæ pro ipso præparavit. Apoplexia enim, paralysi formatu, quâ Josephus tactus fuerat, nonnisi paucos vitæ dies ei superesse præsagiit; hinc & Rex, ne nominationis suę locum vel perderet, vel illius decore tam citò non privaretur, eam per celerem cursorem formiter revocari dolente animo mandavit. Reassumpsit Josephus quidem nonnulla Aulę, Ecclesię & Ordinis sui Calvarii negotia, cum autem tempus suę immutationis vicinum ex ipsis, quę in dies declinabant, senioque fatiscere incipiebant, viribus nosceret, Domui suę pro felici ęternitate dispositurus, ad Conventum secessit. Vocatus semel ob summę consequentię negotium Ruelium, ubi Cardinales, Ministee & Bichius eum expectabant, habitoque cum iis longiore colloquio, novo apoplexię tactu, motum medii corporis cum sensuum usu perdidit. Nihil, quod ægrum vel solari, vel juvare poterat, fuit omissum: Sacramentum unctionis ei subitò allatum, ab accurente P. Generali, qui tunc Parisiis cunctabatur, signo contritionis per iteratas pectoris tunsiones pręcedente data, & oratio populi hinc inde in Ecclesiis indicta. Eum cum lacrymis accessit Cardinalis sępius, Medici astiterunt continuò, invisit & ipsum ipse Regis Frater, Dux Aurelianensis: & quamvis, qui per virtutis semitas semper incesserat, vias mortis timere non debuisset, haud parum tamen eum dandę rationis recordatio cum S. Hilarione Abbate conturbavit, hinc & crebriore suspirio *dare raionem* ingeminavit usque ad 18. Decembris 1638. quo oculis in placidum somnum compositis, obdormivit in Domino. Cadaver Ruelio ad Conventum S. Honorati, tota Cardinalis Ministri Aulâ comitante transvectum, postero die in Ecclesia confluenti omnis conditionis populo fuit expositum, ac ad latus Fr. Angeli à Jojosa p. m. reservato prius pro Monialibus Calvarii corde, inhumatum. Exequias Cardinalis Ministee, publicas & eas, quę aliàs S. R. E. Cardinalibus speciales sunt, pro defuncto

22. Decemb. celebrari ordinavit; quibus ipsemet lachrymans cum Cardinale Bichio, Parentela Defuncti, & primis Aulę regię Proceribus, astitit, & post concionem funebrem in pari Procerum consessu, in laudes Josephi declamatam, sequens epitaphium marmori incidi curavit.

D. O. M.

Æternæ memoriæ
R. P. Josephi Parisini LE CLERC *Capucini.*
Hic jacet, cujus virtus nunquam jacebit,
Qui, ut jugum Domini ab adolescentia portaret,
Nobilis Prosapiæ titulos & opes,
Invitis Parentibus reliquit,
In pauperrimo Ordine pauperrimus semper extitit,
Ecclesiam scriptis & concionibus illustravit,
Provincialis officio in Ordine,
Tam sanctè quàm prudenter functus,
Ad publica negotia, ita disponente Deo,
A' Christianissimo Ludovico verè Justo vocatus,
Quo munere Deo, Regi, & Patriæ,
Fideliter inserviens
Summi ingenii prudentiam & curam,
Cum Seraphica devotione, & mirâ Spiritûs
Tranquillitate composuit.
Integram promissæ regulæ observantiam
A' tribus licèt Summis Pontificibus
Pro totius Ecclesiæ bono legitimè dispensatus,
Ad ultimum vitæ retinuit;
Hæresim consiliis & Missionibus in Gallia
Et Anglia oppugnavit;
Orientis Christianos erexit,
Inter curiæ delicias & opes austerus & pauper,
Vixit & mortuus est
Cardinalis designatus
XIV. Kal. Jan.
An. Dom. M. DC. XXXVIII.

Non ita hac in laude quiescit Josephus, quin & adhuc suspiret cum Propheta: *Domine libera animam meam à labiis iniquis & à lingua dolosa*, & ab Ordine expectet suspensam hucusque suorum factorum commendationem, eò ampliorem, cum præsentem ipsa libri ratio voluerit succinctam, & aliàs ex nostratibus (præter Bibliothecam Scriptorum Ordinis) unicum P. Franciscum Audegavensem in eam excurrisse reperiam, dum econtra Scriptores de rebus Gallicis, sub Ludovico XIII. agentes ejus meminerunt vix non omnes, sicut & Morerus, Wadingus &c. vitamque ejus integram Abbas Richard typo vulgavit, Nomini autem ejus Joannès *de la Haye* tomum tertium super Genesin, & tomum secundum super Exodum nuncupavit.

Ex Regiis animi dotibus & virtute, à Fr. Joanne Maria de Treslon ad ædes Lauretanas, & sacra Limina ablegato sibi recensitis uberem voluptatem se concepisse, Magnæ Britanniæ Reginæ renuntiat.

Charissimæ in Christo Filiæ nostræ, Henrichettæ Mariæ, Magnæ Britanniæ Reginæ Illustri.

URBANUS PAPA VIII.

Charissima in Christo Filia nostra, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilectum Filium, Religiosum Joannem Mariam de Treslon, Parisiensem, ex Ordine Capucinorum, quem, ut devoti erga Sanctissimam Virginem Lauretanam animi tui studium non minus splendido, quàm pio documento testatum facias, in Italiam ablegâsti, hàc proficiscentem ob ipsius quidem virtutes, præcipuè autem Majestatis tuæ causâ, libenter complexi sumus. Quæ autem ille de eximia tua Religione, atque in Deum culto commemoravit, etsi præclaram, quam de egregiis tuis dotibus opinionem jampridem concepimus, augere minimè potuerunt, uberem tamen ex iis percepimus materiam voluptatis. Etenim non sine ingenti solatio audivimus, quonam ardore ad Divinæ elementiæ thronum assiduis orationibus, aliisque pietatis officiis confugere solita sis, ejus præsidio accuratè commendans publicæ incolumitatis tutelam. Laudamus mentis tuæ zelum, cupimus manna cœlestium consolationum inundari cor tuum, tam salutarium consiliorum feraх. Majestati tuæ Apostolicam benedictionem intimo cordis affectu impertimur, atque ab Altissimo, bonorum omnium authore, impensè postulamus, ut Tibi, ac Regiæ Domui, necnon universo Regno veræ fœlicitatis abundantiam benignè largiatur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die III. Septembris MDCXXXIX. Pontificatûs nostri anno XVII.

Julius Rospigliosius Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol.*42.

Negotium à Fr. Spiritu sibi expositum, attentè consideratum esse, Regi Christianissimo reponit.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico, Francorum Regi Christianissimo.

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Qui Capucinos Fratres præcipuè diligimus, non parum gaudemus, per frui illos Regiæ tuæ benevolentiæ testimoniis. Negotium, quod Religiosus Vir, Spiritus, Capucinus, Majestatis tuæ literas reddens latè disseruit, attentè consideravimus, cupimusque, ut à Te ea quoque excipiantur, quæ hic super re Dilectus Filius Noster Antonius, S.R.E. Cardinalis S. Honuphrii, noster secundùm carnem germanus Frater, & prædicti Ordinis Protector, Majestati tuæ exponenda curabit. Neque enim veremur, quin, ubi apertam facti veritatem perspexeris, id æqui bonique consulas, quod ritè constitutum, diuturno annorum usu confirmata consuetudo comprobavit. Cæterum gratissimum semper Nobis accidet, quotiescunque re ipsa declarare possimus, quantùm petitionibus tribuamus Majestatis tuæ, cui à Divina clementia felicitatem precantes, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XVII. Augusti MDCXXXXI. Pontificatûs nostri Anno Decimo nono.

Autograph. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol.*4.

Donationem trium jugerorum terræ cum dimidio ad mensam Archiepiscopalem Remensem spectantium à Ludovico, Cardinale Lotharingiæ nuncupato, Fratribus pro nova Domo Regulari in Civitate Remensi construenda factam, & à Card. Antonio Barberino approbatam confirmat.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad Pastorale fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffa-

bilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam evecti, ea, quæ à Sacris Antistitibus in partem sollicitudinis nostræ vocatis, & præsertim sublimi Cardinalatûs honore fulgentibus ad Divini cultûs, & religionis incrementum piè, liberaliterque facta esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri patrocinio, cum id à Nobis petitur, libenti animo eonstabilimus.

Exposuit siquidem Nobis nuper Venerabilis Frater noster, Antonius Barberinus, Episcopus Prænestinus, Cardinalis Antonius nuncupatus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius, & Metropolitanæ Ecclesiæ Remensis es concessione, & dispensatione Apostolica Præsol, quod dudum bo. mem. Ludovicus, dum vixit, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis à Lotharingia nuncupatus, dictæ Ecclesiæ Remensis ex simili concessione, & dispensatione Præsul, tria jugera terræ cum dimidio, vel circiter in Civitate Remensi juxta suos notos, & tunc expressos fines sita, ac ad Mensam Archiepiscopalem Remensem legitimè spectantia, Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Capucinis nuncupatis, pro ædificandis ibidem Ecclesia, & Conventu ejusdem Ordinis ad divini cultûs, piorumque operum incrementum, & animarum salutem promovendam, piâ liberalitate donavit, prout in ejus literis desuper emanatis uberius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Antonius Episcopus Cardinalis, & Præsul donationem hujusmodi per quasdam suas die XXIX. Maji proximè præteriti espeditas literas, reservato tamen desuper hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ beneplacito, approbaverit, & confirmaverit, ea lege, ut, si aliquando acciderit, prædictos Fratres Capucinos discedere, & relinquere Ecclesiam, Conventum, hortosque annexos, quibus de præsenti utuntur virtute donationis prædictæ, id totum denuo Mensæ Archiepiscopali prædictæ incorporari debeat. Nobis propterea idem Antonius Episcopus, Cardinalis, & Præsul, etiam dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum dicti Conventûs nomine, humiliter supplicavit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsius Antonii Episcopi, Cardinalis, & Præsulis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, dictosque Guardianum, & Fratres specialibus &c. volentes, & earum singulares personas, à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, donationem præfatam memoratis Fratribus Capucinis à dicto Ludovico Cardinale, & Præsule factam, & à præfato Antonio Episcopo Cardinale, & Præsule approbatam, & confirmatam, ut præfertur, confectasque desuper eorundem respectivè literas supradictas, cum omnibus in eis contentis, aliàs tamen licitis, & honestis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid super his, à quocumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ecclesiæ Remensis, & Ordinis præfatorum etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Julii MDCLXVIII. Pontificatûs nostri Anno secundo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædict. fol. 7.

N O T A.

INstrumentum Donationis, quod à Cardinale Ludovico confectum, Breve Apostolicum memorat, fuit tenoris sequentis:

Ludo-

Ludovicus à Lotharingia, Archiepiscopus & Dux Remensis, primus Par Franciæ, Legatus natus Sanctæ Sedis Apostolicæ, Abbas Archimonastrii & Abbatiæ Sancti Remigii dicti Rsmi, nostro Archiepiscopatui perpetuò unitæ & annexæ, omnibus præsentes litteras visuris salutem in Domino.

RR. PP. Capucini, Religiosi reformati Ordinis Sancti Francisci, moti singulari zelo pro cultu Dei, & incremento ipsius Ecclesiæ non in uno duntaxat loco, sed in diversis Regni partibus, & Civitatibus salutem animarum Christifidelium ardenti zelo, & charitate procurare conantur, quod & hucusque tum per pias eorum instructiones, suavesque prædicationes, tum per sanctæ vitæ exempla taliter successit, ut quotidie in cujuslibet oculis fructus inde collectus pateat: quapropter Rex, Dominus Noster, per ordinem Reginæ regnantis, Matris suæ, intuitu sacri hujus laboris per litteras patentes datas, PP. Capucinis in dicta Civitate, & Ducatu Remensi se se stabilire indulsit, Nos verò juxta Majestatis utriusque intentionem ad contribuendum ex nostra parte totum, quod à nobis dependet pro executione tam pii operis, præter peculiarem affectum, quem erga dictum Ordinem gerimus, attentis causis prædictis, aliisque piis respectibus, nos ad id moventibus, concessimus & concedimus per præsentes enuntiatis PP. Capucinis quantitatem trium jugerorum cum dimidio terræ circiter ad construendam ibi ex pii Populi eleemosynis Ecclesiam, & Conventum dicti Ordinis; quam quantitatem terræ ex nostri horti, le grand Jars *nuncupati situ, intus nostram Civitatem Remensem clauso, & circa muros, dictum nostrum grand jars separante cum pluribus ædibus, & hortis particularibus, & platea retro correspondente &c. assignamus, adjecto tamen onere, ut porta major domus nostræ dicti Jars tum dictis PP. Capucinis, tum nostro Villico maneat communis. Tenebuntur insuper dicti Patres demolitionem horreorum, & stabulorum in dicto loco existentium, & eorum novam constructionem paris longitudinis, latitudinis, & altitudinis, cujus impræsentiarùm sunt, in alio loco, dicto Villico opportuno ordinare; pariterque portas, muros, claustra, & repagula, tum pro dicto introitu, tum pro prædicta nostra domo, ejus cortili, & residuo dicti Jars à memorata eorum Ecclesia & Conventu separandis necessaria, eorum expensis juxta formam nobis exhibitam fieri curare &c. Inde nostro Gubernatori, ejus Locumtenenti, Procuratori Fiscali, aliisque nostris Officialibus in prædicto nostro Archiepiscopatu & Ducatu Remensi præcipimus, quatenus visis præsentibus litteris incunctanter dictis PP. Capucinis dictam trium jugerorum cum dimidio terræ quantitatem circiter, pro construendis eorum Ecclesia, & Conventu in nostro dicto horto majoris Jars, dari, & extradi faciant, prout supra est expressum, secundùm normam per peritos ipsis concessam, vel concedendam, quin alia desuper jussa, aut litteras hisce præsentibus ampliores, expectent, cum has in fidem propria manu nostra signaverimus, & ab uno nostrorum Secretariorum ordinariorum signari fecerimus, apposito nostro sigillo.*

Datum Lutetiæ Parisiorum 18. Julii 1613.

Ludovicus à Lotharingia &c.

Autograph. in Archivo Conventûs.

Quatuor Moniales ex Monasteriis Civitatum Parisiensis & Turonensis, ad Monasterium Monialium S. Crucis Ulyssipone transferri &c. concedit.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ Moniales, Capucinæ nuncupatæ, Monasterii Sanctæ Crucis, Civitatis Ulixbonensis, quod, cum aliàs, videlicet die 19. Septembris MDCLXXI. auctoritate Apostolica indultum fuerit, ut è Monasteriis Monialium, pariter Capucinarum, Civitatum Parisiensis & Turonensis, quatuor Moniales pietate, prudentia, & zelo præstantes ad primodictum Monasterium noviter erectum transferri, ibique per sex annorum spatium, si tamdiu ad narratum finem opus fuisset, commorari possent, gratia verò hujusmodi ex eo, quod propter præfinitionem temporis sex annorum hujusmodi, gravia orirentur incommoda, suum hactenus effectum sortita non sit, & ex illis, quæ ab initio fundationis translatæ fuerunt, duæ tantùm supersint: Exponentes prædictæ, ne tam pium opus feliciter inchoatum, diutiùs imperfectum remaneat, gratiam prædictam ex integro à Nobis concedi, dictisque Monialibus superstitibus, ut tantum opus perficere possint, quatuor alias Moniales è Monasteriis Parisiensi & Turonensi prædictis, de Ordinariorum respectivè licentia transferendas adjungi, ac ipsis Monialibus sic transferendis, ut pro dilecti Filii nostri, & Apostolicæ Sedis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncii arbitrio, & prudentia in dicto novo Monasterio commorari valeant, indulgeri plurimùm desiderant: Nos igitur ipsarum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, supplicatio-

tionibus earum nomine Nobis factis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attentâ relatione dicti Nuncii ejusdem Cardinalibus facta, ac, quatenus præfatæ quatuor Moniales non fuerint hactenus translatæ, petitam facultatem illas transferendi, auctoritate Apostolica, tenore præsentium benignè concedimus; ita tamen, ut dictarum Monialium, earumque Ordinariorum consensus accedat, & translatio ipsa recta via, & sine ulla ad extraneum locum diversione, comitantibus honestis Matronis fiat; ac in novo prædicto Monasterio per id temporis spatium, quod ad stabiliendam Regularem observantiam necessarium ab eodem Nuncio Apostolico pro tempore judicatum fuerit, commorentur. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, prædictorum Monasteriorum, & illorum Ordinis, etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Januarii MDCLXXV. Pontificatus nostri Anno quinto.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. Regesto mensis, & anni præd. fol. 681.

NOTA.

Quamdiù Capucinum fœminei sexûs Domicilium in Civitate Ulyssiponensi durabit, tamdiù in eo gratæ Laudes personabunt Mariæ Elisabeth Franciscæ à Sabaudia, Caroli Amadæi pariter à Sabaudia, Ducis Niverni &c. ac Elisabeth à Vendome Filiæ, quæ Alphonso Henrico, Portugalliæ &c. Regi in fidem Connubii data, ut hæreditarium Principissarum Matris, Avæ, & Proavæ erga Moniales Capucinas pietatis affectum novo ornamento signaret, harum quatuor anno 1665. secum in Portugalliam ex Parisiensi, & Turonensi Monasteriis abduxit, iisque postmodum novâ prole successivè adauctâ Monasterium sub titulo Sanctæ Crucis ædificari curavit. Diutius id sub Spirituali cura Fratrum nostrorum Missionariorum Provinciæ Britannicæ permansit, jam verò per litteras Pontificias infrà inter documenta enuntiatæ Provinciæ videndas, Ordinario loci obedit.

Fr. Athanasium, seu reassumpto Baptismali nomine, Josephum Ignatium Joannem Baptistam de Mesgriny, ad Ecclesiæ Grassensis Pontificatum promotum, ut jura Ecclesiastica, præsertim Lugdunensis Concilii Sanctionem, sartam tectam servet, admonet.

Dilecto Filio, Josepho Ignatio Joanni Baptistæ Mesgriny, Electo Grassensi.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quàm solliciti esse debeamus, ne Ecclesiarum jura ullum Pontificatûs nostri tempore detrimentum patiantur, non est, quod multis Tibi explicemus; id enim ipse facilè intelliges, ubi seriò perpenderis, illius Nos in Terris, immeritos licèt, vices gerere, qui hujusmodi hæreditatem acquisivit sanguine suo, quamque propterea propensis studiis à quolibet damno immunem, inviolatamque servare tenemur. Cum autem in nostro Secreto Consistorio hoc manè habito ob virtutes, quibus præstas, Grassensi Ecclesiæ Te præfecerimus, nostrarum esse partium prorsus duximus, Tibi injungere, ut Sacrorum Canonum, Ecclesiastica jura violare, aut violari finere vetantium, inprimisque Sanctionis Lugdunensis Concilii, quæ ad Regaliam, uti nuncupant, attinet, pœnarumque ab ipsis inflictarum memor, eidem Regaliæ nullatenus, tacitè unquam, vel expressè consentias, sed ab omnibus iis abstineas, unde illius usus admissus quoquomodo videri possit. Et quidem de avita Christianissimi Regis pietate, deque filiali ipsius erga hanc Sanctam Sedem observantia adeo præclarè sentimus, ut veteri, inconcussæque Ecclesiarum, quæ oneri hujusmodi obnoxiæ non sunt, indemnitati egregiè consulturum planè Nobis polliceamur, Tibique interim, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Octobris MDCCXI. Pontificatûs nostri Anno undecimo.

Ex Epist. & Brev. Clemen. XI. lib. 2. por. 1. fol. 103.

Ejus-

Ejusdem Fratris Athanasii (tunc Josephi Episcopi) devotam erga Apostolicam Sedem obedientiam, quam tum ipsemet Pontificiæ Constitutioni præstiterat, tum ab aliis præstari curaverat, laudibus ornat, ac, ut suscepto consilio sua merita augere pergat, hortatur.

Venerabili Fratri, Josepho, Episcopo Grassensi

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUos Fraternitas Tua litteris datis die 19. Augusti proximè præteriti Nobis explicavit, devoti, sinceri, & catholico Præsule verè digni sensus erga Sanctam hanc Sedem, & Apostolicas Definitiones, quamvis inexpectati Nobis nequaquam acciderint, qui eorum tot alia, & sanè præclara antehac à Te accepimus argumenta, præcipuo tamen, optatissimoque solatio Nos affecerunt: agnovimus enim in eis, Te non modò firmiùs in dies, atque constantiùs inhærere illi erga Supremam B. Petri Cathedram subjectioni, atque observantiæ, quam ab Institutis Sacræ, Nobisque acceptatissimæ Capucinorum Familiæ olim hausisti, quamque à præstantioribus Galliæ Antistitibus omni tempore eximiè cultam, ac illustribus exemplis declaratam fuisse probè compertum habes, verùm etiam Te, singulari tua impellente pietate, strenuam, sedulamque navare operam, ut alii quoque ad præstandam Apostolicæ Sedi debitam obedientiam adducantur. Hunc porro in scopum Nos non ita pridem ad universos Venerabiles Fratres istius Regni Archiepiscopos, & Episcopos litteras dedimus in simili forma Brevis (quarum exemplum unacum aliis consimilibus litteris nostris, quibus ad coercendam intollerabilem Facultatis Theologicæ Parisiensis audaciam omnia ptivilegia, illi ab eadem Sede concessa, ad nostrum, & ejusdem Sedis beneplacitum suspendimus, ad Te perlatum jam fuisse non dubitamus) prædictorum Antistitum Zelum excitaturi, ut omni ope, studio, fraternæque charitatis contentione, ad justitiæ semitam paucos illos Gallicanos Præsules revocare conentur, qui occasione editæ jam dudum à Nobis Constitutionis, cujus initium est: *Unigenitus Dei Filius*: maximo cum paterni cordis nostri mœrore, summoque insuper cum Orthodoxæ Religionis, ac ipsiusmet Regni periculo, ab ea deflexerunt, & quamvis à Nobis patienti moderatoque animo hactenus expectati, ac ad pacis, perfectæque reconciliationis osculum invitati, adhuc tamen miserè aberrare pergunt. Latus itaque spectatæ virtuti tuæ campus aperitur de Regno, de Ecclesia, de hac Sancta Sede, de Nobis ipsis præclarè merendi, qui cœlestem Pastorum Principem enixè rogantes, ut pios tuos conatus divinâ sua ope juvare benignè velit, Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx. Decembris MDCCXVI. Pontificatûs nostri anno decimo sexto.

Ex tomo quarto Brev. Apostol. hujus Pontificis fol. 577.

Matroniæ Familiæ de Melun d'Epinois Domum Fratrum Abbavillæ annuatim duabus vicibus ingrediendi facultatem largitur.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Pacificus Caletanus, Minister Provincialis Provinciæ Parisiensis, Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum Familia de Melun d'Epinois Conventum Oppidi, seu loci Abbavillensium dicti Ordinis fundaverit, ac plurium annorum spatio privilegiis Fundatorum ingrediendi dictum Conventum usa fuerit, Diploma verò privilegiorum hujusmodi prædictæ Familiæ à Sede Apostolica, ut asseritur, concessorum, temporis lapsu amiserit, dictus Pacificus Minister Provincialis novum Indultum eidem Familiæ, quippe quæ titulo Principis insignita existit, per nos concedi plurimùm desiderat, Nobis propterea prædictæ Familiæ nomine humiliter supplicari fecit, ut illi in præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur ipsius Pacifici Ministri Provincialis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, annuere, dictamque Familiam specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venera-

rabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter Filium, modernum Procuratorem Generalem super præmissis audierunt, consilio,& attentis narratis, Feminis enunciatæ Familiæ Fundatricis prædictum indultum ingrediendi supradictum Conventum duabus vicibus tantùm quolibet anno &c. auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus; ita tamen, ut consanguineis Viris, aut duabus, aut tribus piis, paucisque associatæ Matronis illum ingrediantur, ibique per congruum duntaxat tempus commorentur, assistentibus ipsius Conventûs Superiore, aliisque duobus, vel tribus Fratribus senioribus, reliquis in Choro, aut intra proprias Cellulas commorantibus, atque nullam in eodem Conventu sumant refectionem, ac inde ante Solis occasum teneantur exire; Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Conventûs, & Ordinis prædictorum, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XI. Septembris MDCCXVII. Pontificatûs nostri Anno decimo septimo.

F. Card. Oliverius.

EPISTOLA APOSTOLICA.

Opus triplicis explicationis in Evangelia, Summo Pontifici nuncupatum, commendatur.

Admodum Reverendo Patri Bernardo Abbavillano, FF. Min. S. Francisci Capucinorum Professori.

Admodum Reverende Pater.

Quod nova triplici explicatione Sacrosanctum Evangelii Volumen ornaverit Paternitas tua, atque operis diligentissimè lucubrati frontem Sacro suo nomini inscripserit, Pontifex Maximus à Patre Cherubino de Noves requisitus benignè concessit, gratumque habuit tum ob ipsum Scriptionis genus, quo maximè delectatur, tum quod à Te nihil putet prodire posse, aut ingenio, aut virtuti tuæ, aut tui Ordinis Sanctitati non consentaneum. Gaudet quoque pertractandum argumentum Te suscepisse, quo Catholica fides invicta manet, christiani mores instituuntur, ad bene agendum impellitur animus, & accipit vires. Tecum igitur gratulatur in hujusmodi saluberrimo studio Te consumpsisse otium tuum, & cum perspicacitatis ac scientiæ laude consuluisse omnium utilitati, utque pergas isthuc mentem intendere, sua Te munit Benedictione. Hæc à me Tibi inscribi voluit, quâ occasione Te moneo, nihil mihi esse jucundius, ac litteris deditos, qualem Te esse perhibes, benevolentia officiisque prosequi &c.

Romæ die 23. Septembris 1727.

Nicol. Maria Card. Lercari
Secret. Statûs.

Exempl. in Archivo Generali Ordinis, Armario Provincia Parisiensis.

EPISTOLA

Officium cum Missa de S. Ovidio Mart. ab Ordinario ante Decretum S. Rit. Congregationis, Officia de Sanctis non Canonizatis, & in Martyrologio non descriptis prohibens concessum, continuari posse, à Cardinale dictæ Congregationis Pro-Præfecto Monialibus Civitatis Parisiensis reponitur.

Reverenda in Christo Mater.

Ex Vestræ Reverentiæ Epistola, quæ mihi à P. Cherubino à Noves, cum nonnullis devotionis æquè, ac artis muneribus, à Vestra Communitate missis, ac à me grato animo exceptis præsentata fuit, intellexi diversa sensa, quæ inter Religiosas circa celebrationem Officii, ac Missæ de S. Ovidio Martyre, die ab Illmo Domino de Perefixe bo. me. Archiepiscopo Parisiensi ab anno 1663. præfixo versantur. Planè oppositio haud parum fundata videtur, nam, ubi agitur de Sancto non canonizato, nec in Martyrologio descripto,

pto, & cujus vita ignoratur, mens Congregationis Sacrorum Rituum in hujusmodi casibus semper fuit, ut nec Officium, nec Missa, sed simplex Reliquiarum Sacrarum expositio publico fidelium cultui concedatur, imò dicta S. Congregatio 11. Augusti 1691. talium Officiorum, & Missarum concessionem prohibuit, & Sanctissimus D. N. Papa Innocentius XII. dictum Decretum approbavit, eidemque Apostolicum robur adjecit; Nihilominus ob dignos respectus, & gravia motiva Sanctitas Sua Officia, & Missas jam prius à locorum Ordinariis concessas revocare consultum non censuit. Quapropter ego non solum ceu Pro-Præfectus dictæ Sac. Congreg. Zelum suarum Religiosarum laudo, sed & Eisdem suggero, quod celebrationem festi cum dicto Officio, & Missa S. Ovidii prosequi possint, cum Officia, & Missæ ante tempus prædictum anni 1691. nec approbentur, nec prohibeantur.

Mora responsi ad Rev. Vestræ litteras provenit partim à meis occupationibus, partim à diligentia adhibita ad dandum responsum, quod ad consolationem totius suæ Communitatis spiritualem cessurum spero. Sacris precibus hujus dum me commendo &c.

Romæ 5. Septembris 1733.

A. F. Card. Zondadarius.

Autograph. in Arch. Monialium prædict.

N O T A

ET Decretum suprà binâ vice allegatum, pro necessitatis casu, qui rarus non est, tenoris sequentis esse tene:

Officia Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiæ recitanda; ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis 11. Augusti 1691. intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodò constet de identitate Corporis, seu Reliquiæ insignis illiusmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus: de ceteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non descriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, & Missas celebrari vetuerunt, non obstante, quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asserventur, quibus tamen ab Ordinariis Locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio, & Missa sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione S. Pii contentis. Die 11. Augusti 1691., & Sanctissimus approbavit die 19. Octobris ejusdem anni 1691.

J. Vallemanus S. R. C. Secret.

PRO-

PROVINCIA TURONENSIS.

SI Magnus Hypponensium Præsul Augustinus *Serm.22. de Verb. Apost. Domum Dei credendo fundari, sperando erigi, & diligendo perfici* asserat, à me incautè actum non crediderim, si passu à majori ad Provinciam Turonensem ducto, hanc ad exemplum Don ûs Dei seu Ecclesiæ *fide fundatam, spe erectam, & charitate perfectam* fuisse dixero.

Quantùm fidei unitatem, quâ unum corpus in uno spiritu efficimur, & Deum Cœli Terræque Dominum in veritate adoramus, Principes & Potestates tenebrarum intra hujus Provinciæ ambitum ab anno 1578., quo prima sua fundamenta Aureliani posuit, dispersæ hinc inde Sectæ, falsæque Doctrinæ miscellâ convellere tentârint, historia sæculi & Galliæ extensè edocet. Quantùm & Fratres nostri fidem tum in aliis vacillantem consortare, tum in aliis illibatam conservare studuerint, scire qui avet, & proprios hujus Provinciæ Annales, & Chronica Ordinis consulat. Reperiet in his, Pseudo-Ministros scriptis & dictis à Fratribus nostris confusos, Missiones in conspectu hæreseos institutas, plurimos gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ illorum operâ aggregatos: reperiet Fratrum studiis Religioni templa constructa, pietati Altaria erecta, & Ecclesiam multiplici triumpho coronatam: reperiet depositum Fidei intra fines Provinciæ non arctari, sed ad barbaras Persarum, Indorum &c. Nationes felici incremento dilatari, Zelumque eorum in Æthyopia sanguine Servi Dei, Fr. Agathangeli Vindocinensis, & in Provincia Fr. Petri Besson Drocensis morte fœcundatum, & integros fructuum manipulos in exultatione ab iisdem semper collectos. Ex quo in laboris Apostolici præmium grata Civium & Incolarum recognitio iis regulares destinavit Domos, ut, quos habuisset conservatæ vel inductæ fidei Ministros, coleret & suæ habitationis consortes.

Objecit quidem, quæ pietatis operi semper adversatur, stimulis orci puncta hæresis, varia molimina, quibus aut oblatas, aut jam cœptas fundationes retardaret, vel penitus impediret, gnara, hasce esse potentiæ castra, & propugnacula, à quibus continuum bellum & excidium sibi immineret. Jactantes econtra Fratres spem & cogitatum suum super Dominum, consilia malignantium non timuerunt, & quanto fervore, fidei incrementa cum proborum gaudio quæsiverunt, tanta spe sacrum zeli sui lucrum in animarum salute expectârunt. Crede-

diderunt contra spem in spem, &, dum se aliquoties de locis, quæ jam occupaverant, violenter exules conspexerunt, manum Domini in se abbreviatam non esse, illico probaverunt. Contra spem mandato Regis Henrici III., qui purpuram Ecclesiæ in Ludovico Guisio ferali sanguine consperserat, è Civitate Blessensi exire jubentur, & in spem justitia triumphans eos eò reducit. Scinditur Andegavi Populus in exitiales tumultus, & Filios pacis, Fratres nostros, turpiter à se arcet; redeunt cum gloria, quos discordia sejunxit. Legat ante suum Religionis nostræ ingressum Fr. Joannes Franciscus Salmuriensis, ex genere de Bonneau notabilem summam pro Domo in patriâ Civitate construenda, Philippus Plessæus de Mornay, Castelli Gubernator & *Hugenotorum Papa* dictus, memor critices, qua Fr. Silvester Lavallensis suum contra Eucharisticum Sacramentum typis editum librum refutaverat, fundationem sub præjudicialis novitatis prætextu in vindictam impedit; clamat æquitas causæ, patrocinio Eleonoræ Borboniæ, Fontis Ebraldi Abbatissæ suffulta contra eum, & mandatum Regis 9. Januarii 1608. expeditum, liti finem & fabricæ initium præscribit. Stringit anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo arcta obsidione Civitatem Angariacensem hæreticus furor, & Domum Fratrum, nonnisi per duos duntaxat annos in suburbio *de Taillebourg* consistentem sævo incendio devastat, vindicat Ludovici XIII. pietas scelestum facinus, & constructione novæ Domûs damnum anno 1626. resarciri mandat. Innovat perfidiam suam odio, furiisque semper armata impietas contra S. Maximi Conventum, dum illum uno eodemque anno 1720. igne ter injecto depopulatur, at, dum laqueus & ignis nefarium in reis vindicant crimen, pietas è cinere malitiæ decorem novæ Domûs resuscitat.

Conspiravit & alibi vel ingenio, vel artificio tecta contra Fratres invidia, spes autem, quæ nunquam confundit, suffulsit horum commoda, & multiplicavit Domos in erectionem Provinciæ.

Perfecit erectam Charitas, quâ in cordibus diffusâ per Spiritum Sanctum Fratres non hominibus placere, sed Deo & proximo per operariæ virtutis nexum jungi studuerunt. Hinc, dum primùm ea, quæ Dei sunt, Deo tum interni, tum externi cultûs officio reddiderunt, obsequiis proximi infractâ se mancipârunt charitate. Emicuit hæc potissimum tragico illo tempore, quo in ultionem armatus Angelus effudit super loca Provinciæ phialam contagionis, & sævâ lue incolas concussit. Malum dum plateas Civium cadaveribus implevit, charitas Provinciam Martyribus decoravit. Planxit illud anno 1597. Civitas Bituricensis, & horum Primitias Provincia vidit in P. Cypriano, & Fr. Junipero, Parisiensibus, quorum cadavera primùm extra portam S. Privati in loco, *Sanitas* vocitato, humata, & anno 1615. ad Ecclesiam Conventûs translata, in Capella ad latus Evangelii in memoriâ benedictionis requiescunt.

Afflixit & anno 1604. Urbem Cainovensem venenati aëris fœtor, & annuatim processione ab Ecclesia Parochiali, diè S. Sebastiani cultui sacrâ, ad nostram ductâ, Divo pro tutela, & Fratribus pro charitate devotas grates renovat. Deploravit anno 1607. magnam suorum stragem Civitas Turonensis, peste correpta & benedixit Domino in Martyrio charitatis, quod Patres Thomas Rhemensis, Cherubinus Aurelianensis, ac Fr. Jacobus Aurelianensis Laicus pro ea subjerunt, pio honore in Cœmeterio Parochiæ dictæ *de la Riche* prope crucem sepulti. Percussit & ira Dei pari fato Civitates Salmuriensem, Aurelianensem, Gennabensem &c., & sacrificio vitæ suæ triumphos charitatis adauxerunt PP. Angelus Falesiensis, Beda Aurelianensis, Bertinus Argentomensis, Michaël Maclovienlis, Fr. Bartholomæus Nogentensis Laicus, quorum tres ultimos tertius Annalium nostrorum tomus commemorat. Major jam cum non sit charitas, quàm quâ ani-

ma ponitur pro amicis suis & proximis, hanc in Fratribus excelsam, & eâ Provinciam fuisse perfectam æquus concludo. Captivavit hæc Ecclesiæ Præsulum animos, ita,ut certatim novarum Domuum fabricas,etiam ex substantia Ecclesiæ,coadjuvarent: ædes S.Nicolao sacras, & adjacentes terras, Franciscus Cardinalis Jojosæus de majore Monasterio *Marmoutiers* dicto, cujus Abbas Commendatarius erat, accedente Patrum Benedictinorum consensu segregat, & Domûs Turonensis principia facilitat: Arnaldus Sorbinus, Niverni Episcopus, Prioratum sæcularem S. Valeriæ, extra muros Civitatis Nivernensis situm, conclusæ Fratrum Domui commodum censet, & illius cessione eorum labores remunerat. Godefridus de S. Belin, Pictaviensium Præsul, ut Fratres habeat sui Episcopii inquilinos, Ecclesiam Parochialem S. Gregorii cum Cœmeterio, eorum fabricæ & usui destinat, & Parochianos Ecclesiæ S. Porcharii uniri jubet. Rex ipse Christianissimus ut campum Messis Apostolicæ reddat Fratribus ampliorem, non solùm pro construenda in Civitate Aurelianensi Domo Castellum S.Joannis Albi jam anno 1578. concessit, sed & Rupellam anno 1628. suæ ditioni, operâ & consilio P.Josephi de Tremblay subactam, petulantis hæreseos sentinam, fidei Fratrum commisit, & anno 1670. Rupeforti, ubi rei Nauticæ & Hydrographicæ disciplinam induxit, eos instante Carolo de Colbert de Terron, supremo rei maritimæ Præfecto, Consiliario Statûs &c. ceu lapides probatos, angulares & pretiosos, quibus fides inniteretur, poni jussit, eo quidem felicitatis effectu, ut numerus eorum, qui intra 80. annos nativam sectam in Ecclesia nostra ibi abjurârunt, ad 1582. extendatur. Mirari inde nemo debet, si & ipsi Ecclesiæ Antistites gratioso semper favore eos sunt prosecuti, tum beneficiis charitatis illos cumulando, tum privilegia spiritualia cum distinctione iis largiendo, tum fida eorum studia ad sua consilia vocando. Singularis prorsus in hoc est Illustrissimi, & Reverendissimi Guilielmi d'Hugues, moderni Præsulis Nivernensis, affectus, qui non solùm Fratres ad præcipuas Evangelii Cathedras seligit, sed & Hospites tenet in Episcopio, & Socios æquè mensæ suæ, ac Visitationis Diœcesanæ adhibet: amorem, quo Fratres prosequebantur Illustrissimi & Reverendissimi Domini Arnaldus Sorbinus, & Eustachius de Lys, Episcopi Nivernenses, probârunt in corde, quod Niverni in Fratrum Ecclesiâ quiescere voluêre, ut, ubi thesaurus amoris fuisset, ibi & cor eorum maneret.

Foti eousque Fratres Domos Regulares ita multiplicârunt, ut anno 1610. eas de Provincia Parisiensi dissecare, & in Provinciam distinctam cum Conventibus Britanniæ erigi oportuerit. Quantumque hi postmodum & anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono jus & titulum Provinciæ propriæ acquisiverint, manet tamen Turonensis, quæ & à S. Michaële Archangelo nomen retinet, Provincia similis fœcundo fluvio; & sicut hic effusâ aquâ circumjectos rigat campos, & multiplici florum fœtu vestit, ita illa perenni virtutis humore, quos recipit, alumnos, ad Religiosæ perfectionis virorem maturat. Enituêre in hoc Fr. Claudius Bituricensis, Religiosus ad Apostolicæ vitæ normam compositus, & comitate gravitati mixtâ conspicuus: necnon Fr. Petrus Pictaviensis, Vir virtute, & Doctrina celebris, Summo Pontifici Clementi X. ob res pro Ecclesiæ bono præclarè gestas charus, quorum primus binâ, alter verò unâ vice subsellia Fori, seu Definitorii Generalis occupâvit &c.

Fr. Josephum le Clerc de Tremblay jure quodam suum vendicat, cum factâ Provinciæ Parisiensis divisione Turonensem sibi pro mansione selegerit, & hujus separatæ clavum Provincialem tenuerit. Ea autem fuit hujus Viri virtus & meriti extensio, ut utrique Provinciæ pro partitione sufficiat, & fusior de illa suprà data sit relatio.

Fr. Spi-

Fr. Spiritum Blessensem ornavit scientia vocis, & ea Religiosæ vitæ perfectio, ut Ludovica Francisca de Rochechoüart de Monte Martyrum, totius Ordinis Fontis Ebraldi Abbatissa Generalis anno 1720. eum Visitatorem celebris sui Monasterii &c. actu publico destinaverit. In aliis talis virtutis splendor effulsit, ut sanctitatis opinio in nostris annalibus effusè expressa, illorum nomen æquè commendet, ac decus extendat Provinciæ diffusæ

Ad Conventus Fratrum	34.
Missiones extra Provinciam	plures.
Monasterium Monialium	1.

Arnaldum Sorbinum, Episcopum Nivernensem, de suo erga Ecclesiam zelo, & constructâ Fratribus nostris in Civitate Nivernensi Regulari Domo laudibus ornat.

Venerabili Fratri, Arnaldo, Episcopo Nivernensi.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INter Ecclesiarum sollicitudinem, & Apostolicas curas, quibus continuò premimur, non leve solatium Nobis ingessit nuncius, quo res Ecclesiæ tuæ prosperè procedere significâsti. Nec possunt illæ majora in dies suscipere incrementa felicitatis, dum novos Operarios ex Religiosâ FF. Minorum S. Francisci Capucinorum Familia ad culturam tuam vocas, iisque Regulare Domicilium in Civitate Niverni construere intendis. Deo ipsi præparas habitaculum, quod Minimis ejus erigis; debesque uberem gloriæ, & gratiæ accessionem Tibi polliceri; dum indefesso pioque zelo Ecclesiæ suæ commoda tum amplificas, tum tueris, cui & Nos Apostolicam Benedictionem, Pontificiæ nostræ erga Te benevolentiæ pignus, peramanter adjungimus.

Romæ 10. Maji 1601.

Exempl. Authent. in Archivo gener. Ord. Armario Provincia Turonensis.

N O T A.

QUâ Ordinis laude piissimus Antistes nos in Civitatem Nivernensem induxerit, liquet ex instrumento, quo Prioratus Sæcularis Sanctæ Valeriæ pro situ fabricæ nobis fuit concessus, & quod sequentis est tenoris.

Arnaldus Sorbinus, Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopus Nivernensis, omnibus Christifidelibus præsentibus, & futuris salutem in Domino.

Inter innumera, quæ Populo Christiano quotidie exhiberi solent, Divinæ Providentiæ testimonia, illud observatione maximâ dignissimum videtur, quòd novis Ecclesia suæ Sanctæ Apostolicæ Romanæ occurrentibus morborum generibus, nova & opportuna remedia semper opponere consuescat; quod cum infinitis præteritorum temporum exemplis ostendi possit, clarior tamen, & apertior hujus rei nobis hoc nostro sæculo innotescit probatio: cum enim humani generis hostis, & infensissimus Christianæ Religionis inimicùs Diabolus ingenti in Dominicum gregem hæresum immissâ colluvie, & corruptissimorum omnis sexûs, omnis ætatis, omnis qualitatis, & gradûs, morum pestifera ægritudine se nostram hanc Gallicanam Ecclesiam omnino eversurum, ac Catholicam Religionem ex hujus Regni finibus expulsurum existimaret: O immensam Omnipotentis Dei Patris clementiam! O ineffabilem æterni ejus Filii benignitatem! O nunquam satis laudatam, & laudandam Spiritûs Sancti in suos tutelam! Ecce novos eradices, & evellendis ex Christianorum animis erroribus idoneos Doctores, ac corrupti Ecclesiastici Corporis humoribus purgandis peritissimos medicos immittis: inter quos Venerandus Capucinorum Fratrum Ordo, Seraphici Patris Divi

Francisci collabentem Regulam pristinæ splendori restituens, admirabiles nostra ætate pœnitentiæ, pietatis, & sanctitatis producit effectus. Quod cum frequentiùs tacita, & intenta mente meditaremur, Nos, qui à vigintiduobus annis, à quibus hujus Nivernensis Ecclesiæ, Dei benignitate, Pastoralis nobis cura commissa est, in Christi Vinea excolenda, quantulamcunque potuimus, diligentiam adhibuimus, tales, ac tantos Viros nobis nostri operis adjutores summo studio advocandos optabamus, ut salutaribus illorum monitis, & exemplari vitâ plebs nostra Nivernensis instituta, pleniores & uberiores Fidei, Religionis, devotionis, & pœnitentiæ fructus exhibere posset. His nostris votis accessit pium, & laudabile Illustrissimæ, & Devotissimæ Principis, & Ducissæ Nivernensis desiderium; accessit etiam Religiosa, & humilis Civium nostrorum tum Ecclesiasticorum, tum Laicorum deprecatio, cui non solùm adstipulari, sed etiam, quantùm in nobis est, illam promovere, & ad optatum finem perducere cupientes, de Fratrum nostrorum Decani, Canonicorum, & Capituli consilio, matura priùs per diversos tractatus habita deliberatione locum extruendo illis Monasterio commodum duximus assignandum: & cum in eo exquirendo laboraremus, occurrit nobis Prioratus Sæcularis Sanctæ Valeriæ extra muros hujus nostræ Civitatis Niverni, locus satis opportunus, quem quidem Prioratum nobilis, & discretus Vir, Magister Joannes Genestus, Presbyter, sacræ paginæ Doctor Sorbonicus, Ecclesiæ nostræ Canonicus, & Archidiaconus major nunc obtinet: Cujus quidem Prioratûs Ecclesiam, Domum, Hortum, & illis adiacentia de præfati D. Joannis Genesti consensu assignanda decrevimus, & assignavimus, concessimus, & donavimus, concedimus, & donamus per præsentes; &, quatenus in eodem loco præfati Capucini Fratres Monasterium construere, construere, & ædificare possint, illis facultatem, & licentiam impartimur. Et quoniam quidam Laici Ecclesiæ prædictæ Sanctæ Valeriæ in hoc Suburbio commorantes à Priore præfato, aut ejus Vicario Sacramentorum Ecclesiæ administrationem suscipere solebant, idque non à multis annis, cum antea Ecclesiæ Sancti Troesii, quæ intra muros hujus Civitatis sita est, Parochiani existerent, Nos illos suæ pristinæ Parochiali Ecclesiæ restituere dignum existimantes, illorum, & Venerabilis Viri Magistri Joannis Joiny Presbyteri, & Curati dictæ Ecclesiæ S. Troesii, prius super hac re habito consensu, illis eumdem S. Troesii Curatum, & Rectorem præficiendum curavimus, & constituimus, à quo in posterum Ecclesiæ Sanctæ necessaria sibi Sacramenta suscipient: eique decimas fructuum ab iis prædicto Priori Sæculari Sanctæ Valeriæ præstari solitas ratione administrationis dictorum Sacramentorum persolvent: hac tamen lege; ut dictus Curatus S. Troesii Subsidiorum Regiorum tertiam partem solvere teneatur. Reliquos præfati Prioratûs sæcularis fructus Archidiaconatûs majoris dignitati, cum sint illius tenuissimi redditûs, de prædictorum Fratrum nostrorum Decani, Canonicorum, & Capituli consilio, antiquorum, & novissimi Tridentini Conciliorum, necnon Regiorum Constitutionum, ac maximè Blesianarum Comitiorum innixi authoritatibus, decrevimus uniendos, ut commodiùs præfatus Archidiaconus major onera dignitati suæ congruentia sustinere possit: ita tamen, ut prædictus Archidiaconus reliquos duas Regiorum Subsidiorum partes, quibus prædictus Prioratus S. Valeriæ est obnoxius, & si quæ in posterum alia imponi contigerit, solus subire teneatur. Quæ omnia, & singula beneplacito Domini Domini Papæ Clementis VIII., Regis nostri Christianissimi Henrici IV., & supremi Senatûs Parisiensis arbitrio duximus subjicienda, illos obnixè deprecantes, quatenus huic tam pio, & Catholico Operi promovendo suam authoritatem impartiri non dedignentur. In quorum fidem præsentes propria manu subsignatas per Secretarium nostrum fieri, sigillique nostri appensione communiri jussimus, & fecimus.

Datum Niverni die vigesima quarta mensis Aprilis, Anno Domini millesimo sexcentesimo primo præsentibus ibidem &c.

Sorbin. Episc. Nivern.

Exempl. Authent. in Archivo Ord. Armario prædicto.

Capellam cum terra, horto &c. ab Abbate Monasterii Majoris Turonæ Ordin. S. Benedicti Fratribus donatam, & Fabricæ Domûs minùs, aptam cum Vinea Sacerdotis Antonii *Du bois* permutari committit.

Venerabili Fratri, Archiepiscopo Turonensi, seu dilecto Filio, ejus Officiali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, seu dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis desuper Pastoralis Officii debito votis illis, per quæ Monasteriorum, seu Domorum Religiosorum quorumlibet utilitates & commoda procurantur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti Filii Provincialis, & Guardiani Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Parisiensis, quod aliàs dilecti etiam Filii Abbas & Monachi Monasterii Majoris nuncupati S. Benedicti, seu alterius Ordinis prope & extra muros Civitatis Turonensis, quamdam in suburbiis ejusdem Civitatis juxta suos notissimos confines sitam Capellam cum suis pertinentiis, ad effectum ibidem Domum unam prædicti Ordinis Capucinorum erigendi, ipsis sub nostro & Sedis Apostolicæ beneplacito concesserunt.

Cum

Cum autem, sient eadem expositio subjungebat, juxta formam & modum fabricæ dictæ Domûs, Capella hujusmodi unà cum terrula, ædicula, & hortulo ab ea dependentibus in eminentiori cujusdam collis loco extra designatam, & jam forsan perfectam fabricam hujusmodi posita, eidem fabricæ, & Domui usui esse non possit, & dilectus pariter Filius Antonius du Bois, Presbyter Turonensis Diœcesis, pro ea, quam erga Ordinem Capucinorum hujusmodi devotionem gerit, vineam quamdam, quam dictæ fabricæ, seu Domui contiguam, ac usibus illius multo commodiorem habet, unà cum Capella, terrula, ædicula, & horto prædictis permutare, si nostra ad id eis licentia suffragetur, ipsis obtulerit. Ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur certam de præmissis notitiam non habentes, nec non Capellæ, terrulæ, ædiculæ, & hortuli prædictorum confines, qualitates, & denominationes præsentibus pro expressis habentes, ac eosdem Provincialem, & Guardianos, ac eorum quemlibet à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, Frater Archiepiscope, seu discretioni tuæ, Fili Officialis, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, de præmissis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis ante omnia, Te diligenter informes, &, si per informationem eamdem ita esse, ac permutationem hujusmodi, si fiat, in evidentem dictæ Domûs utilitatem, & commodum cessuram esse, ut præfertur, repereris, Provinciali, & Guardianis prædictis Capellam, ac terrulam, ædiculam, & hortulum prędictas cum dicta vinea permutandi, licentiam, auctoritate nostra Apostolica concedas. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædecessoris nostri, de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Marcum sub annulo Piscatoris die XVIII. Augusti MDCVIII. Pontificatûs nostri anno quarto.

Ex Archivo Secretariæ Congregat. mensis, & anni prædictor. fol. 306.

Fratribus sex ad Fidei propagationem destinatis, spirituales gratias, & facultatem Simoniacos ab excommunicatione absolvendi largitur.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Ut dilecti Filii sex Concionatores, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Professores, in Provincia Turonensi ad Fidei propagationem canonicè deputandi, munus suum ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem melius obire possint, quantùm cum Domino possumus, providere volentes, eisdem Concionatoribus, postquam deputati fuerint, qui semel in anno die per eos, & quemlibet eorum eligendo verè pœnitentes &c. refecti aliquam Ecclesiam visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum &c. preces effuderint, Plenariam &c. elargimur. Insuper, ut quando Concionatores prædicti feriâ secunda cujusque hebdomadæ dumtaxat Missam Defunctorum pro anima &c. migraverit, celebrabunt, & eorum quolibet celebrabit, anima ipsa &c. consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi &c. meritis suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus; nec non eisdem, ut orationem quadraginta horarum arbitrio Ministri Provincialis Turoniæ, & extra Ecclesias eorumdem Fratrum de licentia Ordinariorum bis in anno instituere: Præterea eisdem Concionatoribus, & eorum cuilibet, quoscumque Provinciæ prædictæ Simoniacos humiliter recurrentes, & veniam petentes, dimissis prius per eos beneficiis per Simoniam obtentis, ac injunctis illis arbitrio eorumdem Concionatorum pœnitentia salutari à Simoniæ, ac excommunicationis pœnis per eos propterea incursis in foro conscientiæ dumtaxat, absolvere liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus ad quinquennium proximum tantùm valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVI. Aprilis MDCXVI. Pontificatûs nostri anno duodecimo.

Autograph. in Arch. Secr. Brev. Apostolic. Regesto mensis, & anni præd. fol. 241.

Peti-

Petitionem circa gubernium Monialium Capucinarum Turonæ à Fratribus suscipiendum, à se ratam haberi, Regi Christianissimo renuntiat.

Charissimo in Christo Filio Nostro, Ludovico, Francorum Regi Christianissimo.

PAULUS PAPA V.

Charissime in Christo Fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Majestatis Tuæ meritis debemus, ut, quoties cum Domino possumus, voluntati tuæ obsecundare studeamus, præsertim, si petitiones tuæ, ut plerumque solent, ad ea, quæ pietatis sunt, pertineant. Quod igitur de Monasterio Religiosarum Capucinarum in Civitate Turonensi per ejusdem Ordinis Fratres moderando à Nobis tuis litteris postulasti, id libenter Majestati Tuæ gratificamur, promptoque semper, ac sollicito studio ad illa omnia erimus, quæ tibi grata fore intelligemus. Et Majestati Tuæ cœlestis gratiæ copiam, secundaque omnia à Domino enixè precantes, iterum ex intimo cordis affectu Apostolicam Benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die IX. Septembris MDCXIX. Pontificatûs nostri Anno decimo quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes Regest. mens. & ann. prædict. fol. 229.

N O T A.

Litteræ Regiæ, quibus à Summo Pontifice curam Monialium dirigendarum nobis committi, petitum est, sonârunt, uti sequitur.

BEATISSIME PATER.

Notum fiet Sanctitati Vestræ, quod pro incremento, & progressu Religionis, in nostra Civitate Turonensi ad humiles piasque preces dilectæ nostræ Cognatæ de Mercoeur, *fundationem Monasterii Monialium Capucinarum concesserimus, cujus directionem dum PP. Capucinis committi illa ardenter exoptat. hi nobis pro hujus exemptione supplicârunt, ministerium hujusmodi iis per Regulam & Statuta Ordinis prohibitum prætendentes. Quapropter ab eorum pietate aliud sperare non licet, ni Sanctitas Vestra authoritatem suam humilibus devotisque nostris conjungat precibus, quibus Sanctitatem Vestram in nomine Domini conjuramus, ut authoritatem suam ita interponat, quatenus condescendant, & opus, ex quo Religioni plurima commoda accedent, suscipiant. De Sanctitatis Vestræ zelo, pietate, & affectu impatienter dispositionem in casu necessariam expectamus, cujus & nos semper devinctos profitebimur.*

Ambasiæ 8. Julii 1619.

Ludovicus.

Attentis hisce litteris Regiis, ac Pontificio consensu, P. Hieronymus à Castro Ferrettorum, Procurator Generalis Ordinis, suscipiendæ à Patribus Provinciæ Monialium curæ, meritum S. Obedientiæ conjunxit, litteris ad P. Ministrum Provincialem sub hoc tenore datis.

Reverende Pater.

Per litteras Sanctitati Suæ sub 8. Julii Ambasiæ scriptas Rex Christianissimus peculiare desiderium, quo Religionem pietatemque Christianam in regno suo florere cupit, exposuit, petiitque Sanctitatis Suæ consensum, quatenus Ducissa Mercurii in Civitate Turonensi Monasterium pro Mulieribus, quæ institutum Capucinarum successivè amplecti, seque Deo ex toto corde consecrare voluerint, ædificare posset. Hoc autem ita ad perfectionem deducto, ut ab Alumnis, quæ in numero notabili id ingredi paratæ sunt, inhabitari possit; attentoque, quod sua Majestas initium ingressûs medio meliore, & medium fine optimo secundari requirat, prædicta Ducissa impensè Sanctitati Suæ supplicavit, quatenus jubere dignaretur, ut Superiores majores Provinciæ Turonensis curam dictarum Sororum, & Monasterii in se suscipiant, haud aliter, ac cura Capucinarum & Monasterii Parisiensis jam suscepta fuit. Inde, cum tum ex hac cura, tum directione Religiosarum, quæ vitæ & probitatis non ordinariæ esse debent, sperari possit, quod (uti supra dictum est) medium secuturus sit finis, Sanctitas Sua piæ petitioni condescendere consultum judicavit, quemadmodum & jam condescendit. Quapropter Sanctitatis Suæ intentioni inhærendo, Reverendæ Paternitati Vestræ hasce præsentes scribo, vigore quarum æquè, ac cum merito sanctæ Obedientiæ prædictarum Monialium, & earum Monasterii curam in se ita suscipiet, quemadmodum in antea talis Monialium & Monasterii Parisiensis suscepta fuit. Cæterùm Reverenda Paternitas Vestra in hujus negotii

tii executione præsentium tenori se conformabis, Fratresque suos, ac postmodum dictas Sorores pro Sanctitatis Suę incolumitate Deum orare facies.
Romę 7. Septemb. 1619. &c.

Fr. Hieronymus &c.

Curam Spiritualem Monialium prædictarum à Fratribus suscipi, sub præcepto obedientiæ mandat.

Dilecto Filio, Ministro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Turonensis.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM, sicut Dilecta in Christo Filia, Nobilis mulier, Maria de Luxembourg, Ducissa Mercurii, Nobis nuper exponi fecit, ipsa in Civitate Turonensi unum Monialium Capucinarum Monasterium ad Omnipotentis Dei, & ejus Matris Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium laudem & gloriam, ac Mulierum illarum partium sub suavi Religionis jugo Altissimo famulari desiderantium spiritualem fructum, prævia Sedis Apostolicæ licentia fundare & erigere intendat, Nos, pro nostro pastoralis officii debito, prospero dicti Monasterii regimini, & administrationi prospicere volentes, & sperantes, si regimen & administratio dicti Monasterii Tibi committatur, illud in spiritualibus & temporalibus incrementa susceptorum esse; Idcirco Apostolica auctoritate, tenore præsentium Tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ committimus & mandamus, ut, postquam dictum Monasterium canonicè erectum, & debitâ clausurâ munitum, suisque rebus necessariis instructum, & Moniales in eo introductæ fuerint, ejusdem Monasterii, illiusque Monialium, ac personarum in illo pro tempore degentium in spiritualibus curam, gubernium, regimen, moderationem, & institutionem suscipias & geras, in eumque finem talem ex tuo Ordine designes, & deputes Sacerdotem, ad nutum Superiorum amovibilem, qui verbo, & exemplo vitæ dictas Moniales in Constitutionum Regularium dicti Ordinis observantiam inducere, ac juxta easdem Constitutiones, & instituta regere, & gubernare possit & valeat. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ Priorissæ & Monialibus Monasterii erigendi hujusmodi pro tempore existentibus, ut Tibi pareant & obediant, tuaque salubria monita recipiant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam juramento &c. roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die prima Octobris MDCXXI. Pontificatûs nostri Anno primo.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apostolicorum mens. & ann. prædictor. fol. 67.

N O T A.

TAM felicem constructi à se in Civitate Parisiensi Monasterii Monialium Capucinarum progressum Maria Ducissa Mercurii suspexit, ut dexteram Domini verè supra id extensam miraretur. Inde ut gloriam Dei in sacris lapidibus novo cultu propagaret, locum pro alia, & simili fundatione inquisivit, Civitatemque Turonensem ceu hortum signavit, in quo flores seu Filias passionis, quæ Sponsum suum candidum ac rubicundum, & candore virginitatis, & rubore compassionis, innocentisque pœnitentiæ sequerentur, plantaret. Hunc in finem à Christianissimo Rege Ludovico XIII. consensum requisivit, obtentum 3. Octob. 1617. sub tenore sequenti.

Volens sua Majestas laudabili pioque quarumdam Dominarum consilio in fundatione Monasterii, quod Monialibus Capucinis in Civitate Turonensi construere intendunt, favere, hoc faciendi iis facultatem libenter concessit, & quidem in loco & situ, qui iis destinabitur: ac in suę voluntatis testimonium omnia necessaria expediri jussit, & presentes propria manu signavit.

Ludovicus.

Regio

Regio consensui cum & Archiepiscopus Turonensis, Bertrandus Deschaux, suum univisset, & operis felicem successum omnes præsumerent, remoram inopinam Patres Provinciæ, curam & directionem sub motivo, quod hæc indiscriminatim circa omnes Moniales ab Ordinis Constitutionibus iis interdicta foret, in se suscipere renuentes, posuêre. Sustulit quidem è medio scopulum hunc Epistola Regia ad Summum Pontificem Paulum V. desuper data, & superiùs Pontificiô responso subnexa; necdum tamen quievit spiritus contradictionis, sed ita animos quorumdam de Magistratu incessit, ut hic 4. Januarii 1622. contra fundationem protestaretur. Fruente jam in Cœlis Ducissâ Mercurii gloriæ diademate, quod sibi ex virtute cooptaverat, animavit Deus spiritum Franciscæ, Ducissæ de Vendosme, Filiæ ac hæredis æquè maternæ pietatis, ac amplissimæ substantiæ, eidemque, ut novas de Rege litteras curaret, suggessit. Has & facilè obtinuit à Rege, qui eam peculiari deperibat affectu, fueruntque tenoris sequentis;

Ludovicus, Dei gratia Galliæ, & Navarræ Rex &c. omnibus præsentibus, & futuris salutem &c.

Notum facimus, quod ad humillimas preces, à Charissima nostra Cognata Francisca de Lotharingia, Consorte charissimi Fratris nostri naturalis, Ducis de Vendosme, Nobis porrectas pro concedenda sibi, ac aliis, qui Fundatores esse cupient, facultate, Monasterium Monialium Capucinarum, quas filias Passionis *nuncupant, in nostra Civitate Turonensi construendi, nec non pro executione tum litterarum Apostolicarum à Sanctitate Sua, ex nostra recommendatione per defunctam nostram dilectam Cognatam, Mariam à Luxemburgo, Ducissam de Mercoeur, ejus Matrem obtentarum, tum nostri edicti à Nobis jam aliàs emanati, tum consensûs dilecti nostri Archiepiscopi Turonensis, nostri consilii Statûs Consiliarii &c. sicut & Tribunorum & Consulum Civitatis nostræ Turonensis, de quo fidimatæ copiæ hisce sigillo nostri Cancellarii munitis adjunguntur, Nos ex parte nostra ad ea omnia, quæ ad Dei gloriam ejusque cultum in propagatione & incremento Ordinis Seraphici S. Francisci, & S. Claræ, erga quos singularem reverentiæ & devotionis affectum gerimus, concurrere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, intentionem nostram, illi Altefatæ Ducissæ de Vendosme in tam pio sanctoque opere univerimus: hinc volumus, ordinamus, & approbamus, ut dictum Monasterium Capucinarum, Filiarum Passionis, in nostra Civitate Turonensi construatur, ita tamen, ut proprietarii hæreditatum & locorum, ad hunc finem emptorum, per eos, qui fabbricæ expensas solvunt, rationabiliter compensentur, & construatur juxta Suæ Sanctitatis Breve, & consensum prædictum, prout utrumque hic sub sigillo est adjunctum, & quod ratihabuimus, & confirmavimus, ratihabemus, & confirmamus, ac de puncto ad punctum juxta eorum formam & tenorem executioni dari volumus. Hinc mandamus dilectis Consiliariis, Ministris nostri Parlamenti Parisiensis, ut præsentes legi, publicari, & registrari faciant, & Procuratori nostro Generali, ut ad executionem præsentium procedat, non obstantibus quacumque oppositione, litteris, & ordinationibus, hisce contrariis, cum hæc sit nostra voluntas.*

Datum Parisiis 8. Martii, anno Gratiæ 1626. nostri Regni 16.

Ludovicus.

Contra spem elusit effectum litterarum harum Senatus Civitatis; ac Regiam voluntatem per annos in varias torsit difficultates, ad quas tandem tollendas Rex æquè ac Regina ad Præsides Civitatis subjectas dedêre litteras.

Dilecti Amici.

Pro fundatione Monasterii Monialium Capucinarum, Filiarum Passionis, in nostra Civitate Turonensi ad preces nostræ Dilectæ Cognatæ Ducissæ de Vendosme litteras patentes in forma publicâ expedivimus, fuitque per defunctam nostram Cognatam Ducissam Mercurii, illius Matrem, Breve Apostolicum à Sua Sanctitate desuper obtentum; cum autem fundationi hujusmodi ex parte vestra obstaculum poni informemur, litteras hasce scribi, vobisque significari voluimus, quod cum Ordinem harum Religiosarum speciali affectu prosequamur, precibusque ad earum favorem nobis à Regina nostra dilectissima Conjuge, quæ illarum Fundatrix esse cupit, porrectis inclinemur, volumus, mandamus, & expressè injungimus, ut fundatio Monasterii Monialium Capucinarum in nostra Civitate Turonensi permittatur, quin ulla desuper moveatur oppositio, juxta litteras nostras patentes, attento, quod illa, quæ ad Dei gloriam, & populi ædificationem tendunt, impedimenta non admittant, & tale est nostrum beneplacitum.

Datum ad S. Germanum 8. Martii 1633.

Ludovicus.

Dilecti.

Devotio nostra erga Ordinem S. Francisci, & peculiaris affectus erga pietatem & exemplarem Monialium Capucinarum vitam, movet nos ad suscipiendam curam earum fundationis, quæ tum ædificationis, tum consolationis publicæ argumenta adpromittit, impellitque, ut earumdem Monasterii Fundatrix esse cupiamus, Hinc, cum Rex, Dominus & Conjux noster, hoc in Civitate Turonensi construi per litte-

litteras suas patentes permiserit, vobis hanc nostram piam intentionem ad bonum, & incrementum harum Sororum manifestare, simulque obsequium, quod tum voluntati Regis vos conformando, tum vestrum consensum, perfectioni operis, ex sensu D. Archiepiscopi gloriæ & cultui Dei tam utilis præbendo, Nobis præstabitis. Et sicut credere volumus, quod libenter fundationi huic manum sitis daturi, ita, quantùm hæc vestra facilitas nobis sit grata, judicare potestis. Inde, dum felicem, quem Nobis desuper pollicemur, effectum exspectamus, pariter ut Deus vos custodiat, precamur. Parisiis 28. Febr. 1633.

Anna.

Sublatis jam de fabrica externa obicibus, ad internum Domûs decorem pensatum, & conclusum est, ut Institutrices, quæ Seraphici spiritûs basin ponerent, è Parthenone Parisiensi vocarentur. Fuerunt illæ Soror Maria Turonensis, Soror Advocati de Perroneau; Soror Clara, Turonensis, ex divite Batantinorum Familia; Soror Agnes à S. Colleta, Soror supremi Intendentis & Domini de Bouteillier, ac Victoris Archiepiscopi Turonensis, nec non celebris & in historia noti Armandi Joannis, Reformatoris de la Trappe Cognata; & Soror Pacifica Parisiensis, de Domo ob plura collata beneficia, constructumque intra claustra Montem Alverniæ meritissima. Hæ de Professionis suæ septis legitimâ auctoritate eductæ, Comite Ducissa de Vendome, ejusque Filia Civitatem Turonensem feliciter attigerunt, & muros converterunt in Virginitatis Sacrarium, divinum Trisagium canentes, ac relinquentes generationem Sororum, quæ haud aliter, ac olim D. Ambrosius: *Lib. 1. de Virgin Cap.* 10. de priscis Virginibus memoravit, *sine contubernali sexu, contubernali pudore, relicto parentum hospitio, tendunt in Tabernaculis Christi indefessæ Milites Castitatis: nunc personant spiritualibus Canticis, nunc exercent victum operibus, semper Christo se amoris hostiam litant.* Quod patentiùs expressit Eminentissimus Cardinalis Rospiliosius, Ordinis Protector, litteris ad eas datis sub hoc tenore.

Jacobus, miseratione Divinâ tituli SS. Joannis & Pauli, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Rospiliosius, totius Ordinis Capucinorum Protector.

Reverendis DD. Præfectæ & Monialibus Capucinis Civitatis Turonensis Salutem in Domino.

Spiritus Domini, cujus Sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur, quanta in Vos, & Monasterium vestrum effuderit charismatum dona, unusquisque Nobis abunde testatur, qui ex Turonensi Civitate ad sanctam hanc Sedem proficiscitur. A' vobis enim diffamatum est in universo Galliarum Regno, quâ morum innocentiâ, quo animi fervore, quâ Religionis disciplinâ inservire debeant, quæ Virginitatem suam Christo dicârunt. Quodque non sine animi nostri gaudio meminisse juvat. fides vestra, quæ ad Deum est, tot clarescit veræ pietatis monumentis, ut speculum ubique factæ sitis omnium virtutum; &, dum Divi Francisci Patris vestri exemplo, & imitatione, non gloriamini, nisi in Crucis rutilante vexillo, ea adimplere satagitis, quæ Jesu Christi Domini nostri desunt passioni.

Cum itaque propter vestrum in Deì amorem dignæ sitis, quæ ab omnibus singulari suspiciamini benevolentia, atque existimatione, Nos in unamquamque Vestrûm cordis nostri sinceritatem declarare cupientes, piissimis etiam supplicationibus vestris inclinati, ad majorem Dei gloriam, vestrumque in Religione Catholica profectum, Vos, Monasterium, cunctasque res vestras sub Protectionis nostræ munere, quod super universum Capucinorum Ordinem Sancta Sedes Apostolica imbecillitati nostræ demandare dignata est, libentissime recipimus, & complectimur; Vobisque omnem operam, & studium nostrum in quavis occasione benignè pollicemur, spem certam concipientes, suffragia, atque orationum vestrarum opem apud Patrem Omnipotentem Nobis non defuturam, ut vires nostras tanto oneri pares pro ejus bonitate efficiat; quâ etiam confidimus post emensum hujus vitæ curriculum sempiterna ejus fruitione unâ vobiscum repleri, qui Benedictionem nostram amantissimè Vobis impartimur.

Datum Romæ 20. Maji 1675.

Exemplar in Arch. Gen. Ord. Armario *Provinciæ Turonensis*.

Mirum inde non est, si de Monasterio, in quo regularis perfectionis fervor enitet, excerptæ sint Magistræ, ubi de fundanda Lisbonæ Capucinarum habitatione agebatur: excerptæ sint juxta Apostolicas litteras, suprà fol. 59. datas Soror Margaritha à S. Cruce, Andegavensis, veræ virtutis, & prudentis consilii speculum, ac Rosa de Passione, Turonensis, à Regina plurimùm & ita æstimata, ut ipsa Sorori ejus in actu Professionis Velum Monasticum imposuerit.

Nec mirum est, quod plures Galliæ Proceres pro se orationum suffragia à Monialibus petierint, & Rex Poloniæ & Dux Lotharingiæ Stanislaus cum Regina Conjuge replicatis litteris iis Regiæ benevolentiæ officia adpromiserint &c.

Acta Episcopi N. sese intromittentis causæ Fratris rei annullat, judicium & cognitionem illius ad Superiores Provinciæ pertinere declarat, ac Archiepiscopo Parisiensi de jure, & auctoritate Pontificia desuper procedere committit.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Franciscus de Nigro, Januensis, Procurator Generalis in Romana Curia totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod, cùm aliàs Fr. NN. dicti Ordinis professus pro delictis ad ejus Religionem spectantibus, ac etiam hæresis, in Domo Regulari ejusdem Ordinis in Civitate N. detineretur, & causæ hujusmodi cognitio apud Superiores Ordinis præfati, ad quos de jure spectat, examinabatur, vel forsan jam erat lata sententia, ac propterea non posset, nec deberet Venerabilis Frater Episcopus N. in illa, sub quovis prætextu, se intromittere, nihilominus dictus Episcopus non minus temerè, quàm de facto in spretum Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum, præsertim fel. rec. Pii Papæ V. Prædecessoris nostri, nulliter per vim & dolo procedens ad carceres, in quibus prædictus Frater NN. pro delictis, ut præfertur, detinebatur, se contulit, illumque inde extraxit, in statu libertatis posuit, ac exuto Habitu Regulari, & laicali submnistrato, dimisit in contemptum Religionis, & maximum populi scandalum, ac spretum jurisdictionis dicti Ordinis. Quare exponens præfatus habitâ notitiâ de dicto excessu, & gravamine, sentiens se, suamque Religionem graviter læsam, & gravatam, magisque in futurum lædi, & gravari timens, à quocunque gravamine, ut præfertur, nulliter, injustè, & indebitè à præfato Episcopo N. illato, ad Nos, & Sedem Apostolicam appellavit, recurrit, & de nullitate, & attentatis dixit, Nobisque humiliter supplicari fecit, quatenus causam, & causas appellationis prædictæ, ac nullitatis ex tribus &c. & notoriæ injustitiæ, nec non attentatorum, & innovatorum quorumcunque, ac restitutionis in integrum adversùs non interpositam forsan in tempore appellationem, vel illius non prosequutionem, aliaque præjudicialia quæcunque, nec non quam, & quas dictus Exponens super præmissis contra prædictum Fratrem NN., ac alios quoscunque illius fautores, etiamsi Archiepiscopali, Episcopali, vel alia fulgeat dignitate, habet, & movet, habereque, & movere vult, & intendit, cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali summariè, prout in beneficialibus, audiendo, cognoscendo, fineque debito terminando, cum potestate, quatenus opus fuerit, citandi, eisque inhibendi, & sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis procedendi, ac inobedientes in illas incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi, auxiliumque brachii Sæcularis invocandi, nec non attentata, & innovata quæcunque in primis, & ante omnia, prout de jure, revocandi, dictum Fratrem NN. ad carceres, à quibus extractus fuit, reducendi, dictumque Procuratorem Generalem adversùs præjudicialia prædicta, etiam prout de jure, restituendi, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet, & opportuna faciendi, dicendi, mandandi, exercendi, & exequendi, præmissis, & fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus Dietis, dummodo quis ultra tres Dietas vigore præsentium extra suam Civitatem, ac Diœcesin ad Judicium non trahatur; ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, committere, alisque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur statum, & merita causæ, & causarum hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ipsumque Exponentem à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, Fr. Archiepiscope, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vocatis ad id, qui fuerint evocandi, in præmissis omnibus, & singulis, auctoritate nostra facias, prout de jure fuerit faciendum &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVI. Martii MDCXXVIII. Pontificatûs nostri Anno Quinto.

Exemplar in Arch. generali Ord. Armario Provincia Turonensis.

NOTA.

EGisse præsertim contra Constitutionem S. Pii V. Episcopus in litteris præpositis arguitur, quam eam esse arbitror, quæ incipit: *Etsi Mendicantium Ordines &c.* Et in qua num. 16. sequens articulus legitur:

Quo-

Quoniam verò ex nimia Episcoporum sibi irrogata auctoritate ipsi Personas Regulares suæ jurisdictioni omnino subjicere student, ac Decreto Concilii præfati Sess.25. cap.14. quo cavetur, quod, si Regularis intra claustra existens, & extra ea, ita notoriè deliquerit, ut populo scandalosus sit, termino ab Episcopo præfigendo, à suo Superiore omnino puniatur, sin minus, ab Ordinario delinquens puniri possit, confisi, variis, indebitisque gravaminibus Regulares afficiant, Ordinarios præfatos aliquid contra Regulares occasione, vel causa innovare non posse, vel debere in Claustris degentes hujusmodi quovis prætextu, nec aliquos processus contra ipsas Personas Regulares formare, aut facere posse volumus, nisi propter manifestum scandalum, & suorum Ordinum Superioribus prius consultis, & negligentibus, alioquin omnia, & singula contra præmissa facta, & gesta, ac facienda in futurum pro nullis, & infectis habeantur,

---

Episcopo Bajocensi, & alteri ex Provincialibus Provinciarum nostrarum Turonensis, vel Tolosanæ, aut iis impeditis, Guardiano subrogando, Capitulum RR. PP. Recollectorum Burdigalæ celebratum annullare, & novos Superiores eligere committit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futurum rei memoriam.

CUM, sicut dilecti Filii nonnulli Fratres Provinciæ Conceptionis Immaculatæ Virginis Fratrum Recollectorum. *Residuum vide infra inter Documenta Provinciæ Tolosanæ.*

Acta P. Ministri Generalis contra Decretum Nannetense de Provinciæ divisione editum annullat, eundemque Ministrum pro exactiore informatione danda ad Almam Urbem revocat.

Dilecto Filio, Fortunato à Cadoro, Ministro Generali Ord. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum &c.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

INnotuit Nobis nuper, quod, cum in Capitulo Generali Fratrum Minor. Ordinis S. Francisci Capucinorum nuncupatorum anno 1650. in hac Alma Urbe nostra celebrato inter alia decretum fuisset, prosequendam esse executionem Decreti Nannetensis super divisione Provinciæ Turoniæ ejusdem Ordinis, aliàs emanati; quodque per Visitatorem ad Provinciam hujusmodi mittendum declararetur, seu significaretur, & intimaretur celebratum postremò in Civitate Blessensi Capitulum invalidum fuisse & nullum, Fratresque in præmissis inobedientes suspenderentur à divinis, & privarentur omnibus actibus legitimis: Ac insuper Provincialis prætensus dictæ Provinciæ in eadem Civitate Blessensi electus, sive ipsius Vicarius, declararetur privatus munere eligendi, visitandi, Novitios ad Ordinem, sive ad professionem recipiendi, ac hujusmodi receptiones, & professiones in posterum faciendas fore nullas, & irritas; Reliqui verò Fratres, qui se exhibuissent obedire paratos, transirent ad Provincias contiguas, in quibus tanquam legitima S. Francisci Proles exciperentur, & foverentur; Tu subinde in Franciam, Ordinis prædicti Provincias in ea pro Officii tui ratione visitaturus, profectus, tantùm abest, ut prædictum Capituli Generalis hujusmodi Decretum; cujus tu merus totummodo executor eras, debitæ executioni, ut oportebat, mandari curaveris, ut etiam plurima contra seriem, & tenorem ejusmodi Decreti, Ordini prædicto, illiusque prospero regimini, ac etiam jurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicialia, ratus forsan (quemadmodum de tua probitate lubet credere) ita expedire, sine legitima auctoritate feceris, & ordinaveris. Quæ proinde, cum invalida, nulliusque roboris & momenti existant, idcirco, ne Ordo prædictus, ex quo velut è fæcunda arbore secus decursus aquarum plantata uberes virtutum fructus, & speciatim in Francia assiduè producuntur, aliquod ex præmissis in spiritualibus & temporalibus detrimentum patiatur, pro pastorali nostra sollicitudine, & præcipuo, quo eumdem Ordinum in Domino complectimur, paternæ Charitatis affectu, providere volentes, prædictique Decreti tenorem & veriorem præsentibus pro expresso habentes, Motu proprio, & ex certâ scientiâ, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, Tibi in virtute sanctæ Obedientiæ harum serie districtè præcipimus & mandamus, ut statim, atque præsentes receperis, omnia & singula per te præter=& contra tenorem prædicti Decreti ubicunque, & quomodocunque acta, facta, gesta, decreta, & ordinata revoces, casses, & annulles, quæ nihilominus Nos earumdem tenore præsentium, revocamus, cassamus, & annullamus,

ac ex nu nc revocata, cassa, nulla, viribusque, & effectu vacua fuisse, esse, & perpetuò fore decernimus & declaramus.

Ac insuper, ne in convocato, ut accepimus, tuo jussu prætenso Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ Turoniæ intersis, quinimo illius, & cujusvis alterius Capituli Provincialis ejusdem Provinciæ sine nostra, & Sedis Apostolicæ licentia speciali, celebrationem in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub omnium, & singulorum in Capitulis hujusmodi gerendorum nullitatis, excommunicationisque latæ sententiæ, à qua nemo nisi à nobis,& pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, privationisque vocis activæ & passivæ, ac quorumcunque officiorum, dignitatum, & graduum obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & qualibet alia in posterum obtinenda, pœnis, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, probibeas, & interdicas, prout Nos earumdem tenore præsentium prohibemus & interdicimus: Irritum nibilominus & inane ex nunc decernentes, quidquid secus scienter, vel ignoranter, quâvis auctoritate contigerit attentari. Demum, ut postquam præmissa peregeris, illicò te itineri ad hanc Urbem recto tramite recursurus committas, ut de toto negotio hujusmodi oretenus à te exactiùs informati, quod desuper ad Dei gloriam, & Ordinis prædicti commodum statuendum fuerit, adbibita deliberatione maturâ statuamus. Tu igitur, dilecte Fili, injuncta Tibi per præsentes ita diligenter, & accuratè exequi studeas, ut inde promptæ obedientiæ laudem merearis. Non obstantibus Constitutionibus,& Ordinationibus Apostolicis, etiam conciliaribus, nec non Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostulicis, eisdem Ordini & Provinciæ, illiusque Superioribus & personis in contrarium præmissorum in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illoru m tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis babentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis qoibuscunique.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Martii MDCLI. Pontificatûs nostri anno octavo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apost. libro septimo Diversorum fol. 21.

Decretum Definitorii Generalis de divisione Provinciæ, & Resolutiones à Capitulo Generali factas, cum articulis moderationis expressis, approbat, & executioni demandari jubet.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii Nobis (meritis licèt imparibus) divinitus commissi, sollicitudo nos admonet; ut ad ea, per quæ Religiosorum Virorum, qui spretis sæculi illecebris, Altissimi obsequiis sese sub suavi arctioris disciplinæ jugo mancipârunt, quieti, felicique directioni, ac discordiarum inter eos, cum regularis observantiæ dispendio suscitatarum, amotioni consulitur, (quantùm nobis ex alto conceditur) intendamus.

Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus Filius, Procurator Generalis, Ordinis FF. Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quòd, cum super executione Decreti die prima Maji 1648. à Dilecto pariter Filio Innocentio à Calatajerone, tunc temporis existente dicti Ordinis Ministro Generali, in Conventu Civitatis Nannetensis, dicti Ordinis promulgati, quo nonnullis difficultatibus, propter divisionem Provinciæ Turoniæ dicti Ordinis in Britanniæ & Turoniæ Provincias, de anno 1629. per tunc existentem ejusdem Ordinis Ministrum Generalem, assignatis ex primo-dicta Turoniæ Provincia, Britanniæ octodecim: ac Turoniæ hujusmodi Provinciis triginta duobus Monasteriis, cum uno hospitio factam, suscitatis: Idem Innocentius negotio hujusmodi supremam manum imponendi ergò, peractâ per eum utriusque Provinciæ hujusmodi visitatione, convocatisque dilectis etiam Filiis tunc existentibus earundem Turoniæ & Britanniæ Provinciarum Provincialibus, & Definitoribus, necnon utriusque Provinciæ hujusmodi conditionibus (magnitudine scilicet & amplitudine, atque pulchritudine dictæ Provinciæ Turoniæ, cum commoditate adhuc se magis ampliandi; restrictione verò Provinciæ Britanniæ hujusmodi) aliisque considerandis consideratis & perpensis: Baugiense, Flexiense, Sabulense, & Fontaniacense dictæ Provinciæ Turoniæ Monasteris, cum Luconiensi & Marani hospitiis, eidem Provinciæ Britanniæ, cum omnibus quæsturis & confinibus, quibus eadem Monasteria tunc utebantur, perpetuò assignavit, & univit, præcipiens in virtute Sanctæ Obedientiæ, dilectis Filiis, ejusdem Provinciæ Turoniæ Fratribus, tunc existentibus & futuris, ne supradicto-

ctorum locorum assignationem aliquo modo impedire auderent: Provinciali vero & Diffinitoribus ejusdem Provinciæ Turoniæ, ne in gubernatione prædictorum locorum se amplius ingererent, & aliàs, prout in eodem Decreto uberiùs dicitur contineri. Necnon occasione Capituli Provincialis Blessensis dictæ Provinciæ Turoniæ de anno 1650. celebrati, cui etiam dilecti Filii Fratres dictæ Provinciæ Turoniæ, Nobis & Sedi Apostolicæ, necnon Ministro & Commissario Generalibus prædicti Ordinis obedientes, sese opposuerunt, variæ controversiæ & discordiæ exortæ fuissent.

Negotio hujusmodi ad Capitulum, & Diffinitorium Generale dicti Ordinis delato, à Capitulo Generali ejusdem Ordinis anno præfato 1650. in Alma Urbe celebrato, necnon subindè à dicto Diffinitorio Generali emanaverunt Resolutiones & Decretum respectivè tenoris, qui sequitur, videlicet:

Cum ad Capitulum Generale, vel Generale Diffinitorium spectet, ea declarare vel statuere, quæ ad bonum Religionis pertinent: propterea ad removenda ea, quæ pacem tranquillitatemque possunt aliquo modo turbare, in publico refectorio hujus Romani Conventûs, congregatis omnibus Generalis Capituli Vocalibus, (qui fuerunt numero centum triginta circiter) propositæ fuerunt singillatim altera post alteram infrascriptæ propositiones.

Prima: An (suppositâ licentiâ Summi Pontificis) ad hæc usque tempora Generalis, cum auctoritate Diffinitorii Generalis, semper determinaverit modum instituendi & dividendi Provincias, assignandi & terminandi confinia?

Secunda: An semper dictorum Patrum Decreta fuerint per se, vel per alium executioni mandata, ubi à Sancta Sede Apostolica aliter non fuerit ordinatum?

Tertia: An sit in posterum eodem modo procedendum?

Datâ prius facultate unicuique liberè opinandi, & respondendi, Responsum fuit ad omnes propositiones singillatim & distinctè, Affirmativè, nemine prorsus discrepante.

Quartò: Fuit proposita in eodem Capitulo, ut suprà, congregato, hæc propositio, videlicet, supposito, quod P. Generalis, & Diffinitio Generalis ad hæc usque tempora decreverint & determinaverint modum instituendi & dividendi Provincias, & assignandi confinia: & quòd hujusmodi determinationes fuerint semper executioni mandatæ, nisi aliter à Sancta Sede Apostolica determinatum fuerit: Quæritur consequenter, utrum Fratribus Capocinis liceat (salvo eorum statu) ab hujusmodi Decretis appellare, appellatione propriè dictâ, quæ habeat effectum non modo devolutivum, sed & suspensivum, præcipuè interveniente præcepto Sanctæ Obedientiæ, vel excommunicatione? Quâ auditâ, post aliqualem inter Vocales discussionem, ab aliquibus petitum fuit tempus deliberandi, & ut exponeretur publicè in scriptis dicta propositio. Quod concessum fuit. Atque ita terminata fuit prima sessio die 14. Junii Anni Jubilæi 1650. Die verò 16. exposita fuit & affixa ad valvas loci Capitularis prædicta propositio. Subinde die sequenti post vesperas, congregatis omnibus Vocalibus in Capitulo, concessa iterum facultate unicuique liberè opinandi, & suum sensum aperiendi, vocatis omnibus Vocalibus singillatim, consueto ordine Provinciarum, singuli viva voce responderunt negativè; videlicet, non esse locum appellationi: maximè, quæ habeat effectum suspensivum, exceptis ex illis centum triginta, circiter octo vel decem: non quidem dissentientibus absolutè, sed solùm ex aliqua circumstantia. In quorum fidem &c. Nos infrascripti propria manu subscripsimus. Datum Romæ die 25. Junii 1650. F. Fortunatus, Minister Generalis. F. Marcus Antonius, Procurator Generalis. F Simplicianus à Mediolano, Diffinitor Generalis. F. Carolus Bruxellensis, Diffinitor Generalis. F. Ludovicus à Rossenhaim, Diffinitor Generalis. F. Joannes à Monte Calerio, Diffinitor Generalis. F. Bonaventura Tolosanus Diffinitor Generalis.

Cùm à Capitulo Generali nuper fuerit declaratum non licere Fratribus nostri Ordinis (salvo eorum statu) appellare ad effectum suspensivum à Decretis factis per Generalem, de mandato Capituli sive Diffinitorii Generalis super modo instruendi & dividendi Provincias, atque assignandi & terminandi confinia, præsertim interveniente præcepto Sanctæ Obedientiæ, vel excommunicatione, propterea Patres Diffinitionis Generalis censuerunt prosequendam executionem Decreti Nannetensis &c. & ex abundanti, humiliter petendam dictæ Declarationis confirmationem à Sancta Sede Apostolica, & implorandum pro faciliori illius executione auxilium brachii sæcularis à Parlamento Parisiensi, necnon ab ipso Rege Christianissimo. Successivè mandârunt, quòd expellantur à Provincia Turonensi Fratres Michaël Yvo, & Raphael Niverneoses, Ægidius Mosnensis, & Hilarius Pictaviensis &c. Ac transmisso in dictam Provinciam Visitatore necessaria auctoritate suffulto, per eum declaretur, seu significetur, & intimetur postremum Capitulum in Civitate Blessensi celebratum, invalidum fuisse & nullum; omnesque Guardiani olim electi in Capitulo, quod

quod fuit celebratum in Civitate Aurelianensi, ad pristinos gradus per eundem Visitatorem restituantur; suisque locis ad præscriptum dicti Capituli Aurelianensis collocentur, ut ad electiones Discretorum pro futuro Capitulo legitimè congregando devenire valeant, (exceptis illis quatuor, qui fuerunt collocati in illis quatuor Conventibus, qui fuerunt assignati Provinciæ Britanniæ) In quo quidem Capitulo liberum erit dicto Visitatori eos Fratres à Guardianatu, aliisque dignitatibus & officiis excludere, quos excludendos judicaverit: parcendo multitudini, quoad fieri poterit. Quod si præfata, aut ex eis aliquid undecumque, aut quomodocumque impedimentum receperint, & expeditam executionem habere non possint, tunc & eo casu, Patres Diffinitorii mandârunt, quòd quatuor Conventus, de quibus agitur, ab utraque Provincia Turonensi & Britannica, prorsus deserantur: & Fratres inobedientes suspendantur à divinis, & priventur omnibus actibus legitimis. Insuper Provincialis prætensus, sive ipsius Vicarius, declaretur privatus munere eligendi, visitandi, Novitios ad Ordinem sive ad professionem recipiendi: ac hujusmodi receptiones & professiones in posterum faciendas fore nullas & irritas. Reliqui verò Fratres, qui se exhibuerint obedire paratos, transeant ad Provincias contiguas, in quibus tanquam legitima *Seraphici Francisci proles* excipientur, & fovebuntur. Provincia autem Turonensis à Religione Capucinorum, tanquam ad eam non pertinens, penitus abscissa & præcisa remaneat. F. Fortunatus à Cadoro Minister Generalis. F. Marcus Antonius à Carpenedolo, Procurator Generalis &c.

Pro quorum omnium præmissorum executione, dilectus etiam Filius, Fortunatus à Cadoro, Minister Generalis præfati Ordinis in Galliam profectus, totam Provinciam Turoniæ hujusmodi, in duas ferè æquales partes divisam reperit; unam quidem obedientium, qui Superioribus suis in omnibus semper obtemperaverunt; alteram verò inobedientium, qui ad iteratam inobedientiam procedentes celebrârunt Capitulum in Civitate Aurelianensi, de anno 1652. sub prætextu Arresti obtenti, & appellationis interpositæ, & inceptum compleverunt, contra prohibitionem ab eodem Fortunato Ministro Generali (juxta Epistolam Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositæ, in Decreto per eum publicè affixo memoratam,) in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis *latæ sententiæ* factam: posthabitisque nostris, in simili forma Brevis die 13. Martii dicti anni 1652. expeditis Litteris, ac Vocalibus ejusdem Capituli debitè significatis, per quas (inter alia) prædicti, aliorumque Capitulorum Provincialium dictæ Provinciæ Turoniæ, sine nostra, & Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia speciali, celebrationem in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub omnium, & singulorum in Capitulis hujusmodi gerendorum nullitatis, excommunicationisque latæ sententiæ, à qua nemo, nisi à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi posset; privationisque vocis activæ & passivæ, & quorumcumque officiorum, dignitatum, & graduum obtentorum, inhabilitatisque ad illa in posterum obtinenda, pœnis, eo ipso, absque alia declaratione, incurrendis, prohibuimus & interdiximus.

Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, plurimi ex Clericis & Laicis prædictæ partis obedientium, medietatem dictæ Provinciæ Turoniæ ferè constituentis, quæ debitam nostris, & Sedi prædictæ, eorumque Ministri Generalis, & Regulæ præceptis obedientiam præstandi desiderio à cæteris Fratribus ejusdem Prnvinciæ inobedientibus, ne eorum contraventionibus consentire videretur, recesserat, cum obedientia dilecti Filii Claudii Bituricensis, Commissarii Generalis dictæ Provinciæ Turoniæ, à prædicto Ministro Generali, per suas Litteras sub data die 23. Aprilis, & 4. Novembris 1652. instituti, in Provincias contiguas regulam prædictam observandi, & quietem inveniendi ergò, discesserint: dictique inobedientes, qui prædicta Capitula Blesense 1650. & Aurelianense 1652. Annis respectivè celebraverunt, multos ex prædictis obedientibus è pluribus Conventibus dictæ Provinciæ ab ipsis inobedientibus per vim brachii sæcularis ejectos, & in tribus Conventibus, qui illis restant, plusquam centum numero angustè & incommodè viventes, inde expellere velint, nisi eadem Capitula legitima agnoscant, & dilecto etiam Filio, Joanni Francisco Sevino, Fratri Ordinis prædicti ex Provincia Parisiensi, in Provincialem dictæ Provinciæ Turoniæ in eisdem Capitulis electo, obedientiam præstent. Idcirco idem Procurator Generalis eorumdem tam obedientium, quàm inobedientium Fratrum Provinciæ Turoniæ hujusmodi nomine nobis humiliter supplicari fecit, ut ipsorum Fratrum statui, & quieti opportunè in præmissis providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re annuere volentes, ac Procuratoris Generalis, Fratrumque præfatorum singulares personas à quibusvis excommunica-

ca-

cationis, &c. absolventes, & absolutas fore censentes, prædictarumque nostrarum litterarum tenorem, etiam veriorem, præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de prædictorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, (qui inhærentes voto particularis Congregationis, super hujusmodi negotio à nobis deputatæ, visisque & examinatis supplicationibus & memorialibus eis adjunctis, à Fratribus prædictæ Provinciæ Turoniæ ex conventione inter eos facta nobis præsentatis, & ad eosdem Cardinales remissis, negotium hujusmodi maturè discusserunt) consilio, præinsertum Decretum Romæ à Diffinitorio Generali dicti Ordinis editum, necnon præinsertas Resolutiones à Capitulo Generali factas, Apostolica auctoritate, earumdem tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: ac omnes, & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & executioni demandari præcipimus, cum moderationibus tamen infrascriptis: videlicet, quòd Fratribus Provinciæ Turoniæ, è Conventibus & Hospitiis per Decretum Nannetense Provinciæ Britanniæ assignatis, discedentibus, liberum sit originariis locorum, in quibus Conventus & hospitia hujusmodi sita reperiuntur, in Provincia Turoniæ remanere, vel in Provinciam Britanniæ (pro uniuscujusque optione, tempore ad id per Commissarium Generalem præfigendo facienda) transire.

Deinde, quòd attentâ obedientiâ plurimorum Fratrum Provinciæ Turoniæ hujusmodi adhærentium Ministro, & Commissario Generali, eadem Provincia Turoniæ à Religione Capucinorum non abscissa, aut præcisa remaneat, sed nomen & rem Provinciæ Turoniæ retineat, ita tamen, ut ipsa ex iis Fratribus obedientibus, qui Ministri Generalis, sive ejus Commissariorum Generalium mandatis paruerunt, aut saltem parere se velle cum effectu declarabunt, componatur. Contumaces verò, & rebelles, nisi ad tempus sibi à Commissario Generali præfigendum resipuerint, omnibus privilegiis Ordinis prædicti privatos, à Provincia Turoniæ, tanquam ad eam non pertinentes, penitus abscissos declaramus, ac Ordinariorum locorum omnimodæ jurisdictioni subjicimus.

Ad hæc, Capitula Blesense 1650. & Aurelianense 1652. annorum respectivè, utpote non canonicè, sed contra mentem nostram, & obedientiam Nobis & Sedi Apostolicæ, necnon Ministro Generali dicti Ordinis debitam, celebrata; & quodcumque aliud Capitulum in dicta Provincia Turoniæ, contra formam præfatarum nostrarum litterarum celebratum, & de cætero celebrandum, cum omnibus & singulis inde secutis, & secuturis, nulla & invalida esse & fore declaramus.

Præcipientes prædicto Joanni Francisco Sevino, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub omnibus pœnis contra inobedientes, ut suprà, & infrà infligendis, ne in gubernio dictæ Provinciæ Turoniæ, & quibusvis rebus ad eam quomodocumque spectantibus directè, vel indirectè se immiscere ampliùs quovis prætextu, colore, vel ingenio, absque speciali nostrâ & Sedis Apostolicæ, vel Ministri Generalis dicti Ordinis, aut illius Commissarii Generalis licentiâ, audeat. Sed statim, atque ipsi præsentes significatæ fuerint, ad suam Provinciam Parisiensem revertatur: ubi (si prædictis obediens sit) à quoquam ratione rerum ab eo eatenus occasione dictæ Provinciæ Turoniæ gestarum, molestari, perturbari, aut inquietari nunquam possit.

Præterea deputationem dicti Claudii Bituricensis in Commissarium Generalem dictæ Provinciæ Turoniæ, cum facultatibus ei à Ministro Generali dicti Ordinis attributis, aliisque necessariis, & opportunis (ut infra) concedendis, auctoritate & tenore præsentium confirmamus: ipsique Claudio in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut munus sibi injunctum suscipiat, & exequatur, ac omnibus & singulis ipsius Provinciæ Turoniæ Fratribus, ut ipsi Commissario Generali, durante ejus Commissariatûs officio, sub excommunicationis *latæ sententiæ*, à qua nemo nisi à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus absolvi valeat, ipso facto incurrenda pœna, præter & ultra alias pœnas contra inobedientes, ut supra, infligendas, promptè obediant, ipsumque in executione, & exercitio sui officii perturbare non præsumant, præcipimus.

Quò verò facilior via restitutioni Provinciæ Turoniæ in pristinum statum aperiatur, eundem Claudium Commissarium Generalem in nostrum, & Sedis Apostolicæ Commissarium instituimus: ipsique Claudio Commissario absolvendi à censuris, & pœnis occasione præmissorum quomodolibet incursis, eos, qui verè pœnitentes, & ad debitam obedientiam redeuntes, ab eo veniam & absolutionem humiliter petierint, ac mandatis Ministri Generalis cum effectu paruerint, multitudini non solùm, sed etiam universitati resipiscenti (prout Fratres ab obedientibus deputati enixè postularunt) parcendo, impositâ pœnitentiâ salutari: Necnon Novitios ad Ha-

Habitum & professionem malè receptos & admissos, ad novam professionem (si in vocatione perseverare voluerint,) etiam novo probationis anno minimè facto, admittendi; omnesque & singulos tam juris, quàm facti, etiam substantiales defectus, ex nullitate Capitulorum, sicut præfertur, malè celebratorum, interventos Apostolica auctoritate nostra supplendi: Ac unum ex Fratribus ejusdem Ordinis sibi bene visum, ætate gravem, zelo & pietate conspicuum, ac qui aliàs officium Ministri Provincialis in Gallia laudabiliter exercuerit, quemque secundùm Deum ad præmissa fideliter peragenda aptiorem cognoverit, sibi cum simili, vel limitata facultate, si, & quando id ita necessitas postulaverit, cum consilio prudentiorum, substituendi, facultatem tribuimus.

Præterea Venerabilibus Fratribus, Bituricensi, & Turonensi Archiepiscopis, necnon Pictaviensi, Aurelianensi, Carnotensi, Andegavensi, Luconensi, Nivernensi, Xantonensi, Engolismensi & Rupellensi Episcopis, per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenus quisque ipsorum in sua Diœcesi respectivè Fratres inobedientes exercitio Confessionum, & Prædicationum privet, eorumque Ecclesias statim interdicto Ecclesiastico subjiciat: ac privatio & interdictum hujusmodi tamdiu durent, donec per eosdem inobedientes præsentibus nostris litteris integrè paritum fuerit, vel in ipsa Regularia loca Fratres obedientes, sub gubernio Commissarii Generalis, sese receperint.

Adhæc, omnibus & singulis dilectis Filiis dicti Ordinis in Gallia Provincialibus, ut Fratres obedientes Provinciæ Turoniæ hujusmodi, qui pro observantia Regulæ & mandatorum Apostolicorum persecutionem constanter passi sunt, si ad eos transmigrare coacti fuerint, benignè & charitativè, tanquam legitimam S. Francisci prolem suscipiant, ac sic susceptos suis juribus frui faciant, perinde, ac si suarum Provinciarum filii essent: illosque sub quovis prætextu à suis Provinciis absque obedientia Commissarii Generalis abire non sinant, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, Ipsisque Fratribus sic transmigrantibus, ac quibusvis aliis ipsius Provinciæ Turoniæ Fratribus, ne ad inobedientes sub quovis prætextu transire, & cum illis commorari audeant, prohibemus.

Præterea dicto Commissario Generali, ut unà cum Diffinitoribus, qui ex Capitulo Aureliæ anno 1648. celebrato, supererint, (dummodo obedientes sint) Guardianos in Conventibus vacantibus sive interdictis, ex numero Fratrum obedientium, præficere possit, facultatem concedimus. Cum hoc, quod eidem Commissario Generali (si prædicti Diffinitores obedientes desint) idem, cum consilio Fratrum in sua Commissione Generali nominatorum, præstare liceat: Ut ipse tempore congruo, post Provinciæ visitationem, electionem Discretorum indicere, Capitulum convocare, illique præsidere valeat, in quo, absque alia electione, suffragetur, ac utraque voce activa & passiva fruatur.

Postremò, ne aliquam difficultatem in electionibus propter Capitula (sicut præfertur) annullata, oriri contingat, quod Guardiani, & Superiores locorum, qui ab exercitio Guardianatûs, & Superioritatis vacaverint, ad eadem officia, etsi triennium, vel sexennium compleverint, ac aliàs servatis servandis, eligi possint, perinde, ac si tempore, quo ab exercitio hujusmodi vacârunt, Guardiani, & Superiores esse desiissent, declaramus.

Decernentes præsentes Litteras, etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, & ad ea vocati, vel auditi non fuerint, vel ex alia quacumque causa, occasione, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quocumque alio, quantumvis substantiali, defectu notari, impugnari, redargui, retractari, ad viam, & terminos juris reduci: vel contra eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris vel facti remedium impetrari; seu sic impetrato, ac etiam motu proprio concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti ounquam posse.

Sed easdem præsentes semper firmas, validas & efficaces existere & fore, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis, per quoscumque Judices ordinarios & delegatos; etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanę Ecclesię Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoscumque, quavis auctoritate, & potestate fungentes; nunc & pro tempore existentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate: judicari & definiri debere: ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, ac dicti Ordinis, & præfatæ Turoniæ, aliarumque quarumlibet ejus Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate robora-

tis

tis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, & litteris Apostolicis, etiam eidem Ordini, ejusque Pruvinciis, Superioribus ac Fratribus, sub quibuslibet verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis,etiam derogatoriarum derogatoriis,aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, illorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum expressa mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, formamque in illis traditam pro servata habentes (illis aliàs in suo robore permansuris) ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDCLIV. Pontificatûs nostri anno decimo.

Gualterius.

Autogr. in Arch. Secret. Brevium Apostol. Reg. mensi & anni præd. fol. 5.

Litteras Innocentii X. Prædecessoris circa controversiam Provinciæ servari committit, Fratres diffidentes non amplius audiri mandat, ac causæ silentium imponit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Commissum Nobis à Domino sacrosancti Apostolatûs Officium exigit, ut paternam Christifidelium, qui ex fluctibus sæculi in arctioris Religionis portum confugerunt, curam gerentes, pacem, sine qua non bene colitur pacis Auctor, amputatis inanibus contentionibus inter eos stabilire studeamus, quò ipsi sub piorum institutorum suorum observantia quietè viventes, gratum Altissimo exhibeant famulatum. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum à multis annis controversia inter Fratres Provinciæ Turoniæ ex una, & Fratres Provinciæ Britanniæ in Gallia, Ordinis prædicti ex altera partibus, super applicatione quorundam Conventuum exorta fuisset, fel. rec. Innocentius Papa X. Prædecessor noster, particularem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum super ejusmodi negotio Congregationem deputavit. Cujus rei gratia, cum ex utraque Provincia hujusmodi respectivè duo Fratres ad Almam Urbem venissent, dictaque Congregatio tempus opportunum, & commodum aliis dictæ Provinciæ Turoniæ Fratribus idem præstandi cum omni convenienti securitate exhibuisset; Idem Innocentius Prædecessor auditis relatisque sibi causæ, & causarum hujusmodi meritis, negotium prædictum per suas desuper in simili forma Brevis litteras die XXI. Januarii MDCLIV. expeditas, sub certis, modo, & forma ibidem expressis terminavit. Ad quarum quidem litterarum integram, ac totalem executionem, cum subinde tunc existens Minister Generalis dicti Ordinis memoratam Turoniæ Provinciam visitans, intimasset discessum ex eadem Provincia dilectis etiam Filiis, Michaeli, Joanni, & Raphaeli Nivernensibus, Fratribus Ordinis prædicti, ut quilibet eorum in Provincias, & Conventus sibi respectivè designatos se conferret; ipsi, postquam se opposuêre præfatæ executioni dictarum litterarum, sub prætextu, quod non fuissent auditi, procurarunt, & obtinuerunt, à dicto Ministro Generali suspensionem sui discessûs ad aliquod tempus, ac insuper facultatem mittendi ad Urbem prædictam tres Fratres dictæ Provinciæ Turoniæ sibi bene affectos, ut tam eorum, quàm eis adhærentium nomine, quidquid circa causam, & causas prædictas sibi occurreret, Nobis repræsentarent. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dilecti pariter Filii, Placidus Vindocinensis, ac Albertus Blesensis, Presbyteri, & officio verbi divini Prædicatores, nec non Benedictus de Niort Laicus, seu Conversus, Fratres ejusdem Provinciæ Turoniæ, hujus rei causa, cum litteris obedientialibus dicti Ministri Generalis jam à multo tempore ad eandem Urbem venerint, ac tam oretenus, quàm scripto suas, & suorum circa prædictum negotium prætensiones Congregationi quo-

ſumdam Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Filiorum Urbis prædictæ Prælatorum, quam porrecto Nobis per illos ſupplici libello, ſuper negotio hujuſmodi ſpecialiter deputavimus, expoſuerint, præfatus verò Procurator Generalis pacem, & concordiam inter omnes dictæ Provinciæ Fratres congrua ratione à Nobis ſtabiliri, & huic tam gravi negotio ultimam manum apponi plurimùm deſideret: Nos ipſius Procuratoris Generalis votis, quantùm cum Domino poſſumus, hac in re favorabiliter annuere volentes, Eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, nec non ſupradictarum Innocentii Prædeceſſoris litterarum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſo, & inſerto habentes, ſupplicationibus ejuſdem Procuratoris Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de conſilio memoratæ Congregationis Cardinalium, & Prælatorum à Nobis, ſicut præmittitur, ſpecialiter deputatæ, quæ negotium prænarratum diligenter, & maturè conſideravit, ac diſcuſſit, audivitque omnia, quæ tam verbo, quàm ſcripto per ſupplices libellos, & informationes per prædictos Placidum, Albertum, & Benedictum fuerunt expoſita, unà cum petitione prætenſa deputationis Commiſſarii Apoſtolici in partibus cum auctoritate revidendi, & iterum cognoſcendi, quidquid ſuper eodem negotio, ejuſque meritis olim in hac Alma Urbe tam per primodictam, ſeu Cardinalium ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam Congregationem, quàm per ſubſequentes memorati Innocentii Prædeceſſoris in forma Brevis die XXII. Januarii MDCLIV. expeditas litteras prædictas deciſum exſtitit, & demandatum (quas quidem litteras, licet acceptatas, non tamen executioni demandatas fuiſſe ab ipſis dicitur, eò quia dilectus etiam Filius, Claudius Bituricenſis, Frater Ordinis prędicti, ac Commiſſarius Apoſtolicus, & earundem litterarum executor contra illarum tenorem egiſſe prætenditur) Quod, cum eidem Congregationi à Nobis deputatæ, tanquam levibus, & nullius ponderis innitens rationibus minimè viſum fuerit concedendum, cumque Nos benignè annuerimus deputationi alterius Commiſſarii ex corpore Religionis ad referendum ſuper aſſerta tranſgreſſione dicti Claudii Bituricenſis circa executionem memoratarum litterarum, cui deputationi ipſi Placidus, & Socii minimè acquieverunt: & cum denique terminus ſex menſium eiſdem ex nomine ad recurrendum ad hanc Sanctam Sedem aſſignatus, & poſtea ad alios ſex menſes per Congregationem hujuſmodi prorogatus jam fuerit elapſus, volentes ejuſmodi negotio debitum tandem finem imponere, prædictos Placidum, Albertum, & Benedictum, nomine quo ſupra, ulterius ſuper præmiſſis non eſſe audiendos, ſed ab Urbe ad ſuam Provinciam dimittendos eſſe, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, illoſque non audiri, ſed, ſicut præmittitur, dimitti mandamus, & præcipimus, ac toti negotio perpetuum ſilentium imponimus, ita ut exinde ab ipſis, aut à quoquam alio, quovis titulo, prætextu, vel quæſito colore impugnari, conteſtari, ſeu iterum in jurgium reduci non poſſit. Mandantes pariter, & præcipientes dilecto Filio, Miniſtro Generali Ordinis hujuſmodi, ut ſæpedicti Innocentii Prædeceſſoris litteras, ac primodictæ, ſeu Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ Congregationis reſolutiones, declarationes, ac decreta (ſe ideo in Provinciam Turoniæ conferendo) per ſe ipſum, vel, ſi aliquod obſtiterit impedimentum, per alium ab eo deputandum, invocato etiam brachii ſæcularis auxilio, in omnibus exequatur. Ac decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, judicari, & definiri debere, irritumque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus, & ſingulis illis, quæ in prædictis Innocentii Prædeceſſoris litteris conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut ipſarum præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI.

Apri-

Aprilis MDCLIX. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. Apost. Regesto mensis, & anni præd. fol. 18.

A' Fratribus loci Sancti Agnani confessiones Monialium Ordinis Cisterciensis in casu Infirmitatis in eatum Monasterio audiri concedit.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ Moniales Monasterii Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupati, loci de Saint' Agnan, Cisterciensis Ordinis, Bituricensis Diœcesis, quod, cum in dicto loco una tantum sit Parochia, ob penuriam Sacerdotum Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum illic in vicinia degentes ex permissione Sedis Apostolicæ Sacramentales quorumcumque Christifidelium illarum partium confessiones promiscuè audiunt, eisque pœnitentiæ Sacramentum ministrant. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictæ Exponentes dicti Monasterii, quod ruri situm est, Moniales, ut earum spirituali consolationi, imo necessitati consulatur, in casu mortalis infirmitatis alicui ex Fratribus prædictis, per Superiorem eorum Conventûs eligendo, sacramentaliter confiteri posse plurimùm desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsas Exponentes specialibus &c. volentes, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem Cardinales dilecto Filio, Procuratore Generale dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, petitam ab eisdem Exponentibus facultatem, ut in casibus gravibus infirmitatis alicujus Monialis, aliquem ex Fratribus Capucinis Sacramentum Confessionis in dicto loco cum Ordinarii approbatione, & permissione Apostolica ministrantibus, de consensu illorum Conventûs, & ad electionem ipsarum Exponentium Monasterii Superiorum respectivè, in ipsum Monasterium ad Ægrotantium Confessiones accipiendas cum debitis tamen, & solitis circumspectionibus, & cautelis admittere valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium benignè concedimus. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quas, & quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinum, & Monasterii hujusmodi etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Octobris MDCLXVII. Pontificatûs nostri Anno primo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum mensis, & anni prædict. fol. 110.

SAC. RIT. CONGREGATIO

Ad relationem mortis, ob Fidem Catholicam Servis Dei FF. Agathangelo Vindocinensi, & Cassiano Nannetensi Missionariis in Æthiopia illatæ, cum D. Promotore respondet.

Ordinis Capucinorum, seu Galliarum Servorum Dei asserti Martyrii Agathangeli, & Cassiani, Ordinis Capucinorum.

ACceptis & perlectis relationibus à Sac. Congregatione de propaganda Fide habita die 17. Februarii 1648. coram Sanctissimo, & de ordine Sanctitatis Suæ ad hanc Sac. Rit. Congregationem remissis super morte ob Fidem Catholicam in Æthiopia jussu Regis violenter illata duobus Patribus Capucinis, Sac. Congregationis Missionariis, scilicet P. Agathangelo de Vendosme, & P. Cassiano de Nantes Gallis, eadem Sac. Congregatio respondit cum Domino Promotore.

Hac die 20. Julii 1669.

Autograph. in Arch. Secret. Congreg. mens. & anni præd. fol. 65.

 NOTA.

N O T A

QUantùm Apostolica Sedes exultavit, dum sub Alexandro III., Clemente V., Clemente VII., & VIII. Gregorio XV. &c. Cophtorum Patriarchas cum suo grege Ecclesiæ Catholicæ se se univisse, à Vicariis Apostolicis, Romam cum fidei professione missis inaudiit, tantùm sub Urbano VIII. indoluit, dum Abyssinorum Imperatorem, Seged Basiliden, ab unione veræ fidei secessisse, R. P. Alphonsum Mandes, Patriarcham Latinum cum Societatis Jesu Missionariis è Regno pulsum, & Episcopum, qui Ecclesiam Abyssinam secundùm Schismaticum Græcorum usum gubernaret, vocatum esse, per litteras Ægypti accepit. Malo in suo partu remedium à Sacra Congregatione de Propaganda Fide parari, Sanctissimus Pontifex incunctanter jussit; hæc verò pari studio Fr. Josephum le Clerc de Tremblay, cui Orientis cura Missionaria incumbebat, in partem sollicitudinis vocavit, &, ut ad partes, noviter Eutichetis, Dioscori &c. errore infectas Missionarios ablegaret, ab eo requisivit. Hic in Ordine suo, & Moyses, & Josue, sive Fratres, qui tum levatis ad Cœlum manibus supra Castra Israel Benedictionem ciere, tum contra Amalecites pugnare callerent, reperiri ostensurus, FF. Agathangelum Vindocinensem, & Cassianum Nannetensem in opus Dei segregare anno 1628. decrevit. Cum enim hi eo tempore inter Turcas semen Evangelii jam spargerent, citiùs illos, ac alios è Gallia missos, Imperium Abyssinorum ingressuros fore, rectè conclusit. Sine cunctatione hi itineri accingebantur, P. Agathangelo de Morlaix, & P. Benedicto Divionense Sociis, cum linguam Æthiopiæ necdum callerent, in sua Statione relictis. Primam zeli theatrum in Syria Aleppi, ubi per mensem cunctari eos oportuit, erexerunt, & conversioni populi sub jugo Turcæ gemiscentis usque ad periculum vitæ se se impenderunt, intrepido gressu templa, quæ Moscheas dicunt, Infidelium accedentes & cæcitatis superstitiosæ cultum damnantes. Edocti postmodùm, malè gloriam in morte quæri, ubi uberior fructus longioris vitæ curam præscriberet, zelum converterunt in studium linguæ Arabæ, & ex hac idioma Æthiopiæ facilitârunt. Cairum in Ægypto dum attigerunt, conversionem Æthiopiæ ab illa Cophtorum potissimùm dependere judicârunt, cum Ecclesia Abyssina horum Patriarchæ obediret. Cumque ad dignitatem Episcopalem nullum, nisi Monasticæ vitæ Professorem, elevari audivissent, Monachos in fide tentare, eosque ad suam unionem trahere, eò ampliore spe decreverunt, quò certiùs horum errores non pertinaciæ, sed Ignorantiæ fætum esse comperissent.

Feliciùs ut consilium succederet, quorumdam Episcoporum Cophtorum, quos in Monasteriis educatos noverant, amicitiam quæsiverunt; facilè quoque præclaræ, quæ in Missionariis fulgebant, naturæ & gratiæ dotes, plures in eorum obsequium captivârunt, ita ut eos Visitationum suarum comites adhiberent, & hinc inde liberum ad Monasteria aditum iis aperirent. Mirantes Monachi, præsertim in Nitriæ, inferiorisque Thebaidis Monasteriis, spiritum, quo inter eos conversati sunt, reditum illorum ad se peractâ visitatione rogârunt, seque ad eorum monita dociles fore adpromiserunt. Sinceritatem verbi probavit effectus; eo anno enim, quo inter Schismaticos Monachos illos morari contigit, plures horum gremio S. Matris Ecclesiæ se sociârunt. Quemadmodum autem inter Monachos quemdam, Ariminium vocitatum, alios doctrinâ & spiritu anteire observârunt, ita & peculiari nisu illius conversioni studuerunt. Influxit gratia Dei, & opus complevit, fideique professionem ab eo emissam Romam Missionarii miserunt &c.

Neo-conversum ut sibi strictiùs devincirent, illum Episcopum, quem Imperator Æthiopiæ à Patriarcha pro reducendo antiqui ritûs schismate popoſcerat, designari curârunt. Spopondit Ariminius pro beneficio, æternæ memoriæ officium, & unionem Cophtorum cum Ecclesia Romana in pignus devovit. Homo proposuit, Deus autem, cujus Judicia inscrutabilia sunt, aliter disposuit, Ariminio ex discipulo, & amico in juratum Missionariorum inimicum postmodum mutato. Sciendum enim est, quod eodem tempore, quo hi Cairo ad partes Æthiopiæ transire parârunt, Emissarius Diaboli, Petrus Hebing à Lubecca, Saxoniæ Civitate, comparuerit, peritiâ lingnarum Hebraicæ, Græcæ, Arabæ, & Æthiopicæ excellens. Hic, ut vafræ mentis consilia faciliùs exequi posset, non solùm nomen suum, assumpto Petri Leonis titulo occuluit, sed etiam se Catholicum finxit, & arte Medicea, quam exercuit absque lucro, æquè Schismaticos ac Turcas, sibi reddidit devotos. Doctorem hunc forìs pelle ovina tectum, intùs Lupum esse rapacem, PP. Missionarii illicò adverterunt; hinc & illius doctrinæ Sophismata, larvatamque pietatem ita impugnârunt, ut nec unicus illi adhæreret. Sparsurus inde semen nequitiæ, Æthiopiam versùs iter arripuit; at tantùm Missionarii apud Principes effecêre, ut in Ægyptum redire cogeretur. Aliud jam Cairi redux non spiravit Lutheranus, quàm minas & vindictam in Missionarios.

Inde Ariminium à Cophtorum Patriarcha, in Æthiopiam ceu Episcopum ablegari, eumque à Missionariis tum ob locorum distantiam, tum ob Sociorum defectum sociari non posse sciens, se Prælato jungere, & in via cor ejus à concepto Relionis Catholicæ amore avertere statuit. Hunc in finem in S. Macharii Monasterio, quod Cairo viginti incirca leucis distat, & in quo Patriarcha residere solet, Habitum Monasticum induit, & juxta Cophtorum ritum, suo baptismo circumcisionem conjunxit. Rapuit ipsius conversatio, fictâ pietate delibuta, Monachos in admirationem, & Patriarcham ita fascinavit, ut Ariminio itineris socium eum dictaret, & litteris Imperatori Abyssino, ejusdemque Ministris commendaret. Renovârunt quidem PP. Missionarii cum Episcopo ante discessum sacrum amicitiæ fœdus, & gloriam, quæ sui laboris deberet esse fructus & præmium, obstetricante hujus operâ, vicinam crediderunt, Petrum, quem Cairo elongatum putârunt, itineris sui comitem selectum esse ignorantes. Angelus Sathanæ, Petrus in via Episcopum, quantumvis probum & zelantem, cum tamen firmas Catholica ejus professio necdum haberet radices, technis & laqueis suis facilè irretire, systema Religionis, quod PP. Missionarii in ejus animo fixerant, pervertere, conceptamque de Ecclesia, Sponsa Dei æstimationem per adductos contemptûs astus minuere poterat. Et revera nutare cœpit Episcopus, non tamen succumbere, cum & in sermone Petri omnia pura non esse adverteret.

Quem inde hic ad lapsum mendacio flectere non potuit, ambitione dejecit, suggerens Episcopo, ideo à PP. Missionariis eum ad Mytram promotum esse, ut hanc sibi facerent propriam; hinc cum illorum in Æthiopia appulsus non posset non esse ei funestus, illum impediri necessum sit. Cecidit ad hunc ictum ambitione inflatus Prælatus, timuit, ubi non erat timor, & Missionarios ab ingressu Æthiopiæ arcêre decrevit. Accedens inde Imperatorem in Civitate Dambèe, ubi tunc residebat, in id niti cœpit, ut hujus affectum sibi conci-

cillaret ad gratias propensum. Fortiùs in eundem finem egit versipellis Petrus; quantumvis enim litteræ Patriarchæ, laudesque ab Episcopo datæ abundè eum Imperatori commendarent, nihilosecius, dum scholam publicam pro Juventutis instructione in linguis Græca, & Hebraica, in Æthiopia plurimùm æstimatis erigeret, ægrorum curam gratuitò susciperet, & ritus Schismaticos externâ pietate servaret, Cæsarei amoris se fecit arbitrum: hinc Palatium, *hortus Christi* dictum, Cæsar Petri juri addixit, eum ad concilia Regni vocavit, & ceu Prophetam de Cœlo sibi missum suspexit. Flante tam suaviter gratiarum Cæsarearum Zephyro, & Episcopus, & Petrus Missionarios Gallos tetro colore describere cœperunt, illosque ab Imperii finibus coercendos esse, sub varia ambage consuluerunt. Accessit eorum voluntati Imperator, & Gubernatoribus Provinciarum, ne ullum Religiosum Gallum Catholicum ad Imperium admitterent, severiore edicto præscripsit. Interim PP. Missionarii de iis telis, quæ ingratitudo & malitia contra eos in Æthiopia cuderant, nec somniantes, & variis litteris ad Imperatorem, Episcopum &c. muniti, anno 1638. Cairò solverunt, felicique itinere Suaquem Civitatem, olim Ptolomaidem ferarum nuncupatam, attigerunt, à Græco Latino, Constantino vocato, cum quo Cairi amicè agere solebant, benignè excepti. Varia hic itineris prosecutionem suspendebant: & quantumvis à Missionariis Agam, qui annuum tributum pro Æthiopiæ Imperatore Erkikum portare deberet, expectari Constantinus suasisset, nihilominus longioris moræ pertæsi à quodam Officiali Imperatoris Æthiopiæ Erkikum se conduci curârunt. In hoc loco commercium, quod ibi latè floret, ad vota occasionem præbuit Barvam usque, Regni seu Provinciæ Barnagassiæ Urbem capitalem, iter prosequendi. Fuit & in hac gloriosa illa palæstra, in qua ardens eorum zelus Martyrii primitiis debebat insigniri: Gubernator enim Cæsareo insistens edicto, collatis cum Vicario Episcopi Abyssini ibi degente consiliis, gentem cum caravana adventantem morosiùs observavit, & ex candore faciei Religiosos Gallos, quibus ingressus in Æthiopiam esset interdictus, commixtos esse novit. Consultiùs tamen ut incederet, sarcinas eorum aperiri jussit, in isque, dum Libros, Calices, aliaque Sacerdotalia paramenta contineri vidit, eos catenis onustos, & se Romanos Catholicos liberè profitentes, carceri mancipavit: ob repertas tamen litteras Imperatori, Episcopo &c. inscriptas, eos nec vitâ privare, nec ad partes Ægypti reduci voluit, sed missis ad Imperatorem litteris, quid cum iis foret agendum, requisivit. Detentos in carcere Soror Gubernatoris, Religiosa Schismatica, invisere consuevit, vel, ut pro ingenita compassione eos solaretur, vel, ut spiritum doctrinæ, & virtutis in illis miraretur. Subministravit & illa lautiores in refrigerium cibos, quos tamen desiderium Martyrii insipidos reddidit; panis & aqua abundè refecit, quos meditatio Cœli occupavit. Allato tandem post mensem nuncio, quod ad Civitatem Dambèe, à Barva non parùm dissitam perduci deberent, ibidem 5. Augusti 1638. ab Imperatore ad Senatum, qui de Religionis negotiis judicabat, remissi sunt. Interrogati de suo statu & fine itineris, se Religiosos Capucinos Gallos esse, & ad inferendum Æthiopiæ Imperio veræ fidei vexillum illuc se pertigisse, notosque se esse Ariminio Episcopo, intrepidi reposuêre. Palluit hic, dum illi nomen ejus ingeminabant, &, eum turpi scelere ad ejurati Schismatis errores rediisset, faciem Benefactorum & Amicorum videre noluit, quinimò, ne diutius eorum memoriâ torqueri deberet, eos à Papa ad Æthiopiam Sectâ Romanâ implicandam emissos, ab iis Cairi & in Nitriæ Monasteriis plures seductos, Episcopale solium nefario ausu quæri, & eapropter eos extremo supplicio dignos constanter clamavit.

Tempus opportunum jam sumendæ vindictæ cernens & hæreticus Petrus, nihil omisit eorum, quæ hanc explerent, odio suo conformem: dumque adducta ratio non movit, preces auctoritatis adhibuit, & Senatum ad sententiam mortis dandam flexit. Executionem hujus ut Missionarii evitarent, blanditiis Imperator tentavit; Regias gratias obtulit, si fidem negarent, Catholicosque protererent ritus. Constantes, & Marpesia cautè firmiores dum invênit, sententiam mortis subscripsit, & in patibulo compleri mandavit. Nec mora; congregata lictorum turba inter undantium populorum fremitus trabeale lignum parat, educuntur è carcere ad solitum supplicii locum Christi Athletæ, & visum, quod aptabatur lignum, cum Divo Andrea Apostolo in voce exultationis salutant: *O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupientibus animis præparata; accipe nos ab hominibus, & redde nos Magistro nostro, ut per te nos recipiat, qui per te nos redemit.*

Tardos & segnes dum in officio suo lictores viderunt, remoræ causam Heroes explorârunt: cumque hanc ex chordarum defectu provenire intelligerent, ipsimet chordas, seu cingula Habitûs in usum obtulerunt, ipsimet instrumenta supplicii gaudentes subministrârunt. Eo ipso autem, quod hæc grossioris essent fili, mortem causârunt lentiorem. Furiis inde actus populus torrentes lapidum contra suspensa Martyrum corpora jecerunt, quibus dexter P. Agathangeli oculus fuit excussus, & dum copiosus sanguis utriusque corpus tinxit, sub duplici chordarum & lapidum Martyrio uterque animam efflavit, ut juxta D. Cypriani epist. 8. ad Mart. & Conf. *quos nimirum vinculum confessionis, & hospitium carceris simul junxerat, jungeret etiam consummatio virtutis & gloria Cœlestis.*

Sanguinem Martyrum, Christianorum semen esse & novo hic compertum est documento; Schismaticus enim in magnanima patientia, quâ PP. Missionarii mortem sustinuerunt, agnovit veritatem Catholicæ fidei, zeloque armatus, penetravit frendentis populi agmen, ac inter amplexus & oscula pedum Martyrum nativam damnavit Sectam. Alii dum pluries corpora illorum nocturno tempore luce rutilâ cingi cernebant, percutientes pectora sua Deum verum in Ecclesia vera adorare, & cœtui antiquorum Catholicorum juncti, in locis occultis divina Mysteria celebrare cœperunt. Fremuit impietas, dum miraculum nocturnæ lucis personuit, reddidit & hoc ipsum Imperatorem turbatum; hinc, ut proprio oculo rei veritatem hauriret, in loco secreto, quid circa Martyrum corpora noctu ageretur, observare voluit.

Locum supplicii & corpora Martyrum dum plena luminibus vidit, damnavit sententiam contra innocentes latam, & eorum cadavera sepeliri mandavit. Noctu Catholici hoc perfecère officium, pietate majore, quàm pompâ, nisi hanc à lacbrymis, quæ præ gaudio ex horum oculis manabant, illam compensatam fuisse, dicere velimus. Serviit & in Martyrum triumphum vindicta, quæ Petrum secuta est. Ex quo enim hic doctrinam sectæ suæ Lutheranæ, quam Regnum Abyssinum horret, divulgare cœpit, totum contra se concitavit populum, ita, ut errores hinc inde sparsos publicè revocare coactus fuerit. Insolentiam tamen non retinuit factus palinodiæ pudor; hinc Imperator majori malo consulturus, è Regno Æthiopiæ illum proscripsit, & magni pretii donis onustum in pace dimisit. Bacha de Suaquem, de peracta in Dambèe sanguinis scena, & de reditu Monachi hypocritæ instructus, illum in suo ibi adventu ceu fugitivum firmavit & furem, cum pauper Monachus ante modicum tempus in Æthiopiam migrâsset, & jam divitiis turgidus, inde rediret. Hinc vel in

ulio-

ultionem sceleris contra Missionarios perpetrati, vel ad congeniam avaritiam gazis Petri satiandam, cum responso non espectato, ad carcerea duci, & caput amputari mandavit. Ex quo, novo exemplo Davidicum textum completum videmus: *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros libani & transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*; dum nostri econtra Servi & Martyres Dei vivunt in memoria gloriæ; eorum laudes non solùm inter Nationes longinquas, sed etiam in eorum personant patria; Fideles & Infideles ad eorum sepulchrum currunt, & anathemata receptarum gratiarum appendunt; per illorum merita Soror Clara Turonensis, Capucina, se cum alia Capucina Monasterii Parisiensis è Purgatorii flammis liberatam fuisse, eo ipso die, quo eorum mors secuta fuit, Matri Pacificæ Abbatissæ in apparitione retulit; Sacrosque honores iis decerni Magnus Ludovicus Rex Christianissimus Summo Pontifici Alexandro VII. supplicavit, litteris ita sonantibus:

BEATISSIME PATER.

Cum hujus nostri Regni Capucini nobis retulerint; qualiter P. Angelus Vindocinensis, & P. Cassianus Nannetensis Ordinis sui Professores in Æthiopiam ad annuntiandum ibi Evangelium se contulerint, &, postquam non modica successu per aliquale tempus id peregissent, labores suos anno 1638. Martyrio coronarint, in patibulum suspensi & lapidati ea furore & crudelitate, quâ zelum & constantiam suam distinguere poterant. Cumque circumstantiæ hujus Martyrii visæ fuerint prodigiosæ, & processus exactè desuper confecti, san. mem. Innocentio X. Sanctitatis Vestræ Prædecessori fuerint exhibiti, eos examinari mandaverit, quatenus secundum formam ordinariam, & in hujusmodi casibus consuetam ad horum Servorum Dei Beatificationem procedi posset.

Cum autem executio hujus tam pii propositi morte Summi Pontificis præventa, & prosecutio causæ usque ad præsens tempus fuerit interrupta, eam tempore opportuniore, quàm sub Sanctitatis Vestræ Pontificatu, renovari non posse censuimus. Quotidiè enim Sanctitatem Vestram Nobis, præsertim in hujusmodi negotiis, non solùm universale bonum Ecclesiæ, & Fidelium ædificationem, sed etiam particularem nostram satisfactionem respicientibus, favere experimur. Hac confidentia muniti Sanctitati Vestræ supplicamus, quatenus novas instantias, quæ nomine nostro pro horum duorum Martyrum Beatificatione fient, admittere, mandare, & committere velit, ut Processus, sub Pontificatu Innocentii X. Prædecessoris incepti, juxta instantias in ampliore forma pro parte nostra faciendas continuentur &c.

Ad S. Germanum 17. Maii 1665.

Ludovicus.

Quandonam autem & mors Alexandri VII. intercessit; mansit causa in statu, in quo erat, & in eo illam mansuram esse opinor; cum desuper (nescio an ex Ordinis indifferentia, an ex Processuum defectu, uti Decretum Sacræ Congregationis præmissum innuere videtur) nulla impræsentiarùm fiat memoria. Pauci quoque de Ordine nostro sunt, quos de merito horum Servorum Dei egisse reperio: Solus P. Spiritus Blesensis (ni fallor) edidit desuper restrictum, ex variis aliorum Ordinum Missionariorum, præsertim R. P. Michaëlis à Saxonia, Ordinis S. Dominici excerptum, & Vindonicii anno 1702. typis cusum, quem & ipse imperfectum fatetur.

Utrique Provinciæ Custodiæ parem Conventuum, & Superiorum numerum assignari, duos Definitores ex qualibet semper eligi, & Ministrum Provincialem alternatim assumi concedit.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Timotheus de la Fleche, Frater expressè Professus Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod ad tollendas dissensiones inter dilectos Filios Fratres Provinciæ Turonensis dicti Ordinis exortas, Venerabilis Frater noster, Nicolaus Episcopus Portuensis, S. R. E. Cardinalis Acciajolus nuncupatus, ejusdem Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector, vigore facultatis sibi per rescriptum nostrum die 14. Junii 1709., attributæ, Decretum edidit tenoris, qui sequitur:

Nos Nicolaus, Divina Miseratione Episcopus Portuensis, S. R. E. Cardinalis Acciajolus, apud Sanctam Sedem Ordinis Fratrum Sancti Francisci Capucinorum Protector.

Cum per Provincialem & Custodes Provinciæ Turonensis Ordinis Capucinorum in Capitulo Generali existentes, SS. D N. Clementi XI. fuerit expositum, quod ad pacem, tranquillitatemque communem totius dictæ Provinciæ plurimùm conferre possit conservandam, si ipsa Provincia, quæ ex duabus est composita Custodiis, nempe Aurelianensi, & Pictaviensi, assignato utrique Custodiæ æquali Conventuum, nec etiam pari Superiorum, & Guardianorum numero, duo Diffinitores ex unâ, & duo ex alterâ; Minister verò Provincialis alternatim modò ex unâ, modò ex al-

alterâ Custodiâ eligeretur, qui totam Provinciam gubernaret, & ipsi Patres Turonenses in Capitulo eorum Provinciali celebrato die 18. Maji anni 1708. in Conventu Rupellensi, hoc negotio per Vota secreta Capitularium priùs examinato, sortiti fuerint ejusdem Capituli approbationem, & ratihabitionem, imò ad aliqualem praxim reduxerint: cumque Sanctissimus prædictum negotium examinandum demandaverit Diffinitoria Generali in Capitulo Generali congregato, quod re discussa censuit (si ita Sanctitati Suæ placuerit) ad pacem, tranquillitatemque intentam posse validè conferre: quibus omnibus per Procuratorem Ordinis, eidem Sanctissimo repræsentatis, placuit Sanctitati Suæ sub die 14. Junii Nobis super tale negotium preces expositas remittere, ut id statueremus pro nostro arbitrio, & prudentia, quod magis in Domino expedire censeremus. Idcirco nos virtute facultatis, & auctoritatis, à Sanctitate Sua Nobis in hac parte specialiter attributæ dicimus, & declaramus, primò non licuisse Capitularibus in Conventu Rupellensi congregatis ad praxim reducere propositam in tali Capitulo tam Conventuum, quàm Superiorum Guardianorum designationem, duorum Diffinitorum ex unâ, & duorum ex alterâ, & Ministri Provincialis modò ex unâ, modò ex alterâ Custodiâ restrictam electionem, & alia hujusmodi, quæ, etsi bonâ fide (ut credere juvat) potuerunt irrepsisse, ne tamen ex infecta radice unquam possint in suspicionem infectionis venire & dici cætera electiones, & provisiones in dicto Capitulo factæ, Nos eadem auctoritate supra nobis attributa, quatenus opus sit, omnia sanamus, & sanata declaramus, abolito tamen priùs omni Decreto quomodolibet per Patres Turonenses edito, libertati electionum Canonicarum contrario, & eâdem auctoritate, qua suprà, concedimus præfatæ Provinciæ Turonensi, ut in Capitulis Provincialibus in posterum celebrandis propositam tam Conventuum, quàm Guardianorum designationem, duorum Diffinitorum ex unâ, & duorum ex alterâ, nec non Ministri Provincialis alternatim modò ex unâ, & modò ex alterâ Custodiâ electionem ad praxim reducere, tanquam paci, & tranquillitati communi totius Provinciæ plurimùm profuturam, possint, & valeant. Ita dicimus, declaramus, decernimus hoc, & omni &c. Datum Romæ in nostro Palatio die 10. Julii 1709.

Nicolaus Episcopus Portuensis Card. Acciajolus Protector.

Ita est Card. Acciajolus Protector.

Cum autem, sicut eadem expositio subjongebat, dictus Timotheus Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret: Nos ipsius Timothei vutis hâc in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum pariter Filium, modernum Procuratorem Generalem dicti Ordinis super præmissis audiverunt, & sententiam ejusdem Nicolai Episcopi Cardinalis, & Protectoris attenderunt, consilio, præinsertum ejus decretum, omniaque, & singula in eo contenta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Joris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenos opus sit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel qoavis firmitate alia roborâtis statutis, & consuetudinibus; privilegiis qooqoe indultis, & litteris Apostolicis io contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, iis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Vo-

Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Septembris MDCCXII. Pontificatûs nostri Anno duodecimo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædict. fol. 25.

Indulgentiam plenariam perpetuam in Ecclesia Fratrum loci S. Agnani pro die Commemorationis Defunctorum, & tota illius Octava semel lucrifaciendam impertitur.

CLEMENS PAPA XII.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus & singulis utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra commonione refectis, qui Ecclesiam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Sancti Agnani, Bituricensis Diœcesis, à Majoribus dilecti Filii, Nobilis Viri, Pauli Hyppoliti de Beauvillier, Ducis ejusdem Sancti Agnani, & pro charissimo in Christo Filio nostro Ludovico, Francorum Rege Christianissimo, apud Nos, & Sedem Apostolicam extraordinarii Oratoris, ædificatam, die Commemorationis Defunctorum, & tota illius Octava singulis annis devotè visitaverint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, semel dumtaxat quolibet anno, per unumquemque Christifidelem, spatio prædictorum octo dierum lucrifaciendam, misericorditer in Domino concedimus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Februarii MDCCXXXVII. Pontificatûs nostri Anno septimo.

Bulla formata in Arch. Conventûs.

Altare Capellæ Sepulturæ Ducum de Beauvillier, eorumque Conjugum &c. in Ecclesia Fratrum dicti loci S. Agnani constructæ pro animabus eorundem Ducum &c. in perpetuum privilegiat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum animæ, Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Cum itaque, sicut pro parte dilecti Filii, Nobilis Viri, Pauli Hyppoliti de Beauvillier, S. Agnani Ducis, Paris Franciæ, & pro charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratoris extraordinarii, Nobis expositum fuit, Conventus, & Ecclesia Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi ejusdem S. Agnani, Bituricensis Diœcesis, Majorum suorum expensis ædificata fuerit, & in eadem Ecclesia una Capella sepulturæ Cadaverum Ducum ex Familia de Beauvillier, eorumque Conjugum destinata reperiatur; Nos Ecclesiam & Capellam hujusmodi hoc speciali dono illustrare, ac piis memorati Pauli Hyppoliti Ducis & Oratoris, quem ob eximias ejus virtutes singulari erga Nos, & eamdem Sanctam Sedem devotioni conjunctas, quibus eum multipliciter insignivit Altissimus, præcipuo paternæ dilectionis affectu prosequimur, votis & supplicationibus favorabiliter annuere cupientes, auctoritate Nobis à Domino traditâ, ac de Omnipotentis Dei Misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut, quandocumque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum pro anima cujuscumque Ducis, vel

vel Duciffæ ex familiâ prædictâ, vel Duciffæ in eamdem familiam nuptæ, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad præfatam Capellam celebrabit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita,ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, ac indulgemus, in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDCCXXXVII. Pontificatûs nostri anno septimo.

Bulla formata in Archivo Conventûs.

N O T A.

JAm anno 1612. de vocandis ad S. Agnanum Regularibus, Incolas inter—& Honoratum de Beauvillier loci Comitem & Dominum, fuit actum, & Barnabitarum receptio conclusa; cum autem hi Monasterium novum ære communi sibi construi, & congruo redditu dotari prætenderent, gravamen exin enascens Civium animos ad Capucinorum selectum convertit, quibus & loci Hospitale pro Domicilio fuit assignatum, adjectâ conditione, ut aliud Hospitale curæ suæ sumptibus ædificare tenerentur. Comes Honoratus, & Comitissa Uxor, Jacquelina Grangæa à Montignio, Fratres oneri huic pares non esse advertentes, expensis suæ arcæ Ecclesiam, & Conventum construere decreverunt. Operis initium impedivit bellicus tumultus, qui Galliam agitavit, & Comitem, ceu Equestris militis Ducem, à patria distraxit, ita, ut nonnisi anno 1616. Crux erecta, & subsequo anno 1617. primus lapis fuerit positus. Pro ratione, qua fabrica perficiebatur, fuerunt & à Fratribus incepta consuetæ pietatis exercitia, quæ & Comitissa imitari & peragere studuit in Oratorio seu Capella, in superiore Palatii situ pro se & aliis in devotionis societatem ascitis Puellis aptato. Gaudium laboris & devotionis minuit haud parum sinistra sors, qua anno 1620. Comes, rationi & parti Reginæ Matris adhærens, in conflictu ad pontem Cè fuit captus, officioque militari privatus. Reddidit gratia Regis libertatem, officium, quod fideperdidit, Reginæ fœnore Dynastiæ Vallougensis resarcivit, & annus 1621. fabricam complevit, marmore nigro muris ejus in monumentum incrustato, hac inscriptione:

Sub Regno Ludovici XIII. Franciæ & Navarræ Regis Christianissimi, fabrica Ecclesiæ & Conventûs Capucinorum anno 1621. fuit finita charitate & fundatione Celsissimi D. Honorati de Beauvillier, Comitis S. Agnani, Vice Comitis Vallougnæ, Baronis de la Fertè, Domini de Chemery, la Salle de Clery, Luce &c. Consiliarii Regis, Militiæ Equestris Præfecti, & olim in Ducatu Berricensi Suæ Majestatis Locumtenentis, nec non Cels. Dominæ Jacquelinæ Grangææ, Conjugis suæ, & Filiæ Celsissimi D. Francisci Grangæi, Baronis de Montigny, Equitis &c. Marechalli &c. Quæ Ecclesia & Conventus in perpetuum donati sunt Religiosis Professis Ordinis PP. Capucinorum Provinciæ Turonensis, ut pro iis & eorum Successoribus Deum exorent.

Domus Fratrum facta est confestim Tumba Comitis, cum enim 1622. Parisiis humanam Societatem pio fato reliquisset, requiem, quam petiit, in Capella Ecclesiæ captavit: ad quam & postmodum alii Beauvillerianæ Domûs Manes, quos Conventûs Necrologium notat, fuêre translati.

Plurimùm semper hanc Fratrum Domum, & Proavorum suorum Sepulturam coluit Celsit. D. Paulus Hyppolitus de Beauvillier, Dux S. Agnani, Par Franciæ, Eques Ordinum Regis, Locum-tenens Generalis Exercituum &c. Gubernator Portûs-gratiarum &c. Baro de la Fertè, Clery, Chemery, Comes Monbresory, Orator extraordinarius ad Regem Hispaniæ,& Sanctam Sedem,Gubernator Burgundiæ &c. hinc non solùm eleemosynam centum librarum annuatim Fratribus dari solitam confirmavit, in Ecclesia eorum varias SS. Reliquias posuit, præposita Ecclesiæ & Altaris privilegia procuravit, sed etiam Cadavera

Mariæ Genovefæ de Monte Lezon de Bermaux, Conjugis, suæ Romæ defunctæ,

Josephi de Beauvillier, Colonelli, Ducis & Paris Franciæ, Filii,

Et D. Mariæ Henricæ, Filiæ, Conjugis D. Comitis, & Colonelli de Saucour; ad idem Ducale conditorium transportari & inhumari voluit.

PROVINCIA NORMANNIÆ.

QUâ docilitate Normannia, ſeu Neuſtria, Ducatûs titulo jam inſignita, & celebris Regni Gallici portio, primos fidei radios à S. Exuperio Epiſcopo excepit, eâ charitate Ordinis noſtri Fratres anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio Cadomi benigno donavit hoſpitio, eorumque Conventus ſuccedaneo tempore ita multiplicavit, ut hos à ſtirpe, quæ Pariſienſibus, & Normannis communis erat, abſcindi, & in Provinciam independentem erigi concluſum, & anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono executioni datum fuerit ſequenti inſtrumento &c.

In Nomine Domini Noſtri Jeſû Chriſti, Sanctiſſimæ ejus Matris Mariæ, & Seraphici Patris Noſtri S. Franciſci &c.

Nos Fr. Joannes Maria à Noto, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Generalis Miniſter (licet immeritus) Cum in poſtremo Capitulo Generali noſtræ Congregationis Anno noviſſimi Jubilæi 1625. Romæ celebrato, nobis & Admodùm RR. PP. Diffinitoribus Generalibus exhibita fuerit à RR. PP. Cuſtodibus Provinciæ Pariſienſis præſentata petitio ex parte Reverendorum Patrum Provincialis Miniſtri, & Diffinitorum ejuſdem Provinciæ, in Capitulo Provinciali, dictum Capitulum Generale immediatè præcedente congregatorum, exponentium hanc prædictam Provinciam Pariſienſem longè latèque ad tanta locorum ſpatia diffuſam, ad tantam, tamque numeroſam Conventuum, & Fratrum multitudinem excreviſſe, ut, ne quidem vix ſemel in anno, quantavis celeritate eam perluſtrare conentur Miniſtri Provincialis, unam tamen integram viſitationem perficere, & complere valeant; eapropter enixè eam dividi quandoquidem pluſquam neceſſarium fore poſtulaverint, quò faciliùs, & frequentiùs Fratres, & Conventus viſitari, & viſitationes ipſæ maturiùs perfici

perfici possent, Nos ergo ex prædictorum Admodum RR. PP. Generalium Diffinitorum voto, rationes omnes in supplicationibus præsentatis expositas, maturâ discussione perpendentes, petitioni factæ annuentes, & Provinciam hanc prædictam Parisiensem juxta petita in duas esse dividendam, & Normanniam, alteram ex Custodiis ejusdem Provinciæ in Provinciam distinctam erigendam, eidem omnes Conventus ejusdem Custodiæ, prout de facto ad eam pertinebant, junctis duobus è Turonensi Provinciâ præscindendis, Alinconiensi scilicet, & Argentomensi; reliquos verò intra latitudinem totius Provinciæ contentos ad Provinciam Parisiensem assignandos esse decreverimus; sed & pro executione talis determinationis & Decreti Visitatorem Generalem destinaverimus, ne, si ad tempora nostri personalis adventûs, & visitationis protraheretur divisio, & Fratrum Communitas incommodum, & regularis Observantiæ rigor relaxationis pateretur detrimentum; sed nonnullis, quæ de novo emerserunt, difficultatibus effectum impedientibus, nobisque post visitationem Provinciarum, Regnorumque utriusque Siciliæ Romam petentibus, ibique cum Admodum RR. PP. Diffinitoribus Generalibus supradictis Religionis negociis exigentibus in unum congregatis, cum è pluribus Provinciis ex eademmet Parisiensi scilicet, & aliis circumcirca, ad quos supradictæ divisionis decreta notitia pervenerat, plures petitiones, & prætensiones de novo fuerint præsensatæ, quæ graves involvebant difficultates, ex prædictorum Admodum RR.PP. Diffinitorum Generalium novo, & unanimi consensu, justis de causis animum nostrum moventibus in jam emanati decreti exequutionem conspirantibus, tandem nihil immutare decreverimus. Nunc autem divino nos comitante favore, cum post reliquarum Italiæ Provinciarum, nec non Regnorum Hispaniarum, & Galliarum visitationem, ad hanc postremò pervenerimus, Conventus nonnullos, & Fratres quamplures, quantùm tamen angustia temporis, quâ sollicitamur ad eam, quæ restat, Religionis partem, pro cura, & ministerio nobis demandato adeundam, compatitur, visitaverimus, Capitulumque Provinciale in præsenti Conventu Assumptionis Beatæ Mariæ Civitatis Parisiensis collegerimus, supradictis nostris, & Patrum determinationibus & Decretis inhærentes, ad divisionem prædictam præsentis Provinciæ devenire judicaverimus. Præsenti decreto perpetua duratione valituro, statuimus, decernimus, ac mandamus Provinciam hanc Parisiensem in duas esse dividendam, quarum altera antiquo, & primævo Provinciæ Parisiensis retento nomine, altera Provincia Normanniæ nuncuparetur: ad hanc Normanniæ scilicet, quam de novo in Provinciam erigimus, & constituimus, omnes Conventus utriusque Normanniæ superioris, & inferioris assignamus, quos ante divisionem hanc in sua Custodia continebat, qui sunt, Rothomagensis, Sotovillensis, Andeliacensis, Cadomensis, Portus gratiæ, Ebroicensis, Lexoviensis, Bayocensis, Vernonensis, Dieppensis, Honflorensis, Constantiensis, Abrincensis, Falesiensis, Fiscanensis, Cadobecensis, Augensis, & Virensis. Quia verò in decretis divisionis Provinciæ Turonensis à nobis editis sub die 18. Maji proximè præteriti, quatuor Conventus, qui ad eam Provinciam, dum indivisa existeret, pertinebant, præscidimus, & amputavimus, eorumque dispositionem nobis, & arbitrio nostro reservavimus, duos scilicet supradictos Alinconiensem, & Argentomensem; nec non alios duos Nongentinum, & Mortiniacensem, ejusdem præsentis Decreti virtute ad prædictam Normanniæ Provinciam incorporamus, unimus, & copulamus. Reliquis verò Conventibus in dicta Provincia Parisiensi contentis, ita, uti de præsenti sunt, ad eandem remanensibus, qui sunt Conventus Assumptionis Beatæ Mariæ, Annuntiationis, Conceptionis, Medonensis, Stampensis, Charnotensis, Montisfortis, Pontisarensis, Medolunensis, Antisiodorensis, Joinicensis, Trecensis, Meldensis, Compendiensis, Sylvanectensis, Suessionensis, Rhemensis, Provinensis, Meduntensis, Druitensis, Colomeriensis, Senonensis, Pissiacensis, Castrotheodoriensis, S. Florentini, Ambianensis, Abbavillensis, Bellovacensis, Noviodunensis, S. Quintini, Laudunensis, Peronensis, Montis-desiderii, Boloniensis, Calaitensis, & Montis Regii.

Quoniam verò inter Fratres utriusque Provinciæ inposterùm quam facillimè & frequentes, & quotidianæ confusiones, lites & contentiones oriri possent circa Civitates, & Oppida, quæ inter utramque Provinciam mediant, tum pro Conventibus de novo construendis, tum pro eleemosynis conquirendis, tum etiam pro Concionatoribus destinandis, tum demum pro multis, quæ passim & in dies ex hujusmodi divisionibus de novo emergere, & contingere solent, nisi certi fines & termini, seu limites inter utramque Provinciam invariabiles, & immutabiles in limitrofis constituantur, intra quos unaquæque Provincia respectivè contineatur, & ultra quos neutra exeat, aut progrediatur, posteritati pro munere, quantùm in nobis est, prospicere, occasiones perturbandæ pacis radicitùs, quantùm fas est, amputare, & in contrarium obviantia, paternâ, qua tenemur, sollicitudine præcavere studentes, de RR. Patrum Provincialium Ministrorum, ac Diffinitorum utriusque Provinciæ infrascriptorum consensu, terminos, fines, ac limites inter prædictas Provincias ponimus, statuimus, firmamus, ac declaramus eosdem, quibus ante divisionem, dictæ Custodiæ, Parisiensis & Normanniæ discernebantur, & dividebantur; ita, ut Conventus ad unamquamque Provinciam, ut suprà, respectivè assignati contineri debeant intra eosdem terminos, nec ullo pacto excedere, intra quos uniuscujusque Custodiæ Conventus ante divisionem continebantur. Declarantes, mandantes, ac decernentes, ut intra spatia locorum & intra limites utriusque Provinciæ respectivè, ut suprà, constitutæ liceat unicuique Parti ea omnia disponere & exercere, quæ unaquæque Provincia de jure, & de facto disponere & exercere potest, secundùm quod de facto, & de jure competit; Mandantes insuper, ut de Fratribus utriusque Provinciæ respectivè uterque Provinciæ Minister cum PP. Diffinitoribus præsentis Capituli disponere debeant & valeant, secundùm quod loca, in quibus iidem Fratres nati sunt, intra limites utriusque Provinciæ respectivè continentur. Quibus omnibus, & singulis præsentis Decreti tenore injungimus ac præcipimus, ut suam prædictam Provinciam respectivè unusquisque, omni contradictione, & morâ seclusâ, atque sublatâ, petat, nisi aliter alicui à nobis peculiariter, & expressè concedatur.

Cæterùm sicut locorum spatiis separantur, ne ita etiam animorum fiat discretio, hortamur, & obsecramus in Domino omnes & singulos utriusque Provinciæ Fratres, ut se se invicem respicientes, religiosis, fraternis, & charitativis obsequiis prævenire curent, ut ea, quam necessaria locorum divisio secum fert, & distantia, separatione seclusâ, & circumscriptâ unitatem spiritûs perpetuam, incorruptam, & integerrimam servare, & augere contendant. Quæ omnia Fratres prædictarum Provinciarum Parisiensis & Normanniæ universi, & singuli respectivè, secundùm quod ad unumquemque pertinet, inviolabili observantia exactissimè implere & observare curabunt, quemadmodum præsentis Decreti tenore firmiter præcipimus & mandamus. Et, ut omnium suprà contentorum notitia non solùm ad existentes hac tempestate, & in præsenti Capitulo, verùm etiam in perpetuum ad successores prædictarum Provinciarum respectivè subditos, ac superiores faciliùs perveniat, hæc manu nostra propria firmata & signata decreta, & sigillo majori officii nostri munita, nec non supradictorum RR. PP. Provincialium Ministrorum, & Diffinitorum utriusque Provinciæ manu subscripta dedimus. Parisiis die x. Julii Anni ab Incarnatione 1629.

Fr. Joannes Maria, Generalis.

Fr. Paschalis Provincialis.	Fr. Paulinus Provincialis.
Fr. Vincentius Diffinitor.	Fr. Bernardinus Diffinitor.
Fr. Henricus Diffinitor.	Fr. Josaphat Diffinitor.
Fr. Archangelus Diffinitor.	Fr. Lazarus Diffinitor.
Fr. Laurentius Diffinitor.	Fr. Ignatius Diffinitor.

Fr. Joannes à Monte Calduo Consultor, & Socius Ord. Admod. Rmi P. Generalis.

Nor-

Normannos generatim virtute excellere, virosque & Marte, Themide, & Pallade illustres educare dum tradunt historiographi, forte hac non destitutam esse Provinciam nostram ex vaga documentorum lectione deduco. Martyres sanguinis qui cupit, hos in PP. Antonio Constantiniensi, & Alberto à S. Salvatore reperiet, quorum cruore, dum fatuo Idolorum cultu fascinata gens in Capite Boreali, vulgò *Au Cap de Nord*, suas anno 1647. inquinavit manus, piâ memoriâ econtra situm feralis actûs sanctificavit. Martyres desiderii ritè dixeris, eos Fratres omnes, quos ad Missiones curæ suæ jam ultra centum annos in America commissas ablegavit, & adhuc ablegat: Martyres charitatis viginti, aureo charactere unus marmoreus lapis Rothomagi in Cœmeterio S. Mauri nuncupato recenset cum Epitaphio subjuncto.

Hic requiescunt ossa Patrum Capucinorum, qui dum spirituali obsequio peste correptorum (anno 1650.) se mancipârunt, dies suos in charitatis exercitio finiverunt. Cineres ipsorum, ab iis suorum Fratrum elongati, sunt praelara monumenta zeli, qui nec timore morbi contagiosi, nec amore vitæ conservandæ impediri potuit. Illud ipsum Evangelium, quod bonis terrenis illos spoliavit, sine dubio eos in lecto honoris mori effecit. Contigit hoc, dum charitatem, quæ virtutum omnium prima est, exercuerunt. Sacrâ invidiâ eorum conditionem respice, & , si ingratus esse nolis, manibus generosis, qui pro publico servitio, vitam tanto zelo sacrificârunt, non denega.

Feriit vix ullum hujus Provinciæ locum flagellum pestis, quod charitas in eo Seraphicas non litaverit hostias &c.

Personat adhuc vox Concionatorum, quos habuit Provincia raro talento dotatos; fuit enim vox in virtute, quam dum Portu-gratienses in Fr. Jacobo de Bolduc, Argentomenses in Fr. Claudio à S. Brioco &c. stupuerunt, lapides ad construenda Fratrum domicilia in monumentum laudis posuêre. Ita quoque excelluit in Fr. Zacharia Lexoviensi donum prædicationis, ut Anglia illud à Gallia sola possideri quasi invideret, & ideo, ut Londini sacri jejunii tempore in Regio Palatio pateret, Reginæ suæ Henricæ suasit, obtinuit, et obstupuit.

Si et Fratres in generatione sua Nobiles quæras, horum numero digni inseruntur, Fr. Franciscus à Ponte S. Petri, qui dum virtute generis nobilitatem longè superavit, Rothomagi in præconio sanctæ opinionis quiescit: Fr. Henricus à Gournay, ex illustri Familia de Bezu, cui Regina Angliæ Altesata nomen suum imponi voluit: Fr. Jacobus de Bordes; Fr. Joannes Maria Rothomagensis, Francisci de Pericard Episcopi Abrincensis Nepos, et N. Episcopi Tarsensis Frater Germanus; Fr. Raphael de Clayes, Marchionis de Clayes Filius etc.

Usque ad opinionem sanctæ vitæ alios virtus provexit; præter eos enim, qui Parisiensibus Patribus ante divisionem commiscentur, Annales nostri plurium Normannorum Fratrum vitam mirabilem extensè describunt, pluriumque aliorum restat describenda, quos inter commemoro Fr. Dionysium Viriensem, cujus sepulchro à terra elevato Cives Bellimontenses, qui piâ violentiâ Capucinis Cadaver ejus diripuerunt, sequens apposuêre Epitaphium.

J. M. F.

J. M. F.

SISTE VIATOR

Et quod inscius calcas, reverere & time.
Suo quippe sepultus triumpho
Illa sub tumba quiescit, qui nunquam quievit,
R. P. Dionysius Viriensis, Concionator Capucinus,
Ecclesiæ Propugnaculum, hæreticorum fulmen,
Donec excitetur tuba Dei sonante.
Hunc Sorbona formavit Theologum,
Religio Seraphica reddidit Seraphinum,
Et S. Sedes Missionarium Apostolicum delegavit.
Vixit ut alter Joannes Baptista, non manducans neque bibens,
Solis leguminibus contentus
Per triginta tres annos.
Conversatus est ut alter Paulus, omnibus omnia factus,
Ut omnes Christo lucrifaceret.
Quotidie sibi moriens, ut alter Franciscus, soli suo vixit Ordini.
Quem ille unum sibi Concionatorem fecit,
Magistrum Novitiorum, Guardianum, Lectorem
Tum in Philosophiâ tum in Theologia.
Quatuor millia & amplius virorum, ac Mulierum,
Quos Calviniana Hæresis eripuerat Christo,
Ecclesiæ, ejus Sponsæ, restituit.
Ac tandem Definitor tertiò electus,
Et Bellimontis cum duodecim aliis Capucinis
Missionem exercens per quadraginta dies,
raptus est in Cœlum tempore Autumni
anno 1658.

Quasi

Quasi mortuus æternitati
In libra quia justus, die Sabbati, tanquam ad requiem destinatus,
Et die nona Octobris, ut nominis omen impleret,
Ætatis annorum 65. Relig. 42. vade & ipsum imitâre.

Singularem, et conversione trium millium et ultrà Acatholicorum celebtem Fr. Seraphini Rothomagensis virtutem qui scire avet, eam legere non gravetur restrictam ad Epitaphium, ipsius tumulo appositum, et in nova scriptorum Ordinis Bibliotheca fol. 74. extensum.

Scriptores hujus Provinciæ inquirere, negotium non est, tum, quod Bibliotheca prædicta eos annotet, tum, quod opera Ludovici Francisci Argentomensis, ipsa ad diversæ linguæ consuetudinem traductio omnium manibus reddiderit communia. Infelicem se censeat, qui libros Fr. Zachariæ Lexoviensis suprà enuntiati, politiore sermone cultos non vidit, nec reconditum in iis altioris sapientiæ spiritum gustavit, sanctiore ipsius Auctoris vitâ unctum.

Videns Normannus Populus Viros virtute præditos, stupensque tum laborem, quo & fidei triumphis, & animarum saluti studuerunt, tum fructum, qui illius spem longè superavit, non solùm munifica manu beneficia in eos congessit, sed & benigno prædilectionis favore distinxit. Hinc, dum Vernonii & Augii, vel de Tertiariis vel Capucinis inducendis inter Cives agebatur, hos illis prætulerunt: dum & Patres Pœnitentes nuncupati, fundationis nostræ opus in Civitate Fiscaniensi præpedire moliebantur, delusit illorum conatum Civium erga nos affectus, & sedem nobis decrevit. In suburbio Honflorii, à S.Catharina vocitato, erigitur Capella B. V. Gratiarum, & dum de conservando illius cultu agitur, Fratrum curæ ex dono Serenissimæ Principissæ, Mariæ Borboniæ, Ducissæ de Montpensier &c. Filiæ P. Angeli Jojosæi committitur. Ecclesias integras alii dum non donârunt, jam consistentes Tabulis, & Statuis ornârunt. Rothomagi Tabulam Altaris majoris, quæ Christi è Cruce depositionem repræsentat, alii mirantur, cum sit penicillo celebris Pictoris de la Hire delineata, alii æstimant, cum sit Archetypa. Videntur in ejusdem Ecclesiæ Capella, S. P. Francisco dicata, aliæ duæ tabulæ, quarum una à latere dextero, S.Patrem extrema suspiria agentem exhibet, altera à latere sinistro eumdem Assisiensi in Crypta stantem, & à Summo Pontifice visitatum signat; utraque mirabilis, cum Dominus Jonvenet, Christianissimi Regis pictor, dextera paralyticus, læva eas pinxerit manu.

Perenne sui erga Nos amoris monumentum Domina de la Pouppe Cadomi reliquit, in tabula, adorationem trium Regum exprimente, cum ars Claudii Vignoni in ea consumpta videatur. Fixit & benefica manus in Altari majori Alenconiensis Conventûs tabulam, quæ legalem B. V. Mariæ Purificationem ac Christi Filii oblationem adumbrat, & in qua ars naturam adumbrasse videtur. Claret Imago B. V. Mariæ, quæ Mortaniæ dicitur, in Ecclesia nostra Augii, quæ vix in Altari majore anno 1634. collocata, visu cæco dato, perennem gratiarum fluxum devotis præsagiit: sculptam Rothomagi B. Virginis de Sanitate dictæ imaginem ea anathematum copia cingit, ut relatio gratiarum, quas notant, integri voluminis materiam præbeat: plurimùm hanc commendavit Regina Maria, Vi-

dua Henrici IV., uti docet epiſtola, P. Joſaphat Rothomagenſi Provinciali inſcripta ſub hoc tenore.

Reverende Pater.

Sciens à Veſtra Normanniæ Provincia in Eccleſia veſtri Majoris Conventûs Rothomagi conſervari imaginem Beatæ Virginis Mariæ, ſimilem illi, quam Reginæ Angliæ Filiæ meæ dono dedi, cum utraque ſit ex eodem ligno Beatæ Virginis Fuxi, vulgò de Foix. *Deſidero, ut in Capella, in qua hæc pretioſa Imago repoſita eſt, Novena peragatur, & 9. Miſſæ ad meam celebrentur intentionem. Tum Miracula, quæ mihi relata ſunt, & quæ Deus ibi operatur quotidie, tum fiducia, quam in precibus ad Beatam Virginem ſemper conſtitui, ad hanc devotionem, & ad vota mea ſuper novum Altare gloriâ Dei conſecratum reddenda me ſtimulant. Nolo vos ad hanc imaginem debitè conſervandam monere, cum id peculiari cura à Vobis fieri non dubitem, attento zelo, quo Ordo veſter ſemper ad cultum, & reverentiam Beatæ Virginis fertur. Dixiſſe vobis ſat ſit, quod in Eccleſiæ Noſtræ Dominæ* de Foix, *ubi hæc Imago colitur, plura ſuccedant Miracula, quod veſtram pietatem, & deſiderium accendere debet curam pro ſingulari ejus conſervatione renovandi.*

Perſuadeor quoque, quod libenter orationes veſtras in omni occaſione, ſicut in hac præſenti, meis ſitis juncturi, & precaturi Beatam Virginem, quatenus devotionem, quam erga eam fovemus, gratam & coram Deo meritoriam reddat. Quod & me eò magis devincit, ut me dicam.

Veſtram Affect.

Mariam.

Ubi beneficiis etiam pius amor Fratres cumulare amplius non potuit, depoſitis Cadaverum, iis relictorum perennari debuit. Ita probavit ſuum affectum Joannes de Jau, Eccleſiæ Cathedralis Ebroicenſis Decanus, Ebroici in Capella S. Patris humatus. Sonum noviſſimæ tubæ expectant & in Fratrum Eccleſia Conſtantiæ Franciſcus de Bruguier, Dynaſta de la Comble, Capitaneus major Regiæ cohortis Equeſtris Pedemontanæ: Antonius de la Luzerne, Marchio de Prevants, de Cas &c. Regi à conſiliis &c. nec non Maria Franciſca de Harcourt, Vidua Renati de Curbonel, Marchionis de Caniſy, Baronis de Marcè, de Hommes &c. Regii Normanniæ Præfecti, Urbis & Arcis Abricenſis Gubernatoris; in Eccleſia Fiſcanienſi Mathæus Lucas Locum-tenens Generalis &c. Dedit & cor ſuum Fratribus Mortaniæ in conſumationem operum charitatis Marchio de Villeroy, Eques Ordinis S. Ludovici &c.

Provincia majore etiam, quam data eſt, laude digna extenditur ad

Conventus Fratrum	XXVII.
Miſſiones ſeu Reſidentias intra Provinciam	III.
Miſſiones in America	plures.

Con-

Conventum & Ecclesiam PP. Servorum Beatæ Mariæ de Belletes in Civitate Harflorii situatam, Provinciæ quoad usum facti incorporat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Minister Provincialis Provinciæ Normanniæ, Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod è re dictæ Provinciæ maximè foret, si Conventus Ordinis Fratrum, Servorum Beatæ Mariæ de Belletes nuncupatorum, Oppidi de Harflorio, Rothomagensis Diœcesis, in quo unus dumtaxat ejusdem Ordinis Religiosus degit ætate gravis, nec non ejusdem Conventûs fabricæ situs, & Ecclesia quoad usum facti eidem Provinciæ, illisque Fratribus Capucinis assignaretur, dictæque Provinciæ incorporaretur: quodque Parochiali Ecclesiæ dicti Oppidi percommodè cederet, si redditus dicti Conventûs, qui summam scutorum centum monetæ illarum partium in paucis excedit, eidem Parochiali Ecclesiæ, quæ tenuis est redditûs, applicaretur; quare humiliter Nobis supplicari fecit dictus Minister Provincialis, ut in præmissis opportunè, ut infrà, providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eumdem Exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, Conventum præfatum, illiusque fabricas, situm, & Ecclesiam hujusmodi dictæ Provinciæ Normanniæ eorumdem Fratrum Capucinorum, quoad usum facti dumtaxat, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium concedimus, assignamus, & incorporamus: dictæ verò Parochiali Ecclesiæ ejusdem Oppidi redditum dicti Conventûs præfatum, reservato tamen eidem Religioso Seni Servitæ hujusmodi, donec vixerit, victu, illi ex eodem redditu præstando, applicamus, & appropriamus, salvâ tamen semper auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinum, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat, specialiter & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Februarii MDCXLV. Pontificatûs nostri anno primo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secr. Brev. Apostolic. Regesto mensis, & anni præd. fol. 22.

EPISTOLA

Sacræ Congregationis Episc., & Regul.

Episcopum Abrincensem, Fratres in collecta eleemosynæ turbantem, ac visitationem eorum Ecclesiarum minitantem, à consilio dehortari, Apostolicus Nuntius Parisiensis jubetur.

Illustri, ac Reverendissimo Domino, uti Fratri, Archiepiscopo Athen. Nuntio Apostolico.

Illustris ac Reverendissime Domine, uti Frater.

CUM P. Procurator Generalis Capucinorum exposuerit, quod Episcopus Abrincensis in Normannia non sine præjudicio exemptionum & privilegiorum, à Sede Apostolicâ Regularibus Mendicantibus concessorum prætendat, & de facto cum violentiis, in libello supplici injuncto expressis impediat, ne Capucini in illa Diœcesi eleemosynas colligant, imò jam se declaraverit, quod & eorum Ecclesias, & Conventus visitare velit. Eminentissimi Domini mei jux-

juxta declarationes jam aliâs à Sacra Congregatione factas, videlicet, quod Regulares Mendicantes in locis, in quibus Conventus habent, sine alia Ordinariorum licentia quæstuare possint, & in locis, ubi non habent Conventus, Ordinariis non liceat eos desuper impedire, exhibitâ iis licentiâ à Superioribus Ordinis, ipsis pro quæstuatione facta, Amplitudini Tuæ à me scribi jussεrunt, quatenus potenter se interponat, ubi, & apud quos opus erit, tum, ut prædicta impedimenta tollantur, tum, ut Oratores in suis exemptionibus, & privilegiis conserventur. Distinctam deinde de successû dabit relationem, & Deus &c.

Datum Romæ 5. Octob. 1646.

Illustr. ac Rmæ Dom. Vestræ

Uti Frater Affect.

M. Cardinalis Ginnettus.

Ex Archivo Secret. Congregat. mensis, & anni prædictorum.

N O T A.

Citiùs & efficaciùs, ut fomes controversiæ sopiretur, ab ipso quoque Cardinale Secretario Statûs Dominum Nuntium ad interponenda officia incitari conclusum, & factum est Epistola sequenti:

Perillustri, ac Reverendissimo Domino, uti Fratri, Archiepiscopo Athenar. Nuntio Apostolico.

Perillustris, ac Reverendissime Domine, uti Frater.

Præsupponitur, quod Episcopus Abrincensis in Normannia PP. Capucinis istius Conventûs sub pæna carceris eleemosynas per Civitatem, aliaque suæ Diœceseos loca colligere prohibuerit, imò omnibus Parochis scripserit, ne dictam Collectam permittant, ac pluribus Civibus minatus fuerit, quod ad notitiam datæ dictis Patribus eleemosynæ milites ad expilandas eorum ædes vocare velit. Cumque causa, ob quam Illustrissimus Dominus Episcopus contra Religiosos, tam studiosè in Vinea Domini laborantes, ita procedat, penetrari non possit, Reverendissima Dom. Vestræ ipsum libellum supplicem, Suæ Sanctitati à Procuratore Generali Ordinis porrectum, mittere statuimus, quatenus solitâ suâ pietate, & zelo illa media, quæ ad tollendas difficultates efficaciora, & opportuniora circumspecta ejus prudentia judicaverit, adhibeat, prædictosque Patres in quietâ eleemosynas quæritandi possessione conservet.

Romæ 21. Novembris 1646.

Uti Frater Affect.

Cardinalis Pamphilius.

Exempl. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Normanniæ *&c.*

Libellus supplex in utraque Epistola allegatus, & Summo Pontifici porrectus fuit tenoris, qui sequitur:

BEATISSIME PATER.

Illustrissimus Dominus Episcopus Abrincensis in Normannia Fratribus Capucinis eleemosynas in sua Diœcesi, etiam in ipsa Civitate, in quâ Conventum habent, colligere sub pœna carceris inhibuit, omnibusque Ecclesiarum Rectoribus scripsit, ne ullum Capucinorum sine scripta ejus licentiâ in suis Parochiis quæstuare permittant, Civibusque prætereà minatus fuerit, quod casu, quo iis eleemosynis succurrerent, militem Equestrem, ad deprædandas eorum Domos asciscere velit. Imò bina jam vice quæstuantes capi, & ad Episcopale Palatium violenter, & non sine summa injuria conduci fecit, ubi ignominiosis verbis eos tractavit, protestando, quod, etiam armata, si opus fuerit manu, ipsorum Ecclesiam, & Monasterium visitare velit; ad quod Fratres, hæc omnia contra Bullas Pontificias, & Sacræ Congregationis Concilii declarationes pugnare, cum omni humilitate & modestia reposuerunt. Replicavit autem ille monstrans parum se curare &c. Hinc Procurator Generalis Capucinorum ad Sanctitatis Vestræ pedes prostratus, pro opportuno remedio supplicat &c.

Partes suas indilatè Illustrissimus Dominus Nuntius explevit, dato ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Pamphilium responso subjuncto.

Eminen-

Eminentissime ac Reverendissime Domine, ac Patrone Colendissime.

Eminentia Vestra cum litteris sub 21. Novembris proximè præteriti datis mihi mandat interponere mea officia circa controversiam inter PP. Capucinos cum Illustrissimo Domino Episcopo Abrincensi in Normannia tum in materia inhibitionis, quam circa colligendas in sua Diœcesi eleemosynas ab ipso factam prætendunt, tum in puncto visitationis Ecclesiarum, & Conventuum versantem. Porrò hoc ab Episcopo negatur, allegante, etiam eleemosynas ex proprio suo ære iis datas esse. Circa visitationem verò Ecclesiæ & Conventus, hanc à se non fuisse prætensam, sed visitationem dumtaxat Sanctissimi, prout idem ab Episcopis vicinis fieri supponit, & quidem ex motivo &c. Quod Sac. Congregationi, à quâ similia jussa recepi, perscribo. Aliud inde non restat, quàm ut Eminentia Vestra, quid ulterius agi debeat, mihi communicet &c.
Parisiis prima Martii 1647.

Archiepiscopus Athenarum &c.

Repetiit idem Illustrissimus Dominus Nuntius in litteris ad Sacram Congregationem datis, addito duntaxat paragrapho sequenti: Quod Capucini Sanctissimum infirmis administrarent, ex quo Episcopus visitationem prædictam sibi competere prætendit &c.
Utrâque hac Epistola à Sac. Congregatione lecta, ad eumdem Dominum Nuntium sequentia scribi jussum est.

Perillustris ac Reverendissime Domine, uti Frater.

Tum ad querelas nomine PP. Capucinorum Abrincii super gravamina, quibus ab Illustrissimo Domino Episcopo se vexari exponunt, tum ad relationem Perillustr. Dom. Vestræ, quod prædictus Episcopus Sanctissimum dumtaxat in ipsorum Ecclesia visitare prætendat, id ab iis, Sæcularibus infirmis administrari allegando, & de cætero se Oratoribus favere declarando, tum ad reflexionem, quod hoc (licèt ab eorum Procuratore Generali constanter negetur) illorum instituto adversetur, Eminentissimi Domini mei mihi commiserunt, Perillustr. Dom. Vestræ significare, quod, si veritate nitatur, ab iis sæcularibus infirmis Sanctissimum administrari, id ipsis inhibeat. Et circa Dominum Episcopum noviter sua officia interponat, quatenus à prædicta prætensione desistat, & in pacifico exemptionum & privilegiorum possessu Oratores non turbet, reddendo postmodum Sacram Congregationem de successu instructam.
Romæ 17. Maji 1647.

M. Cardinalis Ginnettus.

Exempl. in Arch. gener. Ord. Provincia Normanniæ.

Fr. Nicolaum de Fallesia benignè à se exceptum, & de pietate Ducis Longavillæ differentem, cum voluptate auditum esse, eidem Duci renuntiat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Duci Longavillæ.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religiosum Virum, Nicolaum de Fallaixe, Capucinum, Nobilitatis Tuæ litteras reddentem excepimus perbenignè, quæque de insigni pietate Tua, & in hanc Sanctam Sedem, & Nos observantia singulari disertè prosecutus est, etsi Nobis jampridem cognita, atque perspecta, singulari paternæ charitatis affectu complexi sumus. Cæterum eximiæ, ac veteris erga præclaras virtutes tuas voluntatis nostræ documenta, quoties in Domino poterimus, nunquam à Te desiderari patiemur. Interim feliciores quosque rerum secundarum successus ab Auctore bonorum Domino precamur Nobilitati Tuæ, cui Benedictionem Apostolicam peramanter impertimur.
Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VIII. Julii MDCLVIII. Pontificatûs nostri Anno quarto.

Natalis Rondininus Secret.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes *Regest. mens. & ann. prædict. fol.* 81. *à tergo.*

Tum à Fratribus nostris, tum à RR. PP. Tertii Ordinis, Habitum hujus Ordinis Sæcularibus in propriis Ecclesiis respectivè conferri confirmat.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Provinciæ Normanniæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs, cum Fratres Tertiarii Regulares Congregationis Galliæ, Ordinis ejusdem Sancti Francisci &c. Tertium Ordinem S. Francisci erexissent, atque illius Habitum in Parochiali Ecclesia dicti Oppidi personis sæcularibus utriusque sexûs conferre præsumerent, id eis ad instantiam Curatorum Presbyterorum, Gubernatoris, & Principalium &c. per duas sententias, unam die 25. Februarii 1645. & alteram die 26. Decembris 1651. à tunc existentibus Episcopis Lexovien. respectivè latas fuit absolutè prohibitum, atque injunctum, ut dicti Tertii Ordinis curam & directionem prædictis Fratribus Minoribus Capucinis, qui in Oppido præfato à pluribus annis stabiliti erant, & ad quos, tanquam ad veros Fratres Minores Ordinis S. Francisci spectabat, relinquerent: à quibus sententiis cum iidem Fratres Tertiarii Regulares ad Sedem Apostolicam appellâssent &c. recurrerunt ad Congregationem &c. Concilii Tridentini &c. à quibus certi Decreti die 20. Decembris 1616. emanati confirmationem postulârunt, & obtinuerunt per bina decreta die 29. Decembris 1626. & die 15. Maji 1655. respectivè expedita, quorum ultimum per Apostolicas in simili forma Brevis litteras die 30. Januarii ejusdem anni 1655. emanatas confirmatum fuit, ac deinde ad Congregationem ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium propositam, à qua etiam aliud Decretum die 9. Junii 1656. emanatum consecuti sunt. Unde, cum decretorum hujusmodi vigore prætenderunt spoliare prædictos Fratres Capucinos possessione conferendi Habitum dicti Tertii Ordinis Sancti Francisci personis sæcularibus utriusque sexûs, in domibus privatis extra omnem Congregationem degentibus, absque ullius voti obligatione Episcopo subjectis, super hoc tunc existentes, Minister Generalis, & Procurator Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum &c. supplicem libellum porrexerunt, fel. record. Alexandro Papæ VII. Prædecessori nostro, qui rem omnem examinandam, & judicandam &c. Congregationi nonnullorum S. R. E. Cardinalium commisit, hi verò Cardinales subinde attentis narratis super dicta controversia, an scilicet Fratres Capucini possent conferre habitum Tertii Ordinis S. Francisci personis sæcularibus utriusque sexûs in domibus privatis extra omnem Congregationem degentibus, & absque ullius voti obligatione Ordinariorum jurisdictioni subjectis, dictis partibus auditis, & omnibus hinc inde allatis maturè consideratis, censuerunt pro tunc, & usque ad novum ordinem ipsius particularis Cardinalium Congregationis permittendum esse tam Fratribus Capucinis, quàm Tertiariis regularibus prædictæ Provinciæ conferre prædictum Habitum memoratis personis, modò tamen id facerent in Ecclesiis propriis suorum Conventuum, & non alibi &c. non obstantibus quibuscunque in contrarium ex utraque parte allatis, & aliàs, prout in ejusdem particularis Congregationis decreto desuper die 17. Septembris 1658. emanato continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædicti Exponentes Decretum ultimò dictum, quò firmius subsistat, & serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, ac decreto ultimò dicto inhærentes, memoratis Fratribus tam Capucinis, quàm Tertiariis Regularibus Provinciæ Normanniæ, ut Habitum prædictum personis sæcularibus utriusque sexûs in domibus privatis extra omnem Congregationem degentibus, & absque ullius voti obligatione Ordinariorum Jurisdictioni subjectis, in propriis tamen Ecclesiis suorum Conventuum respectivè, & non alibi, conferre liberè & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium usque ad aliam ordinationem concedimus, & indulgemus, decernentes &c. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis Fratrum Capucinorum, ac Congregationis Galliæ hujusmodi etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Ordini & Provinciæ, illiusque Superioribus, & personis in contrarium præmissorum in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore

per-

permanfuris, ad præmifforom effectum fpecialiter, & exprefsè derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub annulo Pifcatoris die XXII. Novembris MDCLXIX. Pontificatûs noftri anno tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apoft. libro feptimo Diverforum fol. 43.

Decretum SS. Rituum Congregationis, quo Monialibus Monafteriorum Ordinis S. P. Francifci, Civitatis Rothomagenfis, & Oppidi Lupovarienfis recitatio Officiorum Sanctorum Calendarii Capucini conceditur, Apoftolica confirmatione munit.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper ad fupplicationem dilectarum in Chrifto Filiarum, Monialium Monafteriorum Ordinis S. Fracifci, Civitatis Rothomagenfis, & Oppidi Lupovarienfis, Ebroicenfis Diœcefis emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum noftrorum S. R. E. Cardinaliom facris Ritibus præpofitorum decretom tenoris, qui fequitur, videlicet. *Sacrorum Rituum Congregatio ad preces Monialium Ordinis S. Francifci Civitatis Rothomagenfis, & Oppidi Lupovarienfis, Diœcefis Ebroicenfis, ab Eminentiffimo, & Reverendiffimo Domino Cardinale de Janfon in eadem relatas benignè conceffit, ut Oratrices fupraftorum recitare poffint Officia Sanctorum Calendarii Patrum Capucinorum, dummodo illius diei Officium ordinarium occurrens non omittant. Die 8. Aprilis 1693.*

Cum autem, ficut pro parte Monialium prædictarum Nobis fubinde expofitum fuit, ipfæ decretum hujufmodi, quò firmius fubfiftat, Apoftolicæ confirmationis noftræ patrocinio communiri fummopere defiderent: Nos fpecialem ipfis exponentibus gratiam facere volentes, & earum fingulares à quibufvis &c. cenfentes, fupplicationibus Nobis earum nomine &c. inclinati, decretum præinfertum auctoritate Apoftolica, tenore præfentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoftolicæ firmitatis robur adjicimus, falva tamen femper in præmiffis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eafdem præfentes litteras femper firmas, validas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri & obtinere, ac illis, ad quos fpectat, & pro tempore fpectabit, pleniffimè fuffragari; ficque in præmiffis per quofcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam &c. Auditores judicari & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obftantibus Conftitutionibus, Ordinationibus Apoftolicis, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub annulo Pifcatoris die XXVI. Septembris MDCXCIII. Pontificatûs noftri Anno tertio.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apoftolicorum menf. & ann. prædictor. fol. 14.

PRO-

PROVINCIA BRITANNIÆ.

PLAUSUM Britanni populi, quo Fratres nostros ad regionis suæ incolatum induxit, tum devotio, quâ Crucis trophæum in designato Conventuum situ plantari consuevit, tum charitas, quâ prima Nobilitas horum expensas, vel integrè, vel ex potiore parte in se suscepit, patenter demonstrat. Plerumque; ubi de Crucis erectione actum erat, Oratio quadraginta horarum indicta, Indulgentiarum lucrum publicatum, & processiones generales, ad quas, præter utrumque locorum Clerum, vicinæ Paræciæ confluxerant, fuerunt præscriptæ. Ad hanc cœremoniam pro fabricâ Luconiensi indictam, visæ sunt Processiones viginti quinque, quarum nonnullæ iter plurium etiam leucarum conficere debebant. Duas uno eodemque die pro fabrica Domûs nostræ Civitas Hennebontensis vidit, unam scilicet, pro Crucis erectione, & alteram pro primi lapidis positione, ab Episcopo Vennetensi promulgatam, utramque eò magis conspicuam, cum eidem Franciscus de Cossè, Dux de Brissac, Par Franciæ, & supremus rei pannariæ Præfectus, ac Locumtenens Generalis Gubernii Britanni cum præcipuæ Nobilitatis syrmate interfuerit.

Devotioni par fuit æmula charitas, quâ Personæ particulares Conventuum expensas ære suo solverunt. Fundavit Philippus, Dux Mercurii, Domum Nannetensem majorem, & primam Provinciæ, tempore, quo circa Ditionis Britanniæ dominium cum Regibus Galliæ armis contendebat. Sua fundamenta Monrelaxensis Renato Barbier, Equiti &c., Marchioni de Sigran adscribit. Marani sui castri Domicilium Comes de Beüil vertit in Sanctuarium Fratrum; & parte suæ possessionis opus fabricæ Vennetensis acceleravit Comes de Limoges. Altefatus Dux de Brissac Conventum Hennebontensem vendicat suum, dum in eo pro vita cellam, Habitum Capucinum pro morte, & sepulturam pro se & suâ reservavit Familiâ. Colit Lucoviensis Fundatorem Armandum Cardinalem Richelæum, qui dum Crucem in signum novæ Domûs sine mora erigi, impensis litteris sollicitavit, certas suæ stipis suppetias, conjunctim prædixit. Fr. Vincentius ex nobilissimâ Lezurec prosapiâ, non solùm Conventum Audiernensem suâ substantiâ fundavit, sed & primogenituræ jura cum Habitu Capucino commutavit.

Charitas particularis ubi onus non suscepit, Civitates & Capitula Cathedralia, Communitates &c. communi stipendio, aut dono, ædes multiplicârunt, Regibus Christianissimis per litteras suas patentes eò libentiùs consensum præben-

bentibus, quò crebriùs fama de aufteriore Fratrum vita, pietatis exemplis, & animarum zelo Regium impleverat thronum. Teftes hujus funt facræ Miffiones, quas inftituunt, & quarum plures pro iis privativè non folùm in Provincia, fed & extra eam in plagis infidelium, videlicet Siriæ, Paleftinæ, Guineæ &c. fundatas exercent, & adminiftrant. Commendant eum facra Roftra, in quibus Verbum Dei difpenfant eâ fructûs laude, ut in fola Rhedonenfi Civitate quinque Cathedræ Dominicales ipforum curæ fint commiffæ. Plura loca & Ecclefiæ Cathedrales ex fama igniti eloquii, quo Fratres Britannos pollere noverant, allectæ, ex hac Provincia Præcones quadragenæ pœnitentiæ mutuârunt. Refonat adhuc in Echo laudis Apoftolica vox, quâ FF. Clemens Maclovienfis, Bernardus Niduanus, Antonius Rhedonenfis &c. populo veritatem Evangelii de facro vulgârunt fuggeftu. Reperitur adhuc nomen Fr. Jofephi à Monte relaxo in Matricula Ecclefiæ Cathedralis Parifienfis inter Canonicos Honorarios fcriptum, cum bina vice facra hujus penetralia, facundiâ fermonis, & fpiritu zeli, prædicans baptifmum pœnitentiæ impleverit.

Plus mirari, quàm recenfere debeo charitatis exempla quæ dum in aliis fæviente pefte refriguit, in Fratribus ita caluit, ut gratæ laudes adhuc per Alrajenfes, Monterelaxenfes, Meduanenfes, Lavellenfes &c. percrebrefcant ædes &c.

Non autem ita fibi foli hujus virtutis laudem ufurpat, quin & partem refundat in nobiles illas Familias, à quibus prolem receptam, ad virtutis perfectionem educavit, & quarum fequentes inter plurimas recenfeo, de S. Bedan, du Bourgblanc, de la Breniere, de Brequigny, de Bruc, de la Bunelaje, de Becdelievre, de Carpon, Chef de Viller du Guafpern, du Clieu, de Coetloury, Coatallio de Togott, du Cotier, Cretien de Pomorio, de Derval, Gegon de Tremour, Gentill de S. Gilles, de Kallo, de Kergariou de Portempart, de Kermelec Kerovan Mahè, de Kervenozael, du Haffont, du Lezar, le Mentier de la Motte baffe, de Montferant, de la Morandaje, de la Motte varuert, des Planches, Pontin, du Preron, de la Roche S. Andrè, le rouge de Marhalla, de la Salle Launay, de la Saudraje denizon, de la Villeon des Marciz de la Ville joff &c. Peculiari nota digna eft illuftris Familia du Fos Keraly, dum quatuor Fratres, quorum primus in magna Britanniæ Curiâ Confiliarium prius egerat, Provinciæ dedit, doctrinâ, & virtute verè infignes: Familia econtra Marchionum de Montauden non folùm Ecclefias plurium Conventuum facrâ fupellectile exornavit, fed femetipfam exinanivit in Fr. Joanne Francifco, dum eum fuæ gentis ultimum, D. P. Francifco dicavit.

Quantùm decoris Provinciæ nobilitas fufcepta adiicit, tantùm fplendoris Provincia Ecclefiæ attulit, dum ei Servum Dei, Fr. Caffianum Nannetenfem, Martyrem, Fr. Timotheum à Flexia, Epifcopum Beritenfem, Fr. Dorotheum à S. Trinitate, ac Fr. Ambrofium Rhedonenfem, Apoftolicæ Sedis deputatos in Paleftinâ dedit. Eandem Dei Ecclefiam plures hujus Provinciæ Confeffores, quos Deus vocavit in partem fortis Sanctorum, & implevit agnitione voluntatis fuæ, multiplici fua virtute illuftrârunt. Fr. Timotheus à Meduano, dives factus in gratia Dei, quæ data eft in Chrifto Jefu omni verbo & fcientia, faluti animarum, & ægrorum folatio impenfo incubuit ftudio, ita, ut adhuc hodie in Civitate Meduanenfi memoria pietatis virefcat: plures poftquam in cæcitate cordis à falutis via aberrantes ad femitas rectas reduxiffet, cæcus & ipfe factus, à Deo obtinuit, ut adhuc per fex annos, mortem ejus præcedentes, tantùm luminis acquifiverit, quantùm ad celebrandam Sanctam Miffam, à qua abftinere coactus erat, fufficeret &c.

Fr. Alexii à Dinanno operariam virtutem Deus donis gratiæ & prodigiis fubli-

blimavit; recensetque adhuc Ulyssiponensis Civitas magnalia ejus, & fidem, quâ furorem ignis, qui Monasterium Monialium Capucinarum, consumpto jam vicino RR. PP. Benedictinorum Cœnobio, paris excidii minis conterruit, in ostensione Eucharistici Dei, & in verbis, *Creatura obtempera Creatori*, potenter suffocavit.

In memoria æterna erit justus Fr. Gabriel, pariter à Dinanno, lucidum præsentis sæculi Sydus. Fixit illud Divina providentia in Aremoricæ Zodiaco per ortum suum anno 1652., crevitque in via virtutis usque ad diem perfectum. Mirata est Provincia mirabiles ejus ascensiones, & Deum divitias gratiæ & gloriæ, ei ubertim ostendisse conclusit, dum prodigia quasi cum novitate vitæ inchoavit. Religiosum errantem oratione reduxit ad pœnitentiam; alium de Ægypto rediturum ad Montem Sion prædixit: raptus in extases, mirabilia, quæ homo loqui non potest, vidit: In pulpito confregit cedros, ita, ut Deum per os Gabrielis loqui, Episcopus Sanbriocensis non semel dixerit; in tribunali & cella pœnitentiæ dum Nobilis de injunctæ pœnitentiæ rigore conquestus est, armavit ille in hujus conspectu manum suam in alieni sceleris ultionem, & dum aculeati flagelli verbere innocens corpus suum percussit, induratum Nobilis animum ad pœnitentiæ aquas emollivit; scriptis & verbis novam Jansenii doctrinam impugnavit, & Sectatorum plures, ad agnitionem veritatis convertit: cibos cinere mixtos manducans, vicinam sui tabernaculi depositionem prædixit, anno 1723. in Parochia de la Motte, ubi Missioni incumbebat, subsecutam. Thesauro cadaveris ne incolæ privarentur, Ædes Parochiales, in quibus jacebat, custodiâ muniverunt, &, ne ullus Fratribus, qui ad illud tollendum advenerant, equum aut currum subministraret, inter se sanciverunt. Pretiosam ejus mortem illicò prodigia & gratiæ monstrârunt; cæcus enim admoto oculis Habitu jacentis in Ecclesia Cadaveris, visum acquisivit, & plura alia in publicas tabulas jam redacta referent annales Ordinis, quibus suo tempore thaumaturga Gabrielis virtus amplè inseretur.

Laudat & Religio nostra viros gloriosos, hominesque magnos, virtute & prudentia præditos, videlicet, Fr. Franciscum à Maclovio, prædictum Fr. Timotheum à Flexia, Fr. Franciscum Josephum de Matignon, & Fr. Augustinum à Quimperellio, dum Definitorii Generalis Curiam successivâ quasi, magnâque virtute accesserunt, & pari in ea laude Ordinis decori invigilârunt. Laudat (præter enuntiatum Fr. Franciscum Josephum) Fr. Augustinum à Monterelaxo, & Fr. Amatum de Lamballe &c. dum commissionis generalis spartam in exteris Provinciis felici prudentiâ expleverunt &c.

Laudat plures limati ingenii & judicii Mussegetes, qui libris publicæ luci datis suum æquè ac Provinciæ nomen commendârunt, & quibus in Bibliotheca scriptorum Ordinis notatis, Fr. Valentinum Nannetensem, sex Voluminum Concionum Authorem adjungo.

Diutius hæc gubernium cum Parisiensi divisit, & ab illa cum Turonensi dissecta, hanc quoque anno 1629. dimisit, vigore instrumenti subnexi.

In no-

In nomine Domini nostri Jesu Christi, ejus Sanctissimæ Genitricis Mariæ, ac Seraphici Patris nostri Francisci. Amen.

Nos Fr. Joannes Maria à Noto, Minister Generalis (licèt immeritus) totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum &c.

Quoniam ex divisione Provinciæ Turonensis in duas, in Turonensem scilicet unam, & Britanicam alteram, inter Fratres utriusque Provinciæ inposterùm quam facillimè, & frequentes & quotidianæ confusiones, contentiones, & lites oriri possunt circa Civitates & Oppida, quæ inter utramque Provinciam mediant, tum pro novis Conventibus construendis, tum pro eleemosynis conquirendis, tum etiam pro Concionatoribus destinandis, tum demum pro multis, quæ passim in dies ex hujusmodi divisionibus de novo contingunt, & emergere solent, nisi certi fines ac termini, seu limites invariabiles & immutabiles in limitrofis utriusque Provinciæ constituantur, intra quos unaquæque respectivè contineatur, & ultra quos neutra progrediatur. Propterea horum declarationem, determinationem, & formam ex proposito tradere statuimus, & reservavimus in ipsius divisionis Decreto, cujus tenor talis est.

Cum in Capitulo Generali nostri Ordinis, Anno Jubilæi proximè elapso 1625. Romæ celebrato, RR. PP. Minister Provincialis, & Custodes Provinciæ Turonensis Nobis, & Admodum RR.PP. Diffinitoribus Generalibus exposuerint, prædictam Provinciam Turonensem tanta locorum spatia continere, longè, latèque diffusam, ad tantam, tamque numerosam Conventuum, & Fratrum multitudinem excrevisse, ut vix, & nequidem semel in anno, etiamsi quàm cellerrimè eam perlustrare conetur Provincialis Minister, visitare queat; eapropter in duas vel etiam, si maluerimus, in tres, quandoquidem id commodè fieri posse asseveraverint, dividi enixè postulaverint, ut & Fratres & Conventus frequentiùs visitari, & visitationes maturiùs perfici possent: Nos verò ex prædictorum Admodum RR. PP. Diffinitorum Generalium voto, præpositâ maturâ discussione, perpendentes, non satis benè, sed neque æquè benè, ùt par est, de postulata divisione deliberari posse decreverimus, quin prius eamdem Provinciam, & reliquos Patres, qui Capitulo Generali interesse nequiverant, nec non Fratres, & Conventus præsentialiter, & personaliter conveniremus. Sancitum itaque fuit, ut plurium Provinciarum de eadem Provincia constituendarum erectio & institutio, seu in duas aut in tres divisio, ad tempora nostræ visitationis, consideratis & perpensis super loco loci considerandis & perpendendis protraheretur, & arbitrio nostro pro partium constituendarum statu committeretur.

Cum ergo, divino nos comitante favore, post Provinciarum Italiæ, & Hispaniarum visitationem ad hanc pervenerimus, Conventus & Fratres (quantùm angustia temporis, quâ premimur, ad eam, quæ restat, Religionis partem pro munere & ministerio nobis imposito adimplendo adeundam, compatitur) visitaverimus, Capitulumque Provinciale in præsenti Conventu S. Mariæ Auxiliatricis, Civitatis Aurelianensis, ad diem 18. currentis mensis Maii citaverimus; jamque omnes Vocales privatim, & singillatim, ut liberiùs, & confidentiùs unusquisque pro suo sensu, & captu, quid circa divisionem prædictam sentiret, explicare valeret, audiverimus, & non leves difficultates hinc, & inde, aliis in duas, aliis in tres dividi postulantibus, proponerentur; & ideo, ut res tanti ponderis maturiùs discuteretur, secreta totius Capituli suffragia ad communiorem sensum eliciendum, facta propositione, an in duas, vel in tres Provincias

dividenda foret, expostulaverimus; duabus de tribus partibus Vocalium, collectis per scrutinium votis, pro duabus tantùm Provinciis erigendis, tertià desertâ, suffragantibus, & conspirnntibus, præsenti Decreto perpetua duratione valituro mandamus, statuimus, ac decernimus Provinciam hanc Turonensem in duas esse dividendam; quarum altera, antiquo Provinciæ Turonensis nomine retento, altera Britannica denominetur; ad hanc Britannicam, quam de novo erigimus, & constituimus, omnes Conventus Britanniæ superioris & inferioris assignamus, qui sunt, Nannetensis, Matiscoliensis, Crosicensis, Venetensis, Auriensis, Quinperconcensis, Montis Relaxi, Arasconiensis, Laniensis, Guingampensis, S. Brioci, S. Maclovii, Dinatensis, & Rhedonensis, quibus Conventus tres de Cenomanensi regione copulamus, qui sunt, Lavallensis, Meduanensis, & Cenomanensis: Insuper & Conventum Castrigontherii ex Andegaventibus. Reliquis verò Conventibus, ita ut sunt de Turonensi Provincin, ad eamdem remanentibus, qui sunt: Nivernensis, Genebensis, Aurelianensis, Bangetiensis, Blesensis, Vindocinensis, Turonensis, Salmuriensis, Andegavensis, Loxensis, Chinonensis, Baugensis, Ludonensis, Toarcensis, Partiniacensis, S. Maxentii, Niortensis, S. Joannis Angelorum, Engolismensis, Rupellensis, Insulæ reorum, Sabulensis, Fontiniacensis, Lexoviensis, Pictaviensis, Castrirodiensis, Bituricensis, Issodunensis, Castrensis, Castri-radulfensis, Virzonensis, S. Aniani, Romæ minoris; exceptis quatuor Conventibus, videlicet Alinconiensi, Argentensi, Nongentensi, & Mortiniacensi, quos specialiter excludimus, quorumque dispositionem in aliud tempus, donec Provinciæ Parisiensis visitationem, & Capitulum Provinciale perfecerimus, & ultra (si videbitur) arbitrio nostro liberè, & absolutè nobis reservamus, declarantes, mandantes, ac decernentes, ut intra spatia locorum, & intra limites utriusque Provinciæ sic, ùt suprà, respectivè constitutæ, ut juxta formam, declarationem & determinationem per aliud Decretum à Nobis stabiliendam, liceat unicuique parti, & Provinciæ ea omnia disponere, & exercere, quæ unaquæque Provincia de jure, & de facto disponere & exercere potest. Mandantes insuper, ut de Fratribus utriusque Provinciæ respectivè, uterque Provincialis Minister cum PP. Diffinitoribus præsentis Capituli disponere debeant, & valeant; secundùm quod loca, in quibus iidem Fratres nati sunt, intra limites utriusque Provinciæ continentur.

Quibus omnibus, & singulis in virtute sanctæ Obedientiæ, & præsentis Decreti tenore injungimus ac mandamus, ut suam prædictam Provinciam respectivè unusquisque petat, absque ulla contradictione & mora, nisi aliter alicui à nobis peculiariter, & expressè concedatur. Cæterùm, ne, sicut locorum spatiis separantur, ita animorum fiat discretio, hortamur, & obsecramus in Domino omnes & singulos utriusque Provinciæ Fratres, ut se se invicem respicientes, religiosis, fraternis, & charitativis obsequiis prævenire curent; & ea, quam necessaria locorum divisio secum fert, & distantia, separatione seclusâ & circumscripta, unitatem spiritûs perpetuam, incorruptam & integerrimam servare, & augere contendant. In quorum omnium suprà contentorum fidem, præsentes manu propria firmavimus, & sigillo majori nostri officii muniri mandavimus.

Datum Aureliani die 17. Maii à Virgineo partu 1629. &c

Fr. Joannes Maria, Generalis Minister. Fr. Ignotius Provincialis Ind. assentior. Fr. Angelicus primus Diffinitor assentior. Fr. Renotus secundus Diffinitor assentior. Fr. Anastasius tertius Diffinitor assentior. Fr. Hieronymus à Flexia, olim Provincialis assentior. Fr. Michael Andegavensis, olim Diffinitor, assentior. Fr. Claudius Briocensis olim Diffinitor assentior.

Locus ✝ Sigilli.

Not

Nos igitur supradicti Decreti formam insequentes, posteritati pro munere, & quantùm in Nobis est, prospicere, occasiones perturbandæ pacis radicitùs amputare, quantùm fas est, & in contrarium venientia, paternâ, qua tenemur, sollicitudine præcavere cupientes, de RR.PP. Provincialium & Diffinitorum utriusque Provinciæ infrascriptorum consensu, terminos, fines, ac limites inter prædictas Provincias præsenti Decreto, perpetua duratione valituro, ponimus, statuimus, firmamus, ac declaramus, ut sequitur: Primò ex parte Pictavorum plagæ, limites, & termini divisorii erunt iidem, qui inter Pictavos, & Brittones in temporalibus administrationibus constituti sunt, reservatis quibusdam locis de Pictavensium regione, qui vulgò dicuntur Pau, S. Christofle, la Garnache, e le bois de Sene, ad Conventum Mutiscolieusem pro eleemosynis conquirendis, sed non pro prædicatione, aut Conventûs alicujus de novo constructione aut fundatione. Secundò ex parte Conventûs Castrigontherii & Andegavensis, & regionis, quæ dicitur Ingrande, Provincia Britannica terminum divisoriam extendet, inclusivè ad loca; quæ vulgò dicuntur Carbailli, Combrè, Bourgdire, Segrè, Chambellay, Marignè. Tertiò inter Conventum Castrigontherii, & Baugensem, terminus utriusque Provinciæ desumendus erit à flumine, quod vulgò dicitur Sartre, extendente suos limites Provinciâ Turonensi usque ad flumen inclusivè. Quartò ex parte Vindocinensis regionis, pro termino divisionis constituuntur loca, quæ vulgò dicuntur Fresuedauton, Montoire, la Chartrè, Sergrè, S. Calaix, Conflans, Favigni, & Besiè, ad quæ extenditur Provincia Turonensis inclusivè. Quintò ex parte Turonis, unde Turonensis Provincia nomen assumpsit, statuitur pro termino divisionis Castrum, vulgò dictum Chasteau du loir, quod ad Provinciam Turonensem pertinebit; adeo, ut inter utramque Provinciam pro transitu à Castro supradicto ad Vindocinensem plagam, flumen, quod dicitur Loir, stet pro termino divisionis. Quia verò, ut ex Decreto suprà inserto videre licet, quatuor Conventus, qui ad Provinciam Turonensem ante divisionem à Britannica pertinebant, qui sunt, Aliconiensis, Argentomensis, Nongentensis, & Mortiniacensis; quoniam ad commodiorem divisionem facere judicavimus, non solùm inter prædictas Provincias Turonensem, & Britannicam, sed etiam & multò magis inter Parisiensem, & Normannicam studiosè excepimus, quorum dispositionem ad Capitulum Provinciale in proximo (Deo bene favente) Parisiis celebrandum, suspendimus, secundùm quod magis in Domino expedire pro opportuna dictæ Provinciæ Parisiensis à Normannica divisione, tunc temporis judicabimus. Hos tamen ex nunc, & præsentis Decreti vigore à Provinciis prædictis Turonensi, & Britannica, ut suprà, jam divisis, & constitutis præscindimus, amputamus, excludimus, ac separamus; hoc nihilominùs sub speciali conditione, & reservatione servato, & custodito, quod inter Vindocinensem Conventum, & Nongentinum, Provincia Turonensis se extendat usque ad Oppidum, quod vulgò dicitur Montmiral inclusivè. Item, quod inter Provincias Britannicam, & Parisiensem terminus sumatur ab extensione Carantensis Diœcesis, quæ ad Provinciam Parisiensem pertinet; & pro termino divisionis Cenomanensis Conventus à Nongentino, & Mortiniacensi, statuimus Oppidum, quod vulgò dicitur, la Fertè Beraard, & Memers, quod Cenomanensi Conventui assignamus. Item demum inter Brittones & Normannos, termini divisionis erant iidem, qui in administrationibus temporalibus stabiliuntur, utrique Provinciæ Britannicæ videlicet, & Normanniæ. Ex parte verò regionis, quæ dicitur Mayenne, versus Normanniam, pro divisionis termino statuimus Diœcesim Cenomanensem, quæ integrè ad Provinciam Britanniæ remanebit; facta nihilominus facultate Conventui Alinconiensi eleemosynas conquirendi intra spatium quatuor leucarum, vel circiter, in circuitu dicti Conventûs; ita tamen, quod intra idem spatium non liceat Conventum de novo construere, nec Concionatores pro Adventu,

Quadragesima, & octava Corporis Domini destinare: quod in tota Cenomanensi Diœcesi ad Provinciam Britanniæ reservatur. Quæ omnia Fratres prædictarum Provinciarum, Turonensis, Britannicæ, Parisiensis, & Normannicæ, universi, & singuli respectivè, secundùm quod ad unumquemque pertinet, inviolabili observantia exactissimè implere & custodire curabunt, quemadmodum præsentis Decreti tenore omnibus & singulis in virtute Sanctæ Obedientiæ firmiter præcipimus & mandamus. Et, ut omnium suprà contentorum notitia non solùm ad existentes hac tempestate, sed etiam in perpetuum ad successores prædictarum Provinciarum respectivè Superiores, & subditos faciliùs perveniat, hæc manu nostra propria firmata, & signata, & Sigillo majori officii nostri munita, nec non supradictorum RR. PP. Provincialium & Diffinitorum utriusque Provinciæ manu subscripta dedimus Aureliani die vigesima secunda Mensis Maji anni ab Incarnatione Dominica 1629.

Fr. Joannes Maria, Generalis Minister.

Fr. Ignatius, Provincialis Turonensis.
Fr. Renatus Andegavensis I. Diffinitor.
Fr. Angelus Blesensis II. Diffinitor.
Fr. Hieronymus à Flexia III. Diffinitor.
Fr. Michaël Andegavensis IV. Diffinitor.

Fr. Eliseus, Provincialis Britanniæ.
Fr. Claudius Briocensis I. Diffinitor.
Fr. Anastasius Nannetensis II. Diffinitor.
Fr. Archangelus ex Pleio III. Diffinitor.
Fr. Raphael Nannetensis IV. Diffinitor.

Exemplar authenticum in Archivo Generali Ordinis Armario Provinciæ Turonensis.

Quantumque juxta hanc divisionem Provincia Cenomanensem ditionem, partemque Andegavensis, & Pictaviensis Dominii complectatur, ex eo tamen, quod Conventuum numerum majorem in Britannia minore teneat, ab hac sub Sancti Ivonis patrocinio etymon sumpsit, diffusa.

Ad Conventus Fratrum	XXXI.
Ad Missiones in Oriente	plures.

Decretum

Decretum Definitorii generalis de divisione Provinciæ &c. confirmat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam,

PAstoralis officii, Nobis (meritis licèt imparibus) divinitùs commissi, sollicitudo nos admonet, ut ad ea, per quæ Religiosorum Virorum, qui spretis mundi illecebris, Altissimi obsequiis sese sub suavi arctioris disciplinæ jugo mancipârunt, quieti, felicique directioni, ac discordiarum inter eos cum Regularis observantiæ dispendio suscitatarum amotioni consulitur (quantùm Nobis ex alto conceditur) intendamus.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum super executione Decreti die prima Maji 1648. à Dilecto pariter Filio, Innocentio à Calatajerone tunc temporis existente dicti Ordinis Generali, in Conventu Civitatis Nannetensis dicti Ordinis promulgati, quo nonnullis difficultatibus, propter divisionem Provinciæ Turoniæ dicti Ordinis in Britanniæ, & Turoniæ Provincias,

Residuum cum antecedentibus, & consequentibus, vide suprà fol.76.

SACRA RIT. CONGREGATIO

Circa Beatificationem, & Martyrium Servi Dei, Fr. Cassiani Nannetensis, Missionarii Apostolici cum D. Promotore respondet.

Ordinis Capucinorum, seu Galliarum Servorum Dei asserti Martyrii Agathangeli, & Cassiani, Ordinis Capucinorum.

ACceptis & perlectis relationibus à Sac. Congregatione de propaganda Fide habita die 17. Februarii 1648. coram Sanctissimo, & de ordine Sanctitatis Suæ ad hanc Sac. Rit. Congregationem remissis super morte ob Fidem Catholicam in Æthiopia jussu Regis violenter illata duobus Patribus Capucinis, Sac. Congregationis Missionariis, scilicet P. Agathangelo de Vendosme, & P. Cassiano de Nantes Gallis, eadem Sac. Congregatio respondit cum Domino Promotore.

Hac die 20. Julii *1669*.

Vitam & Martyrii speciem hujus Servi Dei exhibet supra fol.84.

Pro restituenda Provinciæ tranquillitate tres Commissarios constituit, & causam dissidii ab iis terminari mandat.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, sicut accepimus, in Provincia Britanniæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, ob aliqua ibidem in fraternæ charitatis, & regularis observantiæ perniciem exorta dissidia, necesse fuerit tempore ultimi Capituli Generalis dicti Ordinis aliquem deputare, qui dissidiis hujusmodi sedandis invigilaret, fueritque ad effectum prædictum à dilecto Filio, moderno Ministro Generali dicti Ordinis specialiter deputatus dilectus pariter Filius, Ludovicus Francopolitanus, Provinciæ Aquitaniæ, ejusdem Ordinis Exprovincialis, ipseque Ludovicus in executionem sibi datæ commissionis primodictam Provinciam visitaverit, nonnullasque in ea causas contra dilectos etiam Filios, Joannem Franciscum à Sancto Maclovio, & Clementem Ploermelensem, memoratæ Provinciæ Britanniæ Exprovinciales inchoaverit, & instituerit, latisque quibusdam sententiis, re imperfectâ relictâ, ob appellationem à Joanne Francisco, & Clemente prædictis coram Ministro Generali prædicto interpositam, se in suam Provinciam receperit; Ipse verò Minister Generalis appellatione hujusmodi, si & in quantùm admissa, ut causis prædictis finis imponeretur, ac, ut Joannes Franciscus, & Clemens supradicti, prout justitia exigeret, condemnarentur vel absolverentur, summopere desiderans, alterum subrogaverit Commissarium, videlicet dilectum quoque Filium, Nicolaum Ambianum, Exprovincialem Parisiensem, isque illos per sententiam innocentes, nulla appellatione interpositâ, declaraverit. Verùm his non obstantibus dilecti Filii, Seraphinus Trecorensis Concionator, & Guardianus, ac Ambrosius Corisopitensis, pariter Concionator Provinciæ Britanniæ, & Ordinis hujusmodi Professores, tam in Capitulo Provinciali Causiliacensi men-

mense Junii 1686. celebrato, quàm antea quasdam contra dictus Joannem Franciscum, & Clementem oppositiones, & exceptiones formaverint, ne ii vocem activam, & passivam in electionibus Capitularibus haberent, easque ad hanc Sanctam Sedem direxerint, & ad illam pro opportuno in præmissis remedio consequendo recursum habuerint.

Hinc est, quod Nos, qui Ordinem prædictum in visceribus gerimus charitatis, religiosam in eadem Provincia Britanniæ tranquillitatem, adspirante superni favoris auxilio, reintegrari cupientes, ac de infrascriptorum ejusdem Ordinis Professorum fide, prudentia, charitate, integritate, solertia, doctrina, vigilantia, & Religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, auditâ etiam super iisdem præmissis dilecti Filii nostri, Nicolai, S.R.E. Presbyteri Cardinalis Acciajoli nuncupati, dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris, relatione, dilectos Filios Ambrosium à Calvo Monte Campaniæ, Benedictum Tornacensem Insulensis Provinciarum dicti Ordinis Ministros Provinciales, ac Casparem Albiensem Tolosanæ Provinciæ, ejusdem Ordinis Exprovincialem, in supradicta Provincia Britanniæ Commissarius, Apostolica auctoritate, tenore præsentium instituimus & deputamus; dantes eis plenam & amplam facultatem causam seu causas de—& super validitate, vel invaliditate supradictarum oppositionum & exceptionum contra Joannem Franciscum, & Clementem prædictos porrectarum, ac super omnibus & singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, totisque negotiis principalibus audiendi & cognoscendi, Testes ejusdem Ordinis Religiosos de præmissis informatos examinandi, ipsosque ad perhibendum veritati testimonium sub censuris, & pœnis cogendi, & compellendi, ac aliàs tam conjunctim, quàm divisim procedendi; nec non inquisitiones & processus, etiam de novo, si opus fuerit, fabricandi & conficiendi, conjunctim verò terminandi, & ad sententiam usque diffinitivam deveniendi, ac culpabiles repertos pœnis, quæ juxta Apostolicarum, & dicti Ordinis Constitutionum dispositionem venient imponendæ, damnandi. Prætereà quoscumque tam prædictæ Britanniæ, quàm aliarum dicti Ordinis Provinciarum Fratres, si opus fuerit, in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub censuris, & aliis, etiam carcerationis pœnis ad se vocandi, sive potius, prout eis placuerit, ex ejusdem Provinciæ Britanniæ regularibus Domibus amovendi, & ad alias, tam ejusdem, quàm aliarum dicti Ordinis ProvinciarumDomos regulares, cum ita eis pro celeriori causæ, seu causarum hujusmodi terminatione expedire videbitur, transferendi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria & opportuna, etiamsi talia forent, quæ mentionem requirerent magis specialem, faciendi, gerendi, & exequendi. Volumus autem, ut prædicta omnia liberiùs, & absque ullo impedimento peragantur, quod Ambrosius, Benedictus, & Caspar prædicti, ante eorum in Provinciam Britanniæ supradictam adventum, Clementem prædictum in aliam ejusdem Ordinis Provinciam transmittaut, ibidem remansurum, donec, & quousque de jure fuerit revocandus, ac, quod iidem Ambrosius, Benedictus, & Caspar cum eorum sociis prædictæ commissionis tempore durante ab omnium dicti Ordinis Superiorum jurisdictione & potestate liberi prorsus & exempti sint, & esse censeantur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinis, & Provinciæ Britanniæ, etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illarum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Martii MDCXC. Pontificatûs nostri Anno primo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni præd. fol. 57.

Fr. Timotheum à Flexia, Gallias repetentem, Cardinali de Polignac commendat.

Dilecto Filio Nostro, Melchiori, S. R. E. Diacono Cardinali de Polignac.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Etsi satis perspectas Tibi esse novimus singulares animi dotes, quibus præditus est dilectus Filius, Religiosus Vir, Timotheus à Flexia, Professur Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, qui Nobis approbantibus Galliam nunc repetit, existimamus tamen hoc nostrum in illius commendationem officium, quod præclarè Nobis de tuo in nos studio polliciti, ad Te dirigimus, non parum adjecturum esse veteri propensioni tuæ erga ipsum voluntatis, Te-

Teque hoc nomine passurum non esse, ullum tuæ auctoritatis præsidium, ubi res feret, ab eo desiderari in his, quæ Tibi coram explicabit. Cæterùm persuasum habere Te cupimus, Nos, sicuti eundem Religiosum Virum ob spectatas atque multiplices ejus virtutes, ac singularem inprimis sanæ doctrinæ tuendæ, nec non Orthodoxæ Religionis propagandæ Zelum, magnopere diligimus, & æstimamus, ita sanè admodum grata habituros esse omnia benevolentiæ, & humanitatis officia, quæ in ipsum intuitu nostro contuleris, Tibique, Dilecte Fili noster, Pontificiæ charitatis testimonium, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Februarii MDCCXIII. Pontificatûs nostri anno decimo tertio.

Autograph. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol.* 81. à tergo.

Item R. P. Michaeli le Tellier, è Societate Jesu, Regis Christianissimi Confessario.

Dilecto Filio, Religioso Viro, Michaeli le Tellier, è Societate Jesu, Regis Christianissimi Confessario.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Aditum, quem præstantibus animi sui dotibus apud Te jamdudum sibi conciliavit Dilectus Filius, Religiosus Vir, Timotheus à Flexia, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Professor, ampliorem adhuc ipsi patere cupimus ope hujus nostræ commendationis; cui luculentum adjicimus testimonium singularis Zeli sanæ doctrinæ tuendæ, ac Catholicæ Religionis propagandæ, quem in eodem Religioso Viro hîc semper agnovimus, quemque ille in iis, in quibus ejus operâ sæpius usi sumus, omni tempore perspicuè testatum fecit. Confidimus itaque fore, ut pro filiali tuo in Nos studio, atque perspecta erga hujusmodi Viros benevolentia, hominem, valdè Nobis acceptum, benignè excipias; quæ Tibi coram explicabit, libenter audias, ac ita secum agas, ut nihil ab humanitate tua illi desiderandum supersit. Quo nomine voluntatem nostram arctiùs sanè Tibi devincies, Dilecte Fili, cui in argumentum, ac pignus Pontificiæ nostræ charitatis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Februarii MDCCXIII. Pontificatûs nostri anno decimo-tertio.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol.* 82.

Nec non Magno Hetruriæ Duci.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Cosmo, Etruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cupientes Nobilitati Tuæ semper testatam magis, atque perspectam fieri magnitudinem Pontificiæ nostræ charitatis, quam præclaris virtutibus tuis, ac filiali in Nos, & Sanctam hanc Sedem observantia Tibi meritò quæsivisti, Dilecto Filio, Religioso Viro, Thimoteo à Flexia, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori mandavimus, ut istbac pertransiens novum illius argumentum, Apostolicam Benedictionem, nostro nomine Tibi deferat. Rem verò admodum nobis acceptam feceris, ubi eundem Religiosum Virum ob singularem eruditionem cum pietate conjunctam magnopere nobis gratum libenter, ùt soles, excipere, eique insitæ Tibi humanitatis officiis adesse digneris. Et Nobilitati Tuæ à Deo Optimo Maximo bonorum omnium accessionem, ac diuturnam inprimis incolumitatem ex animo precamur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Februarii MDCCXIII. Pontificatûs nostri anno decimo-tertio.

Joannes Christophorus Battellus Secretarius.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes *Regesto mens. & ann. prædict. fol.* 82. *à terg.*

Eidem,

Eidem, tunc Episcopo Beritensi, Indulgentias plenarias, & Apostolicam Benedictionem pro mortis articulo impertitur.

Venerabili Fratri, Moderno Episcopo Beritensi.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

FRaternitatis Tuæ in Nos,& Apostolicam Sedem fidei, & devotionis, aliaque præclara merita nos adducunt, ut, quæ ad specialem consolationem, animæque salutem faciunt, ea Tibi paternâ charitate libenter concedamus; supplicationibus itaque tuo nomine, à P. Cherubino de Noves Capucino, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi in mortis articulo, si verè pœnitens confessus, ac sacra communione refectus, vel, quatenus hæc facere nequiveris, saltem contritus, Nomen Jesu ore, si poteris, sin minus, corde devotè invocaveris, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: utque Sacerdos aliquis approbatus ab Ordinario, per Te eligendus, Apostolicam Benedictionem nostro nomine in eodem mortis articulo Tibi impertiri valeat, concedimus similiter, & indulgemus, in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Novembris MDCCXXXIV. Pontificatûs nostri Anno quarto.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Arch. Secret. Brevium Apost. Reg. mens. & ann. præd.

Fratres Missionarios à cura Spirituali Monialium Capucinarum Civitatis Ulyssiponensis eximit, hasque juri Ordinarii subjicit.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

AD Ecclesiasticam disciplinam juxta Sacrorum Canonum Sanctiones in suo primævo statu conservandam, atque eam, ubi per privilegia justis, ac rationabilibus de causis olim concessa aliquo pacto minimè servari contigisset, iterum opportunè restituendam, pro suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione à Pastorum Principe Jesu Christo, cujus vices gerimus, infirmitati nostræ demandatâ, advigilantibus Nobis, nihil est antiquiùs, aut jucundiùs, quàm ut, quemadmodum Antistites in Apostolici ministerii nostri partem cooperatores adsciti de æterna ovium sibi à Nobis concreditarum salute rationem reddere tenentur, ita Nos ad idem Ovile oves illas, quæ aliis Vicariis Pastoribus aliquando pascendæ commissæ sunt, reducamus.

Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ, Superiorissa, seu Abbatissa, & Moniales Monasterii Sanctissimi Crucifixi, Capucinæ nuncupatæ sub regula Sanctæ Claræ, Civitatis Ulyssiponensis Occidentalis, quod aliàs cla. me. Maria Francisca Isabella à Sabaudia, dum vixit, Portugalliæ & Algarbiorum Regina illustris, licentiâ ab Apostolica hac Sancta Sede die XVI. Septembris MDCLXV. obtentâ, secum è Gallia nonnullas Moniales Ordinis Sancti Francisci, Capucinas nuncupatas, sub Regula ejusdem S. Claræ in Civitatem Ulyssiponensem ducendi, ad finem, ut unum aut plura ibidem Monasteria Instituti earumdem Monialium fundarentur, quatuor Moniales Ordinis, & Regulæ hujusmodi sibi comites adjunxit. Ad Ulyssiponensem Civitatem appulsæ Moniales prædictæ die 11. Augusti anno MDCLXVI. sub noctem, ad Monasterium Dilectarum etiam in Christo Filiarum, Monialium Belgicarum, de Alcantara nuncupatarum, Ordinis Sancti Francisci, & Regulæ prædictæ, in quo per septem menses deinde permanserunt, illico deductæ fuerunt. Hinc ad Monasterium Spei, Dilectarum quoque in Christo Filiarum, Monialium de Observantia pariter nuncupatarum dictæ Civitatis translatæ, post unius mensis, ac decem & septem dierum moram hic factam, die XVIII. Aprilis anno MDCLXVII. ad supradictum Monasterium sub invocatione Sanctissimi Crucifixi ejusdem Civitatis Ulyssiponensis Occidentalis, Regiis sumptibus à fundamentis excitatum, omnibusque necessariis commodis instructum, ac locupletatum (quod propterea de jurepatronatus charissimi in Christo Filii nostri Joannis Portugalliæ & Algarbiorum Regnorum præfatorum Regis illustris esse dignoscitur) magna Populi frequentia, ac præsertim sollenni, tunc existentium Decani, Dignitatum, Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ Ulyssiponensis, quod Capitulum, præviâ etiam hujus Sanctæ Sedis facultate illi data, licentiam Monasterii hujusmodi

jusmodi construendi, Sede Archiepiscopali Ulyssiponensi tunc vacante, concesserat, comitatu introductæ fuerunt. Regimen ac gubernium tam quoad temporalia, quàm quoad spiritualia Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum de Britannia, qui ibidem in quodam hospitio, pro Fratribus ejusdem Ordinis ex Gallia provenientibus, & ad Sacras Missiones pergentibus accomodato habitabant, de licentia tunc in humanis agentis Fratris Bonaventuræ de Recineto, Procuratoris, & Vicarii Generalis Ordinis supradicti, juxta privilegia pro tempore existentibus Superioribus Generalibus, & Definitorio Generali concessa & spectantia, demandatum fuit. Quod sanè regimen & gubernium per undecim annorum spatium à Fratribus Britanniæ supradictis, ut præmittitur, exercitum ad usque annum MDCLXXVIII. perduravit. Etsi autem decretum per tunc existentes S. R. E. Cardinales Congregationis super Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ eodem anno editum fuisset, ut deinceps Moniales primodictæ jurisdictioni tunc, & pro tempore existentis, hujus Sanctæ Sedis in eisdem Regnis Nuntii subjici deberent; tamen quoad spiritualia omnem earumdem Monialium curam ad annum MDCCXIV. Fratres Capucini supradicti sustinuerunt, quibus tandem anno MDCCXIV. de mandato tunc quoque existentium Ministri Provincialis, & Diffinitorii Provinciæ Britanniæ hujusmodi, ob causas ipsis notas solenniter eamdem curam in manibus tunc itidem existentis in supradictis Regnis Sedis prædictæ Nuntii dimissam ab se abdicantibus, idem Nuntius admisit. Exinde propter varias rerum vices regiminis, & gubernii hujusmodi varia fuit administratio, donec die XV. Junii anno MDCCXXXVI. relatis in prædicta Cardinalium Congregatione circa superintendentiam, & jurisdictionem Monasterii præfati instantiis, eadem Congregatio censuit committendam, prout interposito decreto commisit usque ad novum ordinem tunc & pro tempore existenti Ministro Provinciali Provinciæ Portugalliæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum superintendentiam, & jurisdictionem Monasterii hujusmodi. Hoc verò providentiæ decreto numquam inibi executioni, ut asseritur, demandato, & Monialium prædictarum studiis pro superintendentia, & jurisdictione prædictis in diversas partes distractis, earumdem Exponentium nomine Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos ad negotium hujusmodi examinandum, Congregationem particularem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum, S. R. E. prædictæ Cadinalium deputavimus, quæ re maturè discussâ, decretum edidit tenoris, qui sequitur, videlicet: In Causa Ulyssiponen. Occidentalis, subjectionis Monasterii Monialium Capucinarum Sanctissimi Crucifixi ejusdem Civitatis, Sacra Congregatio particularis Eminentissimorum, & Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium, à Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputata, re maturè discussâ, censuit rescribendum, prout præsentis Decreti tenore benignè rescripsit, ac decrevit: *Jurisdictionem super Monasterio Monialium Capucinarum Sanctissimi Crucifixi Civitatis Ulyssiponensis Occidentalis inposterùm esse exercendam per Ordinarium Ulyssiponensem Occidentalem, & ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.* Romæ VII. Septembris MDCCXXXVIII. *Ex Audientia Sanctissimi, habita eadem die ab infrascripto Domino Secretario, Sanctitas Sua supradictam Sacræ Congregationis resolutionem benignè approbavit.* J. Cardinalis Firrao = C. *Archiepiscopus Damiatæ, Secretarius* = Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, sicut Exponentes prædictæ Nobis subinde exponi fecerunt, ipsæ decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, & servetur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent, Nos ipsas Exponentes specialibus &c. volentes, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, supplicationibus earum nomine &c. inclinati, decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea omnibus, & singulis Superioribus, & Fratribus supradictorum Ordinum, cæterisque personis cujuscumque statûs, gradûs, & conditionis, quacumque dignitate, auctoritate, & superioritate de præsenti fungentibus, & inposterùm functuris, qui aliàs curam quamcumque Monasterii hujusmodi, quacunque auctoritate, aut ex speciali mandato exercuerunt, ut in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis, nullo unquam tempore in rerum tam spiritualium, quàm temporalium prædicti Monasterii administratione, aut gubernio sese ingerere audeant, seu præsumant. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omni-

bus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam &c. Auditores, ac ipsius S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Sedis prædictæ Nuntios, & alios quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ &c. judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Monasterii, & Ordinis prædictorum, etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Martii MDCCXXXIX. Pontificatûs nostri Anno nono.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædictor. fol. 29.

PRO-

PROVINCIA LUGDUNENSIS.

UT in ipso limine, quæ de hujus Provinciæ prærogativis præstruere cogito, unico lectoris obtutui pateant, eam vix non inter omnes Ordinis Provincias *celeberrimam*, sine alia ambage sisto. Præterquam, quod gloriam, ex Viris natalium splendore, spiritu scientiæ, & virtutis famâ conspicuis, aliis specialem, cum iis habeat communem, numero Conventuum omnes antecedit Provincias, & numero Fratrum paucas duntaxat sequitur; dum enim illorum quinquaginta tres cum duabus fabricis complectitur, horum septingentos & ultra numerat. Excurrens in Delphinatum, Ducatum Burgundiæ, Provincias Arverniæ, Borbonensem, Gabalitanam, Brestiæ, Vivarensem, Veillacensem, Forisiensem, & Bituricensem, in quatuor Custodias, videlicet Lugdunensem, Arverniæ, Delphinatûs, & Burgundiæ divisa est. Jecit sua fundamenta anno Jubilæo millesimo quingentesimo septuagesimo quinto; cum enim in suo Lugduni transitu Fratres nostri, Parisios primùm destinati, propensos erga se Magistratûs & Civium animos adverterent, dispositis iis, quæ Parisiensem primam fabricam concernebant, Lugdunum regrediebantur, Augustalibus Reginæ Catharinæ de Medicis muniti litteris, quæ sequuntur:

Dilectis nostris ac Fidelibus Civitatis Lugdunensis Consulibus &c.

Cum Religiosi Patres, Ordinis Sancti Francisci, Capucini nuncupati, ad augendam divini Nominis gloriam in nostra Civitate Lugduni Domum Regularem, in qua juxta Ordinis sui statuta, & in pace vivere possint, construere cupiant, Nos, quæ attentâ præclarâ, sanctâque eorum vitâ, illos peculiari amore complectimur, Vos requirimus, ut aptum commodumque illis situm, in quo Conventum ædificare possint, assignetis, eorumque Personas & omnia, ad eos pertinentia, non solùm ob sanctam illorum vitam, sed etiam ob nostram erga eos devotionem & benevolentiam maximè commendata habere velitis.

Parisiis 28. *Aprilis* 1575.

Gestiebat Lugdunum regiis obsequi litteris, &, dum Pompejus Porro, Mediolanensis, eâ in Civitate Trapezita, Fratres suis in Ædibus hospites tenuit, Janellus de Lechis, pariter Mediolanensis, pro situ Conventûs 4500. libras erogavit. In hoc, morâ non interjectâ, opus inceptum, & à Petro d' Epinac, tunc Archiepiscopo Lugdunensi, indictâ prius processione solemni, primus positus est lapis. Lætitia, quam Fratrum incolatus populo ingessit, ita successivo incremento per vicinas Ditiones multiplicavit Conventus, ut jam anno 1580. primum Capitulum, ex Vocalibus Conventuum tunc existentium, Lugdunensis videlicet, Avenionensis, Camberiensis, Roannensis, & Massiliensis fuerit celebratum, & Provincia, sub nomine & tutela D. Bonaventuræ, evaserit in felicem Provinciarum S. Ludovici, Sabaudiæ, & Burgundiæ Matrem, cui inter Galliæ Provincias primum, post Parisiensem, locum deberi, olim sancitum est, Decreto subnexo:

Visâ à nobis propositione, factâ à Patribus Provinciæ Lugdunensis super dato actu speciali expresso in Congregatione RR.PP. Provincialium totius Galliæ, coactâ Parisiis coram Reverendissimo Patre Joanne Moncalerio, Generali Ministro, Prædecessore nostro, in quâ quidem à Patribus ex utraque parte designatis, & fide dignis, resolutæ sunt aliquæ difficultates, ortæ inter Patres Provinciæ Parisiensis, Lugdunensis, & aliarum vicinarum, super eo præsertim, quod spectat ad præcedentiam, & ordinem fundationis illarum; Authoritate nostra confirmamus resolutionem ab illis acceptam, & prædicto actu speciali firmatam die 18. Octobris anni millesimi sexcentesimi trigesimi octavi; quo quidem actu declaratur Provinciam Lugdunensem, jure originis, & fundationis censendam esse secundam inter omnes alias Fratrum Capucinorum totius Galliæ, & post Parisiensem omnium primam; Ideoque statuimus, ut in Annalibus Generalibus Ordinis hunc ordinem servet, & in quibuscunque casibus occurrentibus aliis omnibus, post solam Parisiensem, antecedat; & hoc statutum Nos, perquisiti à tota Definitione Provinciali hujus præsentis Capituli Lugduni congregati anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo die quarta Novembris subsignavimus nostrâ propria manu, & majus Sigillum officii nostri ad istum consensûs nostri actum magis stabiliendum apposuimus.

Datum Lugduni 4. Novembris 1647.

Fr. Innocentius, Minister Generalis.

Justô longior excresceret proœmialis hæc narratio, si alia illius decora exactiore stylo recensere cogitarem; per transennam dixisse sufficiat, quod hæc Provincia ob zelum, quo saluti animarum incumbit, sibi non parum obstringat Ecclesiam; Fratres enim, indefessi Fidei pugiles, exeunt ad Polemicam pugnam, & dum hic cælestis veritatis gladio, multicipitem hæresum hydram pungunt & contundunt, alibi integro Neo-conversorum agmine multiplicant cœtum Electorum. Felix strenuusque hic labor, fuit & potissima ratio, quod pietas populi iis erexerit domicilia, & hæc muros contra arrogantem Calvinismi, Hugenottorumque proterviam esse voluerit. Quærunt & inter ipsos Ecclesiæ Filios eos, qui declinaverunt in vias pravas, &, dum alios ignito cathedræ eloquio emolliunt ad spiritum pœnitentiæ, alios suavi sacri tribunalis monitu continent inter Christianæ vitæ cancellos. Idipsum iis ritè commune dixeris, quod Bernardus in vita S. Malachiæ memorat: Dixeris eos *ignem urentem in consumendo criminum vepres*; dixeris eos *securim vel asciam*

in

in dejiciendo malas plantationes. Exultant ùt gigantes ad discurrendum ubique, dum sacras instituunt Missiones, & ad Christianæ perfectionis leges rudes erudiunt. Viget & hoc Apostolicum munus singulari Provinciæ curâ, cum duodecim Fratres semper in Capitulis seligantur, quorum unica occupatio est Missionum institutio. Nec animas duntaxat quærunt, sed & animas ponunt pro Amicis suis. Ultra centum & viginti quatuor Fratres Provinciæ necrologium exhibet, qui peste sæviente in obsequio charitatis occubuére.

Quantùm autem utilitatis confert Ecclesiæ ex Fratrum zelo, tantùm decoris adiicit nostræ Religioni ex Fratrum virtute, quæ ita emicuit, ut quatuor Concilio Generalis Definitorii adlegerit; Emericum videlicet Matisconensem, qui ad exemplum D. Bernardi *sublimitatem nominis vicit humilitate cordis*, pericula varia evasit mirâ in divinam voluntatem resignatione, & dolores podagricos invictâ pertulit patientia: Fr. Alexandrum Lugdunensem, in quo singulares dotes, quibus natura eum ornavit, industriâ adauxit, & virtus perfecit: Fr. Nicolaum Divionensem, qui *Princeps populi sui in sapientia sermonis*, per varios libros patefactis, semper *laudabitur*, & vivet in memoria Nationum; & tandem Fr. Emanuelem de Laisse, cui *Dominus dederat cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ*, & quem impleverat spiritu consilii ad multorum eruditionem.

Hæc Provincia, quæ, dum potiorem suæ gloriæ materiem mihi non subministravit, à laudibus abhorrere videtur, facinoribus suis æternitate dignis contenta, effusè econtra enarrat laudes ortûs splendore, officiis, & virtute Illustris Familiæ Pianellæ à Valetta, quæ à tempore primi Conventûs, in Civitate Lugduni constructi, temporalem Fratrum curam attentissimo studio, charitate verè paterna, & hæreditaria pietate semper gessit, & hodiedum adhuc in Perillustri D. Joanne Baptista Pianello à Valetta, Domino de Charli, Viviers &c. gerit. Hinc, ut devotus horum Mecænatum erga eos affectus, & meritorum memoria intereat nunquam, & Posteri Fratres ad preces gratitudinis pro iis fundendas ex ipso horum aspectu accendantur, pictas eorum imagines in prædicto Conventu asservat. Divertit in suo ambitu, uti prælibatum est,

Ad Conventus Fratrum LIII.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ Feria v. die 1. Julii 1610.

Domum Missionum Tononii à Provinvincia separari, & in peculiarem Provinciam erigi confirmatur.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Paulo, divinâ Providentiâ Papa V. ac Illustrissimis & Reverendissimis Dominis, Dominico Episcopo Ostiensi Pinello, &c. Miseratione Divina S. R. E. Cardinalibus, in universa Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, Sanctissimus Dominus noster annuit, Domum Missionum Capucinorum Tononii separari à Provincia Lugdunensi, & erigi in peculiarem Provinciam, juxta Resolutionem factam à P. Generali Ordinis Capucinorum cum consilio suorum Definitorum.

Autograph. in Archivo Sacræ Congregationis prædictæ.

NOTA.

N O T A.

Resolutio, seu Decretum à Patre Generali desuper emanatum annectetur huic eidem Decreto, infrà inter Monumenta sequentis Provinciæ Sabaudiæ ponendo.

EPISTOLA

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Ne RR. PP. Reformati, aliàs Recollecti nuncupati, in Civitate Valentiæ, in Delphinatu, Domum Regularem construant &c. cavetur.

Perillustris, & Reverendissime Domine, uti Frater,

PAter Provincialis Capucinorum Provinciæ Lugdunensis Sanctissimo Domino nostro exponi fecit, qualiter ante duos annos PP. Reformati, in Gallia Recollecti nuncupati, in Civitate Valentiæ in Delphinatu habitare quæsiverunt, prout & impræsentiarùm ibi habitant, & quidem contra voluntatem Reverendissimi D. Episcopi, & illius Civitatis Consulum, qui, etiamsi in publicis Congregationibus illorum discessum decreverint, novos Religiosos Mendicantes sustentare non valentes, obedire tamen non voluerunt, imò, quod pejus est, in contemptum Decreti ab Episcopo desuper facti, appellàrunt ad Parlamentum Gratianopolitanum, & ad illud, tum Episcopum, tum Consules Valentiæ citari fecerunt. Interea autem concionantur, & Sanctissima Sacramenta vigore brachii Sæcularis cum gravissimo scandalo, & hæreticorum irrisu, in illa Civitate in magno numero existentium, administrant. Quantum hujusmodi violentiæ Sanctissimo Domino nostro displicuerint, facilè Dom. Vestra conjicere potest. Hinc & mandat, ut Eadem ea media, quæ magis expedire judicaverit, adhibeat, quatenus PP. Capucini tantò meriti, in exercitio laboris in Vinea Domini non impediantur, immunitati Ecclesiasticæ nova non fiant præjudicia, & novæ offensæ cum recursu Regularium ad Tribunalia Laicorum cum horum conscientiæ ruina, & cum damno, & vilipendio ipsius Religionis. Quem in finem sua Beatitudo desiderat, ut Dom. Vestra sese efficaciter interponat, & damnum reparet. Deus &c.

Romæ 26. Sept. 1622.

Card. Ludovisius.

N O T A.

Recessus, & Consulares Civitatis resolutiones, quas Apostolica Epistola memorat, sequentis fuêre tenoris.

Die 13. Octobris anni 1620.

Convocato Civitatis Valentinæ Consilio ad sonitum campanæ, ut moris est, ad ædes Consulares; vocatis etiam DD. Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, & Matricis totius Diœceseos, quibus Ecclesiasticæ Reipublicæ cura demandata est, perlectis publicis Civitatis conclusionibus, sana & sincera mente jamdudum editis publicâ authoritate, 16. scilicet die Septembris anni 1606., tertia etiam Januarii 1611., nec non die 20. mensis Julii proximè emensi, lecto etiam privato Sacræ Majestatis diplomate, & Epistola D. Comitis à Suessione datis 21., & 27. mensis Junii, annique proximè elapsi, quibus Civitatem hortantur, PP. Recollectos recipere, ipsisque, vel Hospitii, vel Monasterii construendi facultatem dare: Decrevit Civitas uno municipum omnium consensu, nemine prorsus discrepante, agendas esse gratias VV. PP. Recollectis, ipsisque notum, & cognitum fieri oportere, tantâ Cives premi penuriâ, & egestate, ut nequeat Civitas ipsos admittere &c.

Extractum è regestis Domûs Consularis, me excipiente ipsius Secretario &c.

Quinta die mensis Maii anni 1621.

Coacto ad sonitum campanæ Civitatis Valentinæ Consilio, vocatis etiam, & rogatis DD. Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Commissariis, urgentibus PP. Recollectis suam receptionem, unanimiter fuit conclusum, ut Consules iterum, & secundò notas facerent habitas publicas conclusiones PP. Recollectis, in ipsa Civi-

Civitate degentibus, ipsisque exponerent curâ sibi ad hoc specialiter demandatâ, ut aliò ipsi Recollecti se conferrent, nolente, & non valente Civitate ipsos admittere præ nota omnibus egestate suâ.

Extractum ex Regestis Domûs Consularis, præscribente me ipsius Secretario.

Convocato Valentinæ Civitatis Consilio ad ædes Consulares die 27. mensis Februarii anni 1622.; primus Consul, quantùm attinet ad PP. Recollectos, suam urgentes receptionem, publicè proposuit, maturè, & seriò statuendum esse, quid facto sit opus: Lectis itaque præcedentibus conclusionibus in causa habitis, nec non requisitionibus factis ipsis PP. Recollectis, ut migrarent aliò, uno omnium ore statutum fuit juxta præhabitas conclusiones, & resolutiones, magnis eos urgentibus rationum momentis, ne deinceps ipsi PP. Recollecti suam urgerent receptionem, nec amplius eam sibi concedendam sperarent, datâ Consulibus curâ, demandataque provincia, ut unà cum quinque, aut sex de Civitatis Primoribus, & Consiliariis enixè à D. Episcopo Valentino peterent, & obtinerent, ut facultatem ipsis à se factam in Civitate morandi, mendicandi, concionandi, & Sacramenta administrandi revocare vellet, eam interdictione, ut dictâ revocatione, & censurâ Ecclesiastica Recollectis patefacta, Civitatis conclusiones, quibus sæpissimè decretum est, PP. Recollectos admitti non posse, suum plenissimum, & irrevocabilem sortiantur effectum.

Extractum è locis dictæ Domûs Consularis.

Decretum, quo Episcopus discessum RR. PP. Recollectis injunxit, sonuit, ut sequitur.

Petrus Andreas de Leberon, Episcopus, & Comes Valentinus, omnibus, ad quos spectat, salutem.

Attentis supplicationibus nobis factis pro parte DD. Consulum prædictæ Civitatis Valentinæ cum patrocinio Consiliariorum Domûs Consularis prædictæ Civitatis, pauperiem plebis tantam esse, ut plures habitatores illius decesserint ab humanis in hac ultima infirmitate populari, eò quod illis deficeret, unde sibi succurrere possent in sua infirmitate, & sic quod habitatores aliunde gravati in suppeditando necessaria PP. Minimis, & Capucinis in hac Civitate ab aliquot annis vocatis, & PP. Conventualibus Cordigeris, ac PP. Ordinis S. Dominici, non habeant, unde possint sufferre onus inductionis PP. Recollectorum, seu per modum Conventûs, aut Monasterii, seu Domûs habitationis. Et licèt præfati Consules hoc idem illis exposuerint per duos diversos actus requisitionis, receptos per Magistrum Negremand, Secretarium dictæ Civitatis sub die 24. Novembris anni 1621., sexta Maii 1621., & ostenderint Bullam Clementis VIII., per quam inhibetur cautè DD. Episcopis, ne recipiant in suas Civitates novos Ordines Mendicantes, nisi prius auditis illis, qui prius in iis recepti fuerint, ad recognoscendum, si facultates, & pietas incolarum sufficiant pro honesto victu omnium; Nihilominus dicti PP. Recollecti volunt intromittere, & manutenere se per vim in prædicta Civitate sub prætextu duorum decretorum, quæ à nobis obtinuerunt, primum scilicet Parisiis, quod tamen est conditionatum, & cum hoc expressè, quod præfati Consules, & Cives gratam habuerint eorum receptionem; alteram verò provisionale, quod possent quæstitare pro tribus personis, quousque aliter per nos provisum foret: Imò, quod prædicti Recollecti inceperunt erigere Sacellum, celebrare sacrum, atque in eo reponere Sanctissimum Sacramentum, ac audire confessiones absque ulla nostra licentia, & approbatione dictæ Domûs consularis per viam usurpationis, & ad incipiendum eorum mansionem: & sic dicti Consules, priusquam hæc possessio ulterius progrediatur, nobis supplicaverunt, & requisiverunt, quod non attentis præfatis præcedentibus decretis, quæ etiam illis nullum jus tribuunt pro eorum acceptatione, & illa, quatenus opus sit, annullantes, injungeremus dictis PP. Recollectis, quod statim à Civitate discedant, & abeant in eorum Conventum viciniorem, absque eo, quod inposterùm possint constituere Domum, mansionem, nec possint tenere sacellum, nec administrare ullum Sacramentum, sub pœna inobedientiæ, & excommunicationis: Primo quoque Curatorum dictæ Civitatis, quod accipiat Sanctissimum Sacramentum, quod requiescit in dicto Sacello, & id transferat in Ecclesiam Cathedralem, & nostro Cursori, si fortè noluerint parere in exeundo, ut imponat clavum eorum Domui habitationis, & eos cogat omnibus viis licitis, ut exeant à dicta Civitate; & visis dictis actibus requisitionis, & extractu Bullæ, & auditis Guardiano, & Quæstore PP. Capucinorum, qui attestati sunt, manu ad pectus positâ, se non habere, unde vivant in hac Civitate, si dicti PP. Recollecti recipiantur ad quæstum, & quod, cum non invenirent panem sufficientem pro decem, & septem Religiosis, reducti sint ad duodecim.

Nos his, & aliis justis de causis, & considerationibus ad hoc nos moventibus, & non habitâ ratione duorum Decretorum nostrorum, quæ cassavimus, & revocavimus, attento eo, de quo agitur, habentes dicta facta pro notoriis, declaravimus, & declaramus, non adesse locum recipiendi, & stabiliendi dictos PP. Recollectos in hac Civitate, quocumque modo sit, & ideo illis inhibuimus, & inhibemus, ne in ea quovis modo remaneant, minus verò habeant Sacellum, nec celebrent in eo privatim, nec Sanctissimum asservent Sacramentum, nec administrent confessionem, eis injungimus, quod statim, & ad præsentium notificationem exeant è Civitate, & recedant in eorum viciniorem Conventum, ad quem habent eorum obedientium, sub pœna excommunicationis; injungimus quoque primo Curato nostræ Ecclesiæ requisito, ut cat acceptam Sanctissimum Sacramentum in eorum prætensum Sacellum, & illud deferat in Ecclesiam Cathedralem, & Cursori nostro, eo casu, quo renuerint exire, ut ponat obstaculum in eorum Januam, & cogat eos, ut abeant omnibus viis de jure licitis, mandantes dictis Recollectis, ne pareant omnibus suprascriptis sub pœna excommunicationis: Vicario nostro Generali, quod efficiat, ut observentur præsen-

tes:

ns: Procuratori nostro officii, quod executionem procuret illarum: Diligentia dictorum Consulum, ac dicti Cursoris, ut faciant omnia acta ad hoc de jure necessaria, & opportuna.
Datum Valentiæ penultima Februarii anni 1622.

Petrus Andreas Episc. Valentinensis.

Tenorem hujus Decreti infirmaturi, RR. PP. Recollecti ad Apostolicum in Regno Galliæ residentem Nuntium recurrerunt, qui futiles eorum rationes advertens, evoluto, qui præfixus erat, comparitionis termino, sub pœna interdicti discessum illorum è Civitate præscripsit, sequenti Decreto:

Franciscus, miseratione Divina, Sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis Barberinus nuncupatus, ad Serenissimum Dominum Ludovicum, Francorum Regem Christianissimum, & universum Franciæ Regnum, illiusque Provincias, Dominationes, Civitates, Oppida, Terras, & Loca, eidem Regi subjecta, ac dicto Regno adjacentia, cæteraque alia loca, ad quæ nos declinare contigerit, Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Divinâ providentia Urbani Papæ Octavi, & Sedis Apostolicæ de latere Legatus.

Cum ex parte Venerabilis nobis in Christo Episcopi Valentinensis, nobis relatum fuisset, nonnullos Fratres, Recollectos nuncupatos, in Civitate Valentinensi, etiam invito ipso Episcopo, & contra Mandata Apostolica desuper emanata remanere, ac eorum occasione diversas discordias inibi exortas fuisse, ipsique Fratres postmodum ad nos, uti Sanctæ Apostolicæ Sedis Legatum, recursum habuissent, ac à nobis humiliter petiissent, quatenus eos in juribus, quæ super præmissis coram nobis deducere prætendebant, audire dignaremur; Nos hujusmodi supplicationibus tunc inclinati, de mense Aprilis præteriti eisdem Fratribus terminum viginti dierum ad deducendum coram nobis, quidquid vellent, & prætenderent, concessimus; sed cum ipsi infra dictum terminum, nec etiam postea usque ad præsentem diem quidquam super præmissis coram nobis deduxerint, sicque ex ipsius facti evidentia, illorum contumaciam notam plenèque perspectam haberemus: Quare scandalis, quæ jam ex dictorum Fratrum inobedientia nota sunt, & ne majora deinceps oriantur, quantùm cum Domino possumus, ex suscepto Legationis nostræ officio obviare cupientes, eisdem Fratribus Recollectis, Apostolica auctoritate, quâ fungimur in hac parte, districtè præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies, à die significationis, seu intimationis præsentium ipsis factæ inchoandos, quorum quinque pro primo, & alios quinque pro secundo, & reliquos quinque pro ultimo, & peremptorio, ac canonica monitione eis præfigimus, omni mora, & subterfugio cessantibus, sub pœna interdicti ipso facto incurrenda, ab eadem Civitate discedant, & aliò transmigrent: quocirca Venerabili nobis in Christo Archiepiscopo Viennensi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus easdem præsentes dictis Fratribus Recollectis intimare, illosque ex dicta Civitate, etiam invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, discedere procuret, omniaque, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciat, & exequatur. Non obstantibus præmissis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Fontis Bellaci Anno Incarnationis Dominicæ 1625. Kalend. Sept. Pontificatûs ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Anno tertio.

Fr. Card. Barberinus, Legatus.

Decretum ita relaxatum executioni mandavit Dominus Archiepiscopus, & Comes Viennensis, ut sequitur:

Petrus de Villars, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus, & Comes Viennensis, Primas ex primoribus Consiliariis Regis in sui statûs, ex privatis consiliis, ac Commissarius hac in parte deputatus per Sanctam Sedem Apostolicam omnibus præsentes nostras litteras visuris notum facimus, quod hac die datarum præsentium nobis fuit præsentatum Breve, & Bulla Apostolica Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini Cardinalis Barberini, Sanctitatis suæ in Galliis à latere Legati, obtentum à moderno Episcopo, & Comite Valentiæ, &c. Datum Fonte Bellaci Kalendis Septembris ultimò præteriti, debitè magno sigillo sigillatum, & ab eo subscriptum in authentica, & approbanti forma, per quam quidem Bullam, seu Breve super supplicationibus factis dicto Illustrissimo Domino Legato contra Fratres Recollectos, propterea, quod tentârunt stabilire in Civitate Valentiæ ab aliquot annis, absque ullis consensibus expressis, ab ejus prædecessore Episcopo, sicut nec etiam ab ipsismet Consulibus, ac sine observatione cujusquam ex formis præscriptis per Bullas Apostolicas, aliasque Constitutiones Ecclesiasticas, factas contra Religiosos circa erectionem, & constructionem nonnullarum Domorum novarum, seu Conventuum in qualibet Civitate, ac Diœcesi, & quod attulit, & affert singulis diebus magna scandala ob despectum, in auctoritatem dicti Domini Episcopi, ac etiam præcipuè Sanctæ Sedis, factum, ultra malum exemplum, quod hujusmodi novi actus præbere possunt, Sanctæ Ecclesiæ inimicis, requirendo nos super hos debitè providere: Idcirco Nos Archiepiscopus, Comes, & Commissarius, hac in parte suprascriptis requisitionibus adhærentes, receptæ per

Nos

Nos præfatæ Bullæ, & Brevi cum honore, & reverentia, illiusque contentis satisfacientes, præsentium tenore injunximus, & mandavimus, injungimus, & expressè mandamus dictis Fratribus Recollectis, nunc, & pro tempore præsentibus, & futuris in dicta Civitate Valentiæ, animo in ea residendi, ut ex ea egrediantur, & abeant in unum ex Monasteriis eorum Ordinis infra 15. dies ab intimatione, & significatione præsentium præcisè: quorum dierum quinque erunt pro primo, quinque pro secundo, quinque pro tertio, & peremptorio termino eis assignati, & quem nos tenore præsentium assignamus, aliàs, &, si secus fecerint, prædictus Illustrissimus Dominus Legatus eos denuntiavit, interdixit, & excommunicavit per præfatam suam Bullam: prout & nos per præsentes juxta auctoritatem Nobis ab eo concessam eos declaravimus, & denuntiavimus interdictos, & excommunicatos, interdicimus, & excommunicamus simul cum iis omnibus utriusque sexûs, qui contra tenorem prædictæ Bullæ Sanctæ Sedis, auxilium, favoremve præstabunt prædictis Fratribus Recollectis, dummodo tamen infra dies 21. prædicti Recollecti post significationem præsentium quidquam in contrarium non allegent: Mandamus, & committimus primo Presbytero, Clerico tonsurato Notario, aut Mandatario super hoc requisito, significationem, intimationem, & executionem præsentium contra illos, eorum Provinciales, & cæteros superiores præfati eorum Ordinis, & prædicta omnia facere, & ex his dependentia quæcumque actu necessaria, & opportuna ad hoc, ne desuper causam prætendant ignorantiæ, ac in casum contraventionis quoscumque processus, &, ut ajunt, verbalia, & informationes contra rebelles, & contravenienses. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, ac reliquis omnibus contrariis, quibus per Bullam, & Breve præfatum derogatum existit. Nam ad hæc facienda vobis omnem auctoritatem communicamus, & mandatum per præsentes damus.

Datum Viennæ in Palatio nostro die 25. mensis Augusti 1626. signatum in originali. Villars A. de Vienna, & paulo inferius. De mandato Illmi D. Archiepiscopi.

Gorgeron Pro = Secretarius.

Exemplar in Arch. Gener. Ord. Armario Provincia Lugdunensis.

Erectionem Conventûs Lugdunensis, etiam distantiâ juxta formam Constitutionis fel. mem. Clementis VIII. non observatâ, validam declarat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Minister Provincialis, & Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Sancti Bonaventuræ Lugdunensis, quod ipsi aliàs in quodam situ Civitatis Lugdunensis, prope Monasterium Monialium Ursulinarum nuncupatarum, ejusdem Civitatis existente, per eos legitimè acquisito, unam ejusdem Ordinis Regularem Domum, etiam distantiâ juxta formam Constitutionis fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri desuper editæ, in vim tamen licentiæ Superioribus dicti Ordinis à Sede Apostolica concessæ, minimè servatâ, erigi curârunt, & opportunam dispensationem, seu indultum super distantia hujusmodi non servata, à piæ memoriæ Gregorio Papæ XV. etiam Prædecessore nostro, & subindè à Nobis vivæ vocis oraculo, bonæ mem. Simoni Dionysio, Cardinali de Marquemont nuncupato, Ecclesiæ Lugdunensis ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli, ab eodem Gregorio Prædecessore, & Nobis facto obtinuerunt, & postmodum in eandem Domum ejusdem Ordinis Fratres introduxerunt, & inibi Divina officia celebrare, aliasque publicas, & particulares functiones facere cœperunt.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Minister, & Fratres prædicti præmissa, nullâ habitâ notitiâ litterarum nostrarum sub datum 28. Augusti 1624. emanatarum, per quas omnes, & quascumque hujusmodi licentias à Superioribus Regularium circa erectiones novarum Domorum contra formam dictæ Constitutionis faciendas oretenus obtentas revocavimus, fecerint, & propterea, ne illos ollo unquam tempore desuper molestari contingat, & aliâs pro majori conscientiarum suarum quiete, & securitate per Nos in præmissis opportunè provideri summopere desiderent, Nos Ministrum, & Fratres prædictos specialis gratiæ favore persequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, supplicationibus illorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, Erectionem dictæ Domûs, ut suprà, factam, cum omnibus inde sequutis, etiamsi distantia juxta formam dictæ Constitutionis requisita, minimè servata fuerit, nihilominus validam, firmamque esse, & fore, ac perpetua roboris firmitate subsistere, ac Fratribus prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, irritumque, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate, tenore præsentium decerni-

nimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac litteris nostris prædictis, nec non fel: me: Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, ne quivis Ordinum Mendicantium Regulares nova loca ad inhabitandum absque Sedis Apostolicæ licentia recipere valeant, expressè prohibentibus, ac prædicta Clementis Prædecessoris, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, &, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogàmus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die prima Februarii MDCXXVIII. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apostolicorum Reg. mensis, & anni præd. fol. 60.

N O T A.

Concernit hoc Apostolicum Breve secundum, quem Lugduni habemus, Conventum, à S. Andrea vocatum, & ex altera Saonæ seu Araris parte, è diametro primi Conventûs constructum, in situ ab Andrea Costa Januense, tunc in Civitate Campsorem agente, empto, Domina Clementina Gayett Vidua (ultra 400. thaleros Fratribus per testamentum relictos) Summam decem millium librarum contribuente, cum onere, ut una ex Ecclesiæ Capellis titulo & cultui B. V. Mariæ nuncuparetur.

In captæ possessionis signum 19. Decemb. 1622. Crux fuit plantata, Reginâ Christianissima Anna cum Regia sua Aula Sacræ funtionis pompam suâ præsentiâ adaugente.

Primum tamen Lapidem nonnisi anno 1627. poni contigit, tum ob rationes in Apostolicis litteris expositas, tum ob Moniales Societatis S. Ursulæ, partem sitûs nostri prætendentes. Cessio quoque hujus in obsequium & pacis ergò facta est; quod, dum Regina Altefata percepit, ad P. Archangelum Provincialem hasce dedit litteras:

Pater Archangele.

Jam monui Vicarium Generalem Lugdunensem, ut primum Lapidem fabricæ Ecclesiæ novi vestri Conventûs nomine meo ponat, & hoc eò libentiùs, cum factâ jam cum Ursulinis (prout accipio) transactione nullæ aliæ debeant timeri difficultates. Persuasum de cætero Paternitatem Vestram volumus, quod mihi semper, gratum sit futurum, si occasio mihi præbeat media ad vestri Ordinis incrementum & gloriam concurrendi, & hoc præcipuè ob consolationem, quam populus universus de vestræ pietatis operibus haurit. Interim orationes vestras, pro Regis, Domini mei, salute, sicut & mea, semper continuari rogo.

Parisiis 21. Sept. 1626.

Lapidi autem incisa fuêre hæc verba.

D. O. M.

Anna semper Augusta, Franciæ, & Navarræ Regina Christianissima hunc primarium Lapidem in fundamentum hujus Ecclesiæ, sub nomine S. Andreæ ædificandæ, à R. D. Nicolao Menard, Vicario Generali benedictum, voluit collocari, in suæ pietatis, & benevolentiæ erga Ordinem S. Francisci Capucinorum æternum monumentum Anno Domini MDCXXVII. die XXV. April. Urbano VIII. Pontifice Maximo, Ludovico XIII. Francorum, & Navarræ Rege, Carolo Miron Lugdunensi Archiepiscopo, Carolo de Neuville, ejusdem Provinciæ Pro—Rege, Nicolao Tyrgan, Justitiæ Præposito, P. Seve Præside, Ludovico Broguin, Daniele Panrin &c. Consulibus: nec non Andrea Costa, in cujus beneficientiæ gratiam hæc Ecclesia Divo suo Andreæ dedicatur.

Apo-

Apostolico jussu, & litteris P. Guardiano Mimatensi inscriptis, progressus Fratrum contra hæresin in illa Diœcesi facti commendantur.

Admodum Reverende Pater.

A Deo gratæ fuerunt Episcopi Mimatensis, & Reverentiæ Vestræ litteræ circa felices in extirpatione istorum hæreticorum progressus, ut illos Sanctissimus Dominus noster ore proprio plurimùm commendari jusserit. Et proinde, sicuti introclusas litteras eidem Episcopo Eminentissimi Patres, ut Sanctitatis Suæ mandato obtemperarent, scripserunt, ita Reverentiam Vestram ad prosequendas in tam pio opere suas diligentias, etiam atque etiam hortantur, ut conjunctâ cum illius tam Zelantis Episcopi opera, omnis in ista Diœcesi hæresis funditus aboleatur, & cum his sanctæ ad Dominum Reverentiæ Vestræ precamur. Romæ 2. Sept. 1632.

Ad commoda P. V.

Cardinalis Borgia.

Ex Tomo IV. Annal. Ordin. P. Silvestri fol.405.

Ad instantias Regis Christianissimi Provinciam Burgundiæ, Lugdunensi Provinciæ uniri, & ab hac ob crescentem ex hac unione illius vastitatem nonnullos Conventus dismembrari, & Custodiæ Campaniæ conjungi concedit.

Dilectis Filiis, Ministro Generali, & Ludovico de Julio Diffinitori Generali, Ord. Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM, sicut pro parte charissimi in Christo Filii nostri, Ludovici Francorum Regis Christianissimi Nobis nuper expositum fuit, ipse Ludovicus Rex Provinciam Comitatûs Burgundiæ, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Lugdunensi ejusdem Ordinis uniri, &, quia hæc Provincia per unionem hujusmodi adeo ampla evaderet, ut difficile foret, eam ab uno Ministro Provinciali visitari, aliquos Conventus ab illa dismembrari, eosque cum Custodia Campaniæ dicti Ordinis conjungi, ac novam exinde ejusdem Ordinis Provinciam formari plurimùm desideret.

Nos piis ipsius Ludovici Regis votis in præmissis, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac felici prosperoque dictarum Provinciarum, & custodiæ statui, regimini, & gubernio optimè consultum esse cupientes, supplicationibus, ejusdem Ludovici Regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de verâ fide, prudentiâ, charitate, integritate, vigilantiâ, & Religionis zelo plurimùm habentes in Domino fiduciam vobis tam conjunctim, quàm unicuique vestrûm separatim, & in solidum supradictam Comitatûs Burgundiæ Provinciam memoratæ Provinciæ Lugdunensi auctoritate nostrâ Apostolicâ perpetuò uniendi, annectendi, & incorporandi, ab ipsâ autem Provinciâ Lugdunensi, ne propter ejus amplitudinem nimis difficilis redderetur uni tantùm Ministro Provinciali illius visitatio, eos Conventus, quos secundùm datam vobis à Domino prudentiam separandos esse judicaveritis, seu alter vestrûm judicaverit, dicta auctoritate itidem perpetuò separandi, & dismembrandi, ipsosque Conventus, sic separatos, & dismembratos cum præfata Custodia Campaniæ conjungendi, ac novam exinde dicti Ordinis Provinciam formandi, ac cum omnibus, & singulis juribus, prærogativis, præeminentiis, facultatibus, privilegiis, gratiis, & indultis solitis, & consuetis auctoritate præfata, etiam perpetuò erigendi, & instituendi, aliaque omnia, & singula, quæ circa dispositionem Provinciarum hujusmodi necessaria, & opportuna fore censueritis, seu alter vestrûm censuerit, faciendi, mandandi, decernendi, & exequendi, ac executioni mandari curandi, plenam, & amplam, ac quamcumque necessariam, & opportunam facultatem eâdem auctoritate, tenore præsentium tribuimus, & impertimur.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum, ac Custodiæ, & Conventuum præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & in-

& innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresiè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Februarii MDCLXXIX. Pontificatûs nostri Anno tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni præd. fol. 7.

NOTA.

Rebus & circumstantiis immutatis unio per hoc Apostolicum Breve præscripta locum non habuit.

Transitum Ludovici Depoldt de Ordine nostro, ad Canonicos Regulares, Ordinis Sancti Spiritûs, legitimum, & in utroque foro sustineri declarat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Ludovicus Depoldt, Canonicus Regularis expresiè Professus Ordinis Sancti Spiritûs, quod ipse aliàs, nempe mense Februario 1698. propter quasdam graves causas ab Ordine Fratrum Capucinorum, in quo professionem regularem emiserat, ad quamcumque aliam Religionem, in qua Regularis, & Claustralis observantia vigeret, transeundi licentiam sibi per litteras, per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ expeditas, concedi obtinuit; & subinde, cum tunc existentem Superiorem Præceptoriæ, seu Commendæ Conventualis Oppidi Divionensis primodicti Ordinis, Lingonensis Diœcesis, benevolum sui receptorem invenisset, vigore litterarum hujusmodi in eadem Præceptoria, seu Commenda Conventuali, in qua (ut asserit) regularis & claustralis viget observantia, ad Habitum per illius Canonicos Regulares gestari solitum, & successivè, anno probationis elapso, ad professionem per eosdem emitti consuetam, unanimi eorumdem Canonicorum Regularium voto, ac de consensu, & mandato Venerabilis Fratris Episcopi Lingonensis, cujus jurisdictioni dicta Præceptoria, seu Commenda subjecta esse asseritur, prævioque etiam consensu sui Superioris Ordinis secundodicti receptus, & admissus, & paulò post in Superiorem ejusdem Præceptoriæ, seu Commendæ Conventualis, legitimo Superiore tunc destitutæ, communibus suffragiis canonicè electus fuit, sibique attenta electione hujusmodi de dicta Præceptoria, seu Commenda per litteras dilecti pariter Filii, Magistri Bernardini Casalii, in utraque Signatura nostra Referendarii, ac Archihospitalis Sancti Spiritûs in Saxia de Urbe Præceptoris, totiusque Ordinis prædicti Magistri Generalis, quæ à dicto Episcopo Lingonensi, sive ejus Officiali executioni demandatæ fuerunt, provideri obtinuit, ac earumdem literarnm vigore in illius possessionem immissus, & ab omnibus Ordinis, & Præceptoriæ hujusmodi Religiosis in legitimum Superiorem ejusdem Præceptoriæ, seu Commendæ recognitus fuit, ac, uti talis, Novitios ad Habitum admisit, omniaque per Superiorem fieri, & peragi solita, nemine contradicente, hactenus gessit, ac in dicta Præceptoria, seu Commenda regularem disciplinam restauravit, illiusque bona à nonnullis occupata recuperavit, ac restitutionem duarum Domorum dicti Ordinis ex Regio Tribunali reportavit, eumdemque Ordinem in suis bonis, ac Domibus à charissimo in Christo Filio nostro, Ludovico Francorum Rege Christianissimo per totum ejus Regnum reintegrari obtinuit.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nonnulli Sæculares statum regularem in Præceptoria, seu Commenda, & Ordine prædictis per dictum Regnum restitui ægrè ferentes, ex eo scilicet, quod se per dictos Religiosos, & præsertim dicti Ludovici operâ ab administratione bonorum, & Domorum dicti Ordinis, eni se à pluribus annis indebitè immiscuerunt, seque in ea manutenere ambiunt, removendos esse timeant, ipsum Ludovicum, super validitate ejus transitûs à secundodicto Ordine, ad primodictum, vigore litterarum Pœnitentiariæ Apostolicæ, quas minus ad id sufficientes fuisse prætenditur, sicut præmittitur, facti, molestare cœperint, ac proinde dictus Ludovicus, ne validitas ejus transitûs hujusmodi in dubium revocetur, aliaque præmissa, & inde legitimè sequuta quæcumque controverti, & impugnari contingat, sed, ut illa in sua roboris firmitate permaneant; sicque varia scandala, & præjudicia, quæ alioquin sequerentur, evitentur, sibi in præmissis opportunè à Nobis provideri, &, ut infrà, indulgeri summoperè desideret. Nos ipsum Ludovicum specialibus &c. volentes, & à quibusvis &c. censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis &c.

in-

inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti etiam Filii, Vicarii memorati Episcopi Lingonensis in spiritualibus Generalis super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam audiverunt, remque maturè discusserunt, consilio, transitum dicti Ludovici de secundo dicto Ordine ad primodictum Ordinem (ut præfertur) factum, in utroque foro sustineri, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Ludovico in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Præceptoriæ, seu Commendæ, & Ordinum prædictorum, aliisve quibusvis etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII. Julii MDCCI. Pontificatûs nostri Anno primo.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apostol. Reg. mens. & ann. prædictor.

RESCRIPTO APOSTOLICO.

Eleemosynam ex libro jam typis edito redactam, ad novi operis expensas converti, Fr. Andreæ à Grazaco indulgetur.

Beatissime Pater.

Quod liber meus, cui titulus, *Traité Theologique, où l'on demontre, que les fideles ne peuvent communiquer en matiere de Religion avec les ennemis declarès de la Bulle Unigenitus*, à Vestra Beatitudine libenter fuerit acceptus, tanquam doctrinam Catholicam continens, Romanorumque Decretorum fidelem defensionem, litteræ Eminentissimi Domini Cardinalis Lercari, nomine Sanctitatis Vestræ ad me, licèt indignum, missæ, attestantur: Sed, cum per ejusdem Eminentissimi litteras parvitatem meam adhortata sit Sanctitas Vestra, ut contra Quesnellianos hæreticos, Sectatores, Communicatoresque eorum prælia Domini longiùs producerem, &, ut in id eniti pergerem, me suâ donaverit benedictione, Opus novum contra eosdem hæreticos, communicatoresque eorum diligenter elucubravi. Ideo ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, suppliciter postulo, Beatissime Pater, ut pecunias ex meis libris provenientes ad ipsum opus novum accuratè elucubratum, aliaque opera typis mandanda, impendere mibi liceat, ut bono addatur bonum.

Jam vivæ vocis oraculo, operâ Admodum Reverendi Patris Cherubini de Noves, Capucini, Eminentissimi Cardinalis de Polignac Theologi ordinarii &c. Sanctitas Vestra hanc mihi licentiam tribuit: sed, ut à me super hanc rem omnis recedat scrupulus, ac incautus imprudensque non videar, eamdem gratiam scripto submissè prosequor: quâ concessâ hostes Ecclesiæ, Deo juvante, ad fugam conjiciam, Sanctitati Vestræ immortales gratias habebo, ac pro ipsa jugiter Deum deprecabor &c.

Datum Sancti Stephani in Territorio Segusiano die 24. Septembris 1727.

Fr. Andreas à Grazaco Sacerdos, Capucinus Indignus, Provinciæ Lugdunensis &c.

RESCRIPTUM.

Ex Audientia Sanctissimi die septima Octobris 1727.

Sanctissimus annuit, quibuscumque in contrarium non obstantibus, derogans &c.

N. M. Card. Lercari.

Exemplar in Arch. generali Ordin. Armario Provincia Lugdunensis.

PRO-

PROVINCIA SABAUDIÆ.

EOusque prolabitur effrænis semper hæreseos libertas, ut, Gregorio Nazianzeno teste, non solùm *Orbem in invidiam, & crimen vocet*, sed etiam & præsertim Religiosos Ecclesiæ Ordines, & Sacram illorum Hierarchiam veneno aspido contaminare (si unquam posset) moliatur. Wiclephus, referente Valdense, *Religiosorum Ordines ad unum à Diabolo in Ecclesiam introductos, & Augustinum, Benedictum, & Bernardum ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint, eò quod Monachi, & Patres Monachorum fuerint*, vesanò furore effutiit. Obscænum suum Epithalamium Lutherus, insigni insuper fœdavit mendacio, dum *eos, qui cælibem vitam in Monasterio ducunt, Molocho corpora sua cremare*, asseruit. Livor Joannis Calvini eousque excrevit, ut Monasteria *Lupanaria*, vota Monastica *retia Sathanæ*, & Monachos *Sophistas cucullatos* appellaret. Pari impudentiâ involavit in ipsa Religiosorum opera Philippus Melanchton, *ut ea observationes fatuas, hypocritas simulationes, traditiones Pharisaicas, atque Mahometicas* vocaret. Ut se patentiùs Ecclesiæ hostes probarent Centuriatores Magdeburgenses, audaciam suam usque ad generalem extenderunt præsumptionem, quâ Religiosos omnes indiscriminatim, *hominum monstra, inimicos humanæ societatis, & contra totam secundam tabulam peccantes*, ad acuendum contra eos ignorantis plebis odium, nuncupârunt.

Retundit quidem hujusmodi calumnias, scelestumque artificium sine oratore ipsa turpis Refractariorum conditio; & objectorum scelerum fœditatem econtra, purgat ipsa insignium Religiosorum exempli professio; lugendum tamen est, quod furor in verbis non consistat, sed ad verbera procedat, tetrasque calumniarum nubes in fulmina turpium actionum resolvat: Dum enim ex virtute Religiosorum Ordinum suarum Sectarum ruinam potissimum timent, hosque *propugnacula, in quibus mille Clypei* contra eos *pendent*, experiuntur, irritum procacis calami conatum, verberum insolentiâ coadjuvant, & in Personarum Religiosarum perniciem furiosâ etiam libidine pluries conjurant. Referta sunt Ecclesiæ Chronica duplicis hujus insaniæ exemplis; quin autem ea hîc de longè quæsita adducam, gloriosa adest illius testis Provincia Sabaudiæ; cum enim in partibus Ducatûs Chablasii, Civitatis Genevæ &c. armata hæreseos potentia Sanctuarium Ecclesiæ interno, & externo decore vix non penitus spoliâsset,

Caro-

Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, & æternæ gloriæ Princeps, tum ad reprimendam invalescentis Sectæ ferociam, tum ad gloriam fidei reducendam, Capucinos Zeli sui Coadjutores ascivit, eosque in Vineam, sparso jam fatalis doctrinæ semine fœdatam, misit, litteris sequentibus munitos:

Carolus Emmanuel, Dei gratiâ, Dux Sabaudiæ, Princeps Pedemontis &c. Nobis dilectis, & fidelibus subditis Ducatûs Chablasii, & regionum Jerniaci, & Galliardi, salutem:

Cum ex nostrâ instantiâ, & precibus, S.D.N.PP. Clemens VIII., pauco abhinc retroacto tempore, plurimos Concionatores Congregationis Capucinorum, moribus, & vita exemplares, ad Sanctum Evangelium prædicandum, in nostris Vallibus Delphinatui finitimis miserit, inter quos fuit Reverendus noster charissimus, & dilectus, fidelis, Fr. Mauritius Murrensis; paternam autem curam, quam Sanctissimus Dominus Noster habet de hominum salute continuanda, nunc dictum Murrensem cum ejus sociis in supradictas regiones Chablasii, Jerniaci, & Galliardi, & in Gebbennensem Diœcesin, ac alias finitimas, magnis, & spiritualibus facultatibus præditos mittat ad Sanctum Evangelium prædicandum: Ideo ad hoc, ut ad eorum audiendas Conciones, & aliorum etiam, qui ad hoc mittuntur, conveniatis, &, ut liberè cum illis, ac familiariter pertractando ad cognitionem veræ Fidei Catholicæ, & Apostolicæ, quam Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia Romana tenet, ac prædicat, in cujus gremio Nos, unà cum propriis Filiis vivimus, in qua etiam omnes nostri Avi, & Prædecessores vixerunt, perveniatis, & ad hoc, ut ipsorum ad vos adventus fructum, quem optamus, producere possit, à singulari affectu, quem erga vos, tanquam charissimos, & dilectos subditos habemus, præcipuè commoti, & à maximo desiderio salutis vestræ, quod Deus, nobis elargitur, incitati, quantùm Nobis possibile est, affectuosè unumquemque vestrûm, in generali, & in particulari hortamur. Et nihilominus præcipimus in vestris Parochiis, vel alibi, ut prædictorum Capucinorum Conciones, vel aliorum, ut suprà, mittendorum, audiatis, vestrasque Mulieres, ac liberos absque ulla difficultate convenire curetis: Etenim, cum jamdiu Calvini, ac aliorum similium Ministrorum falsam doctrinam contra animarum vestrarum salutem, & veritati Evangelii contrariam, secutati fueritis: rationabilissimum, ut illam deserere, ac Dei Verbum, quod in veritate beatitudinem æternam promittit, ac omnibus illud audientibus, & observantibus confert, libenter audire deberetis, censemus. Ad hæc etiam hortamur, ac similiter præcipimus, ut vestros Filios ad scholas à prædictis Patribus erigendas, & regendas, ubi gratis secundùm eorum captum instruentur, mittatis. Sed, ut prædicti Patres, & Religiosi eorum sancta exercitia ad animarum vestrarum salutem continuare possint, vos etiam invitamus & hortamur, ut vestris largis eleemosynis, ac beneficiis eos juvetis, ex quo tot subeunt labores, ac pœnas perpatiuntur. Promittentibus Nobis, ex nostra gratia, & libera voluntate, eos, qui charitativè ad dictos Religiosos se habuerint, testimonium nostræ gratitudinis, in omni rationabili eventu experturos. Mandamus similiter, & præcipimus omnibus nostris Magistratibus, Ministris, Officialibus Justitiæ, Vassallis, ac Subditis, singulisque eorum, ad quos spectabit, ut ad observantiam præsentium manum adhibeant, ne contra Religiosorum præfatorum personas, nec ipsis servientes quidquam facto, vel verbo à quoquam attentetur, sub ultimi supplicii pœna, ipsis contraventoribus inferenda; sed tanquam veri Dei Ministri honorentur, ac revereantur. Sic eos Nos recipientes sub nostra pro- te-

tectione, & tutela, ut tanquam propriam, eorum omnem offensam, & injuriam, verbo, vel facto illis illatam, reputemus, sicuti & è converso omne beneficium, & omnem honorem, ac reverentiam illis exhibitam: talis enim est voluntas nostra &c.

Datum Taurini die 20.*Junii* 1601.

Spumârunt illico Acatholici Præcones, & dentibus frenduerunt in Fratres; quorum doctâ virtute felices hucusque criminis sui conatus hebetandos fore, non vani augures divinârunt. Illico conglomerârunt congeniâ licentiâ dicteria, eos *Impostores, Magos, Hypocritas, falsos Prophetas, Seductores &c.* nigro calculo Gebbenensi populo describentes, & litteris ad Bernenses datis, eos *perturbatores quietis, pacis & tractatuum infractores, præsumptuosos Romanæ Idolatriæ æmulatores &c.* infamantes. Ventum est ad ictus, & verbera sæpius, custos miles datus est variè, exulare jussi non semel, fuitque ea contra illos cusa persecutionum catena, ut finis unius fuerit principium alterius. Non potuit tamen flectere Fratrum constantiam mordax lingua; nec potuit infamis actio impedire fructum, eò uberiùs collectum, quò efficaciora fuêre adhibita media, tum in institutâ 40. horarum oratione, tum in replicata ad publica colloquia provocatione, tum in Erectione Domûs Tononii &c. constituta. Ex quo laudes sibi comparârunt, & in præmium varia acquisivêre indulta. Roma contulit privilegia, & per litteras infra describendas, tum Domum Tononii à Provincia Lugdunensi abstractam cum aliis Sabaudiæ Conventibus in Provinciam erigi mandavit, tum aliàs suum de Fratrum fructu, & zelo exuperans gaudium patefecit.

Hilteprandus Episcopus Sedunensis, Romanæ laudis insistens exemplo, meritum illorum expressit testimonio subjuncto.

Hilteprandus à Riedmatten, permissione divinâ Episcopus Sedunensis, Præfectus, & Comes Vallesiæ, Imperiique Princeps; nec non & Capitulum nostrum Sedunense, ad sonum Campanæ, pro more capitulariter, & calendaliter congregatum, virtute præsentium, pariterque manifestum facimus universis, quòd, postquam ex urgentissima necessitate, ad afflictam in Vallesia, aut nostram in Sedunensi Diœcesi Ecclesiam, perturbatumque Fidei Orthodoxæ, & Catholicæ negotium, ejusdemque salutem stabiliendam, & reformandam, tam authoritate SS. D. N. Clementis VIII. Summi Pontificis, quàm ejusdem Illustrissimorum, & Reverendissimorum Nunciorum Apostolicorum, Taurinensis, & maximè Joannis Episcopi Viglensis, ad Helvetioos fines, sive circumvicinos Helveticæ gentis Episcopatus Delegatorum, eorumque mandatorum interventu, RR. PP., ac Religiosissimos Fratres Capucinos pro pullulantibus zizaniis extirpandis, nec non & instantibus hæresibus, sive schismatibus jam satis infestis, & erroneis reprimendis, ad Sacrosancti Evangelii opus, in Catholicæ Ecclesiæ frugem, tam Seduni, quàm alibi, in præmentionata nostra Diœcesi Sedunensi missos, & tam pientissimè designatos, etiam meopte adhibito mandato recepissemus, Capitulique nostri præmemorati cum consensu admisissemus; puta, pientissimos, ac summè recolendos Viros, ac Patres, P. Mauritium Camburinum, Murrensem, P. Cherubinum à Mauriana, P. Augustinum Astensem, P. Sebastianum Maurianensem, qui cum tam in superiori parte, quàm equidem in inferiori Vallesia, maximè iis in locis, ubi Gallicum exercent, & profitentur idioma, & linguam, piè & salubriter in Verbo Domini laborâssent, & cum fructu profecissent; Paterque Reverendus Cherubinus, jam quinque Conciones sanctas, Catholicas, & exquisitas, & ab omni utrorumque Auditorum reprehensione immunes, in Civitate Sedunensi, in ejusdem utroque Ecclesiarum suggestu promulgâsset; hocce opus tam pium, tam divinum sic feliciter cœptum, & pro reformanda Vallesia à plerisque ratum, & gratum habitum. Inde præter

ter omnem expectationem, Protestantium Civitatum Helveticarum, Grisonum, simul ac Rhætensium Internunciorum delegatione interceptum, imò veriùs impeditum, & supplantatum fuit, ita ut hinc quidam septem Decenorum Decenarii pro nunc abierint, vel desciverint retrorsum, Nobis, & prædefinito Capitulo nostro, licèt invitis & refragantibus, hujusmodi pientissimorum, & Reverendissimorum Patrum laborem, falcem, ac messem, non tam necessariam, prout saluberrimam, & permaximè salutiferam, impertinenter admodum abdicantes recusârint, aut ad tempus usque differre voluerint. Quocirca iisdem RR. Patribus, quibus præmissis, quàm Reverendissimis, tam permansuris, quàm ad Episcopos, secundùm eorundem observantiæ vicissitudinem recessuris, reversurisque, quosque propitius Deus pèr gratiam suam, & Nobis, ac Patriæ, quàm brevi restituat, & revocet; pro reverentia & pietate, ac honore, quibus pro eorum optimè meritis, & reverendi, ac dignandi sunt, præsens testimonium impartiri voluimus, eosdemque, postquam in districtum Episcopatûs Sedunensis Diœcesis nostræ declinârunt, piè, sanctè, catholicè, & Orthodoxè dixisse, & vixisse, Verbumque Dei irreprehensibiliter docuisse, inculpabiliterque conversatos fuisse, omnisque virtutis, pietatis, & honestatis vitam exemplarem, & omnigenam gratiam, & communionem, tam implicitè, quàm explicitè in nos, nostrosque omnes interposuisse & adhibuisse, per præsentes junctis nostris sigillis confitemur, & fideliter attestamur. Quosque cum sacro Ordine suo misericors Deus Ecclesiæ suæ praelectos, & selectos in omnes æternitates salvet, fervet, atque confirmet, denique rogamus.

Datum Seduni in Arce Episcopali die decima Augusti, Anno ab Incarnato Verbo 1603.

Ludovicus XIII. Rex Christianissimus, laborem Fratrum, quem audiverat insignem, redditurus commodiorem, Genevenses ad Domum asyli in suæ Civitatis sinu Fratribus concedi induxit, per litteras sequentes.

Dilectis nostris Amicis, Syndicis, & Consulibus Civitatis Genevensis &c.

Dilecti Amici.

Dum particulari curâ id, quod Patres Capucinos concernit, promovemus, vobis scribendum, & significandum duximus, acceptum nobis fore, si dictos Religiosos, qui in vestræ Civitatis confinio morantur, charitativè tractetis, & præsertim, si pro eorum usu Domum Asyli, vel locum refugii, ad quem noctis tempore divertere possint, casu quo intemperies, vel aliud incommodum illos à regressu ad Conventum, horâ incirca à Civitate vestra dissitum impediret, permittatis. Instantias, quas facimus, à vobis attendendas esse Nobis adpollicemur, Deum precantes, ut vos dilectos amicos in sua sancta teneat Custodia.

Ad Sanctum Germanum 9. Aprilis 1634.

Ludovicus.

Ipsi autem Serenissimi Sabaudiæ Duces prodigæ semper charitatis affectu notum sibi Fratrum Zelum æstimârunt, tum ædes ipsis ædificando, tum eos aliis Religiosis anteponendo, & beneficia pleno alveo in eos effundendo, & speciatim in

Domo Tononii, in asylum Conversorum erecta, consessûs & voti decisivi indultum concedendo per articulum : *Ad omnia concilia, negotia, & actus istius Sanctæ Domûs ad minus duo Patres Capucini insigniores semper vocandi sunt, aliàs dicta Concilia, & negotia absque dictorum Patrum præsentia, & consensu nulla, & invalida declarantur, hi autem in iis votum* deliberativum *habeant, cum ibi non agatur, nisi de Fidelium conversione*. Expressè etiam officium Missionis, ac prædicationis Fratribus addixêre, paragrapho 13. ita sonante: *RR. PP. Capucini Missionis Apostolicæ ab hac sacra Domo dependent, attento & considerato, quod Sancta Sedes ipsis officium Missionis cum eximiis, & specialibus privilegiis in beneficium peculiare animarum, & hujus Sanctæ Domûs decorem assignaverit, hinc & officium curamque palmarem Missionum, & prædicationis Verbi Dei, tum intra, tum extra Civitatem Tononii, Præfecturas & loca à Missione dependentia habebunt*.

Declarârunt pariter in fine articuli 17. Fratres nostros magni hujus operis & Confraternitatis auctores per verba: *Vigore hujus Decreti declaramus, quod per Concionatores in litteris Suæ Sanctitatis sub 24. Martii 1599. emanatis memorati Patres Capucini deinceps intelligendi sint, veluti hujus operis auctores, & primi, qui in dictis locis pro fide Catholica progressus fecerunt, unde & volumus, ut officium prædicationis in toto hoc opere, & ejus dependentiis ad eos spectet*.

Supponunt & hanc ipsam Fratrum nostrorum gloriam verba, quibus Clemens Papa VIII. Fr. Cherubino Maurianensi ad Vallesios se conferre mandavit: *Dilecte Fili, cum primùm Sacram Tononii Domum, Deo bene juvante, fundaveris, omni studio cura, ut Sedunensibus populis, quibus Fidei interitus imminet, quoad fieri poterit, opem feras, id enim & huic Apostolicæ Sedi opportunè necessarium, nobisque maximè in optatis est*.

Deus ipse sudores Frarrum nostrorum respexit, & compensavit, tum iis, quæ plantârunt, & rigârunt, incrementum dando, tum Operarios, & inrer hos, præcipuè præfatum Fr. Cherubinum, signis & prodigiis posterorum memoriæ venerandos efficiendo.

Horum longæ & antiquæ seriei ex æquo adjungo nostri ævi Virum, Fratrem Angelum de Toires à S. Romano, in quo profunda humilitas, perfecta vitæ Religiosæ ratio, & assidua cum Deo unio torius vitæ compendiant periodum. Humilitate in omnium actionum suarum basin, & Ducem ascitâ, Natalium suorum splendorem ita occuluit, ur de eo nec loqueretur, nec loqui volentes audiret; nec aliàs ullum, quod propriam laudem saperet, verbum proferre audiretur, honoresque à Rege Sardiniæ, & Duce Sabaudiæ non semel oblatos constanter rejiceret. Perfectâ vitæ Religiosæ ratione se Francisco fidum Regulæ suæ Sectatorem, Fratribus vivam regularis perfectionis formam præbuit, & Provinciæ munia ad inconcussæ æquitatis normam administravit, dignus, ur & ad illa totius Ordinis assumeretur. Assiduâ cum Deo unione, usque ad extases, & mentis excessum perfectæ, nominis officium complevir, jugem Sanctitatis speciem in vultu expressit, & ipse semper cum Deo, & Deus cum eo mansit. Reddidit hæc virtutum trias Angelum mundo, & Cœlo gratum: Mundo quidem, cum totus post eum abiverit, ceu *Angelum* missum propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, & altesarus Rex per duos integros menses Moncalerii illius consortio, & consiliis ad conscientiæ suæ directionem uti voluerit. Angelum sibi gratum, Cœlum patefecit, dum in vita cœlestium charismatum donis eum cumulavit, in morte cœlestis viræ prægustu recreavit, & tum viram tum mortem virtute gratiarum potentem reddidir. Sino in pace Angelum, ad Provinciam ejus regredior, & hujus elogium absolvo audacter edisserens, Depositum

Fidei

Fidei in Ducatu Chablasii, in vicinia, & districtu Civitatis Genevensis, in Ditione Vallesiæ &c. potissimum sudore, & labore Fratrum hujus Provinciæ fuisse servatum. Respublica Vallesiæ firmat assertum testimonio publico desuper expedito, ut sequitur:

Nos Consul, & Senatus Civitatis Sedunensis notum, & manifestum, quibus expedit, fieri volumus; qualiter pia, & devota Capucinorum Familia Conventûs nostri sibi necessarium duxerit, litteras à Nobis attestatorias, tam de eorum in Divini Officii cultu, quàm in Propagandæ Fidei summo zelo, quo Missio Provinciæ Tononiensis penès Nos multùm profuit, postulare. Intuitu itaque vitæ exemplaris, doctrinæ, laborum in ædificatione Orthodoxæ Fidei impensorum, immensorumque fructuum inde emanatorum, & satisfactionis populi Reipublicæ nostræ, quibus dignè de Nobis meriti sunt, eas libenter largimur, & attestamur, non solùm Conventum nostrum RR. PP. Capucinorum gratissimum, & utilissimum Nobis, sed & pro extirpatione hæresis, quâ Nos, & Vicini nostri præteritis annis ob viciniam ditionis Bernensis multùm inficiebamur, summè necessarium, cujus tandem (laus Superis) totalem interitum, tum vigilantiæ, tum sedulis præstantissimorum Patrum Concionibus, eorumque non interruptæ seriei Cathechesium, tum Missionibus, cæterisque divinis conatibus amborum Conventuum Diœcesis nostræ bene meritorum adscribimus. Quapropter justè de Nobis benemerentes, ad quos præsentes pervenerint, enixè recommendamus, &, ut de nostris Conventibus benè sentiant, precamur.

Datum Seduni in Vallesia die 22. Decembris anno 1677.

Ex Commissione Consulis, Senatûsque Sedunensis De Platea à Secretis.

Colunt adhuc, quod servârunt, fido labore Fratres, &, dum sibi famam & gloriam coram hominibus, & meritum coram Deo comparant, continuos fructuum manipulos horreis Ecclesiæ ingerunt, habitantes

In Conventibus	XXI.
Hospitiis	III.

Pro Capella B. V. Mariæ ad pontem Cugnini Conventui Fratrum Camberii unienda, receptis Documentis desuper confectis illicò Apostolici consensûs litteras expediendas fore, Episcopo Gratianopolitano renuntiat.

GREGORIUS PAPA XIII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUod Superioribus diebus à Nobis petisti, ut videlicet Tibi ad Spirituale Ecclesiæ tuæ commodum, Patres, quos Capucinos nuncupamus, in Civitate Camberii opportuniùs stabiliendi, eorumque Monasterio quandam B. V. Mariæ Capellam ad pontem Cugnini sitam cum viridario annexo uniendi facultatem tribueremus, hæc sine mora, receptis, quæ desuper confecta fuerunt, legitimis Documentis, per Apostolicas litteras expedietur. Perge Tu interim in eâ, quam suscepisti, ovium Tibi commissarum salutis promovendæ institutione, dum nos in terra Deum precamur, ut Te gratiæ suæ donis repleat, & Apostolicam Benedictionem Tibi impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XII. Septembris MDLXXV. Pontificatûs nostri anno tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes mens. & ann. præd.

N O T A.

INstrumentum, quod per hasce litteras Romam mitti jussum est, fuit tenoris subjecti.

Franciscus de Fleard, Divinâ favente Clementiâ Episcopus, & Princeps Gratianopolitanensis Diœcesis, & Decanus Decanatûs Sabaudiæ dicto Episcopatui uniti.

Notum sit inposterum visis litteris constructionis, ædificationis, & dotationis Sacelli, seu Capellaniæ fundatæ sub vocabulo Beatæ Mariæ Virginis Matris super ponte Cugnini in Decanatu nostro Sabaudiæ per Serenissimam, & felicis memoriæ Annam de regali Progenie Cipri, Ducissam Sabaudiæ Anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo die decima quarta Augusti, una cum arresto Consilii Status Ducalis Sabaudiæ Cisalpini facto quarta Februarii 1576. sigillo Ducali corroborato, & signato Trollisux*, ex quo Nobis liquidè constitit permissum esse Reverendo Guardiano, & Fratribus Religiosis Sancti Francisci intra Muros Chamberiaci, quorum oneri incumbebat Divina peragere, & rem sacram facere in dicto Sacello pro intentione dictæ Fundatricis ea exequi in Sacello per Beatum Amodeum Ducem Sabaudiæ fundato in Ecclesia dicti Conventûs, atque prædictum Sacellum exstructum ad pontem Cugnini fuisse concessum de consensu dicti Guardiani, & Fratrum dicti Conventûs intra muros à Serenissimo Emmanuelle Philiberto Duce Sabaudiæ Pronepote dictæ Fundatricis, & Patrono ipsius Sacelli pauperibus Fratribus Reformatis ad veram Divi Francisci Regulam à Sancta Sede Apostolica approbatam, vulgò vocatis Capucinis. Quod Sacellum, seu Capellaniam Annunsiationis nuncupari voluit, & decrevit Princeps Piontissimus; ideo supplicationi nobis porrectæ, ex parte dictorum Fratrum tanquam rationi consentaneæ annuentes, cum ex eo non diminuatur cultus divinus, sed plurimùm incrementi, & accessionis accipiat, & Fundatricis intentio non defraudetur: certiores facti de vitæ integritate, morum temperantia dictorum Fratrum Capucinorum. & quam sint pro Christo patientes frigoris, famis, sitis &c., & rebus divinis addicti & assidui, abjicientes omne desiderium sæculare, relictis fortuna, Parentibus, & Amicis, atque omni ferè corporis cura, nihil curantes de crastino, prædicantes verbo & exemplo; Nos Superioribus, & aliis bonis moti respectibus, laudamus, approbamus, & ratam habemus dictam concessionem à Christiano, & adeo Catholico Principe factam, atque quatenus opus est dictum Sacellum Beatæ Mariæ Virginis, & Matris Domini Nostri Jesu Christi in memoriam Angelicæ Annunsiationis transferimus, translatamque esse volumus, una cum horto, via publica intercepto, & viridario, ac terra novo muro à parte itineris publici cincto ad aquam usque fluminis publici, vulgò vocati Dhiore, & à cornu dicti Muri novi existenti à parte Chamberiaci . . . . . . à dicto cornu ad terram nunc possessam per honestum Gregorium Moter, quæ fuit Amedei Francisci, & Claudii Nales Fratrum ad dictum flumen publicum usque, juxta limites positos, seu ponendos . . . . . . aquæductu ferente ad Molendina de la Rivirìa, interposita quod viridarium, & terra prædicta in totum est quatuor jugerum cum dimidio vel circa, cum omnibus pertinentibus, & appendentibus in societatem, & Conventum dictorum Fratrum Capucinorum tenore præsentium, promittentes insuper ipsis Fratribus in dicta Capella, & ædificiis constructis, & construendis Regulæ prædictæ exercitium, prædicationis munus, sacra facere, & solitis horis preces fundere, atque in toto Decanatu eleemosynas, & victum pro more suo hostiatim quæritare, Verbum Dei annuntiare, ad laudem, & Gloriam Dei omnipotentis, Fidei Catholicæ auctionem, honorem Beatæ Mariæ Virginis, & salutem animarum nostrarum, dictæ Fundatricis, suorum Prædecessorum, & successorum Domûs Sabaudiæ. Mandantes omnibus Clericis, & subditis nostris in dicto Decanatu, ut dictos Fratres, Christianæ Pietatis memores recipiant: prohibentes omnibus cujuscumque sint qualitatis, & conditionis ne ipsis molestiam aliquam inferant, aut ipsos in exercitio suæ Regulæ, & professionis impediant sub pœnis, & censuris Ecclesiasticis. In quorum fidem,*

dem, & testimonium præsentes nostras litteras ipsis Fratribus concessimus manu nostra, & Secretarii nostri signatas, sigilloque nostro roboratas &c.

Exemplar in Archivo Gener. Ordin. Armario Provincia Sabaudiæ.

A' Fr. Spiritu sibi commissa relata, & pariter alia ipsi referenda esse, Francisco de Sales, tunc Præposito Ecclesiæ Cathedralis Genevensis (jam Sanctorum albo adscripto) renuntiat.

Dilecto Filio de Sales, Præposito Cathedralis Ecclesiæ Genevensis.

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NArravit Nobis Vir Religiosus, Frater Spiritus ex ordine Capucinorum Verbi Dei concionator, de tua pietate, & zelo divini honoris, quod pergratum Nobis accidit. Idem autem quædam nostro nomine tibi exponet, quæ ad Dei gloriam pertinent, quæque Nobis cordi sunt maximè. Tu fidem illi cumulatam habebis, perinde, ac Nobis ipsis, eamque diligentiam adhibebis, quam à tua prudentia, & erga Nos, atque hanc Sanctam Sedem devotione expectamus, tibique paternè benedicimus.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die prima Octobris MDXCVI. Pontificatûs nostri Anno V.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes *Regesto ann. V. pag.* 358.

APOSTOLICA AUCTORITATE.

Fratribus Missionariis ad partes Tononii, & Civitatis Gebenensis ablegatis præhabitæ in Vallis Pedemontanæ Missiones facultates spirituales conceduntur.

Julius Cæsar Riccardus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Barrensis, S. D. N. D. Clementis Divinâ providentiâ Papæ VIII. Sanctæ Sedis apud Serenissimum Dominum Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem, & Pedemontium Principem Nuncius.

OMnibus, & singulis has nostrss inspecturis, lecturis, & audituris fidem facimus, & in verbo veritatis attestamur, sicut in virtute litterarnm familiarium de ordine præfati Sanctissimi Domini Nostri ad Nos per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Sanctæ Severinæ scriptarum fuerunt per Nos concessæ, & commissæ RR. Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Congregationis Capucinorum, signanter RR. PP. Fratribus Valeriano à Pinerolio, Mauritio Murensi, Philippo à Pancalerio Prædicatoribus, & aliis, qui virtute Decreti, etiam Apostolici, instante præfato Serenissimo fuerunt missi anno 1596. præterito ad Valles Pedemontis, pro conversione Hæreticorum, & hæresis extirpatione, infrascriptæ facultates, scilicet, Verbum Dei prædicandi, & Evangelium explicandi, libros Hæreticorum, etiam prohibitos tenendi, & legendi; item audiendi Confessiones Sacramentales quorumcumque pœnitentium, etiam Hæreticorum, & in foro conscientiæ eos absolvendi à censuris, & excomunicationibus, aliisque sententiis, & pœnis Ecclesiasticis. Item Hæreticos ad eos sponte venientes ad abjurandum, etiam relapsos, non tamen insignes, videlicet, Ministros, Capitaneos, & Dominos Feudorum, recipiendi, & eorum abjurationes in scriptis redigi faciendi per Notarium, aut aliam personam ab ipsis eligendam, cujus acta in præmissis sint ejusdem roboris, attentâ formâ illius approbationis traditâ. Item, exercendi omnia munera Parochialia, & administrandi omnia Sacramenta in defectum aliorum Sacerdotum, & Matrimonia more Hæreticorum facta in locis, ubi publicatum fuerit Concilium Tridentinum, denuo more Ecclesiastico, etiam ommissis denunciationibus, contrahere faciendi. Cumque in dicta Missione idem Pater Frater Mauritius magno cum fructu se gesserit, hinc est, quod S. D. N. ejus personam cum iisdem facultatibus ad id officium prosequendum ultra Montes ad partes Tononii, & Gebenensium per totam illam Diœcesin, & finitimas elegerit, ut per lit-

litteras ejuſdem Illuſtriſſimi Cardinalis Sanctæ Severinæ dicto Patri Mauritio ſcriptas, ſub die 17. Januarii præteriti certificati ſumus. In quorum fidem &c.

Datum Taurini die XIII. Maji milleſimo ſexcenteſimo primo, Pontificatûs Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ anno decimo.

Julius Cæſar, Archiepiſcopus Baren. Nuncius.

N O T A.

Simile atteſtatum dedit, & Archiepiſcopus Taurinenſis, Fratribuſque eaſdem facultates. quas pro Miſſione Pedemontana habebant, pro illa ad partes Tononii, & Diœceſeos Gebennenſis inſtituenda à ſe communicatas eſſe, per litteras ſequentes declaravit:

Carolus Brolia, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Taurinenſis.

Univerſis præſentes noſtres litteras inſpecturis, lecturis, & legi audituris fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, ſicuti RR. Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Congregationis Capucinorum, ſignanter RR. PP. Fratribus Valeriano à Pinerolio, Mauritio Murenſi, Philippo à Pancalerio, & aliis Prædicatoribus, qui virtute etiam Apoſtolicâ inſtante Sereniſſimo Domino Sabaudiæ Duce, miſſi fuerunt de anno 1596. præterito ad Valles Pedemontis pro converſione Hæreticorum, & hæreſis extirpatione conceſſæ fuerunt per Nos infraſcriptæ facultates, ſcilicet Verbum Dei prædicandi, & Evangelium explanandi per totam noſtram Diœceſim, & ſacramentales confeſſiones audiendi quorumcumque pœnitentium, exceptis Monialibus Nobis ſubjectis, & abſolvendi eos à caſibus reſervatis, imò & per litteras familiares Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Cardinalis S. Severinæ de ordine S. D. N. Papæ ſcriptas, datas Romæ 11. Maji 1596. conceſſimus facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ Domini, & hoc durante Miſſione in illis Vallibus. Prætereà eiſdem RR. PP. Valeriano, Mauritio, Philippo, & aliis contulimus, omnem auctoritatem noſtram circa diſpenſationem, & commutationem omnium votorum ſimiliter Miſſione durante, nec non poteſtatem adminiſtrandi Viaticum, & extremæ Unctionis ſacramentum, & etiam licentiam, quod in caſu neceſſitatis ſecundùm exigentiam celebrare poſſent extra locum ſacrum, ſuper Altare tamen portatili. Inſuper aſſenſum præbuimus recipiendi Hæreticos etiam in foro externo ſecundum facultatem ipſis conceſſam. Atteſtamur præterea eiſdem RR. PP. datam fuiſſe facultatem, inſtante Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Cardinali Baudino, reconciliandi, & benedicendi Eccleſias pollutas, & profanatas ab Hæreticis, ſicut manifeſtant litteræ admodum R. P. Valeriani Bernæ à Pinerolio Capucini, ſub die ſexta Februarii proximè decurſi, debitè ab eo ſubſignatæ, & ſigillatæ; qui tempore Miſſionis erat Apoſtolicus Commiſſarius, nunc autem Guardianus in Conventu Conceptionis Genuæ. Inſuper atteſtamur Apoſtolicâ auctoritate (ut nobis manifeſtum eſt per litteras familiares ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Cardinalis S. Severinæ de ordine prædicti S. D. N. Papæ ſcriptas, datas Romæ 17 Januarii, etiam proximè præteriti) prædictum R. P. Mauritium eſſe miſſum Tononam, & in Diœceſim Gebenenſem, ac finitimas Diœceſes, cum omnibus prædictis facultatibus, occaſione ſupradictæ Miſſionis. In quorum fidem has noſtras manu propria firmatas, fieri, & ſubſcribi, ſigilloque noſtro debitè muniri juſſimus, & fecimus.

Actum, & Datum Taurini die 17. Maii 1601.

Carolus Archiepiſcopus Taurinenſis.

Aliud Præpoſitus, & Vicarius Generalis Pinerolii ſub tenore ſequente.

Rinaldus Reſſanus, Juris utriuſque Doctor, Civis, ac Præpoſitus Civitatis Pinerolii Vicariuſque Generalis Inclyti Monaſterii Beatæ Mariæ Urbis, Ordinis Sancti Benedicti, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ nullo medio ſubmiſſi, & illius ſolitarum pertinentiarum pro Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino Rogerio Tritonio, ipſius Monaſterii, & ſolitarum pertinentiarum Abbate, ſeu perpetuo Commendatario.

Univerſis præſentes noſtras inſpecturis, lecturis, & legi audituris, fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, ſicuti RR. PP. Fratribus Ordinis Minorum S. Franciſci Congregationis Capucinorum, ſignanter RR PP. Fratribus Valeriano à Pinerolio, Mauritio Murenſi, Philippo à Pancalerio, & aliis Prædicatoribus, qui virtute Decreti etiam Apoſtolici, inſtante Sereniſſimo Domino Carolo Emanuele, Sabaudiæ Duce &c. miſſi fuerant anno 1596. proximè decurſo, ad Valles Pedemontis pro converſione Hæreticorum, & Hæreſis extirpatione, & ad Miniſtros Hæreticorum per diſputationes, ſeu conferentias, & confutationem conceſſæ fuerunt à Nobis infraſcriptæ facultates; ſcilicet Verbum Dei prædicandi per totam noſtram juriſdictionem, & Sacramentales Confeſſiones audiendi quorumcumque pœnitentium, & abſolvendi eos à caſibus, etiam Nobis reſervatis. Præterea eiſdem contulimus omnem

nem auctoritatem nostram circa dispensationem, & commutationem omnium votorum, eorum Missione durante, nec non potestatem omnia Sacramenta administrandi, & etiam omnia munera Parochorum, ipsis Sacerdotibus absentibus exercendi, licentiam quoque illis contulimus, quod in casu necessitatis secundum exigentiam celebrare possent extra locum sacrum, super altare tamen portatili. Ipsi praterea specialiter deputati in Vallibus Petrusiæ, & S. Martini immediatè nostræ jurisdictioni subjectis, facultatem fecimus dispensandi circa jejunia, ciborum abstinentiam, ac solemnitatum observantiam, nec non circa denunciationes Matrimoniorum. Attestamur insuper ipsis Patribus factam esse facultatem à Sancta Sede Apostolica dispensandi circa matrimonia contracta ob Hæreticis in tertio, & quarto gradu, tam consanguinitatis, quàm affinitatis prohibitis, ut certi redditi sumus per litteras Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Julii Cæsaris Riccardi Archiepiscopi Barensis Apostolici Nuncii cum auctoritate Legati à latere in Dominio Serenissimi Sabaudiæ Ducis, datas Taurini, prima die Martii de anno 1598. qui ex comissione speciali S. D. N. PP. Clementis VIII. hoc illis contulit, ut etiam patet per litteras R. P. Fratris Valeriani Bernæ à Pinerolio Capucini, qui Missionis eo tempore erat Commissarius Apostolicus. Datum Genuæ die vigesima nona Maii anni præsentis. Assensum praterea benignum præbuimus, ut Hæreticos ad ipsos sponte venientes, etiam relapsos recipere possent in foro exteriori, etiam coram Notario, & testibus, juxta auctoritatem illis concessam. Imò, & in prædictarum facultatum promptiorem executionem contulimus prædictis in locis prænominatis auctoritatem nostram incarcerandi, & liberandi, nec non, & omnem nostram facultatem in utroque foro exercendi. Tandem attestamur (ut Nobis manifestum est per litteras familiares Illustrissimi, & Reverendissimi Cardinalis de Sancta Severina mandante S. D. N. PP. Clemente VIII. scriptas, datas Romæ die decima septima Januarii proximè præteriti) prædictum R. P. P. Mauritium esse missum à S. Sede Apostolica Tononum, & in totam Diœcesim Gebennensem, ac finitimas Diœceses, cum omnibus prædictis facultatibus (occasione supradictæ Missionis) sibi concessit. In quorum fidem has nostras manu propria firmatas, fieri, & subscribi sigilloque nostro debitè muniri, jussimus, & fecimus.

Actum, & datum Pinerolii, die 14. Junii 1601.

Simile, & sequens Inquisitor generalis Taurini.

Nos Frater Bartholomæus Rocca de Pralormo, Inquisitor Generalis Taurini, Fossani, & Nicæ, contra hæreticam pravitatem, à Sancta Sede Apostolica specialiter Delegatus.

Universis facimus manifestum tenore præsentium, & attestamur, sicuti RR. PP. Fratres Valerianus à Pinerolia, Mauritius Gambarinus Murensis, & Philippus à Pancaleria Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Congregationis, à nonnullis annis elapsis citra, ad istantiam Serenissimi D. Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis, & Pedemontium Principis à S. D. N. Clemente Octavo fuerant missi cum aliis Patribus ejusdem Congregationis ad Valles Pedemontis Hæreticis infectas, ad prædicandum Christi D. N. Evangelium pro conversione Hæreticorum, cum sequentibus facultatibus, & auctoritatibus à Nobis illis concessis auctoritate Apostolicà; scilicet cum facultate tenendi libros Hæreticorum, illosque legendi, audiendi Confessiones, & recipiendi Hæreticos etiam relapsos, in foro tamen conscientiæ dumtaxat: tam etiam recipiendi in foro externo coram Notario, & Testibus Hæreticos sponte ad Ecclesiam venientes, abjuranda tamen. Item quod secum ducere possent pios, & Catholicos viros ad eos associandum, dum convenirent ad Hæreticorum conciones, absque hoc, quod illi censuram aliquam incurrant: & quod possent similiter celebrare, & alia divina agere præsentibus Hæreticis, absque hoc, quod ipsi, vel Hæretici prædicti inciderent in censuras, vel aliud crimen. Præterea testamur, quod nunc à S. Sede Apostolica mittitur præfatus P. Mauritius ad partes Tononi, & per totam Diœcesim Gebennensem, & finitimas cum omnibus prædictis facultatibus, non modò ad se exercendum in Missione, ut suprà; sed etiam propter opus Tononi institutum à S. D. N. in obsequium, & auxilium Sanctæ Fidei Catholicæ, de quo opere extat Breve ejusdem S. D. N. Et tandem quòd facultas illi facta sit conscribendi, & recipiendi eos, qui recipi voluerint in Societate B. Mariæ Compassionis, seu Septem Dolorum, erecta in Oppido Tononi prò propaganda fide, ut ex litteris Illustrissimorum, & Reverendissimorum Cardinalium Sanctæ Severinæ, & Burghesii, prædicto Patri directis colligimus. In quorum omnium, & singulorum fidem, cùm veritas sic se habeat, has nostras manu propriâ firmatas, & per Secretarium S. Officii subscriptas fieri jussimus, sigillòque Sanctissimæ Inquisitionis debitè communiri.

Actum, & datum Taurini die 20. Junii 1601.

Autog. omnium horum Documentorum in Archivo Provinciæ.

EPI-

EPISTOLA APOSTOLICA.

In Civitate Sedunensi Domum Regularem Fratribus erigi, Episcopus curare monetur.

Perillustris, & Reverendissime Domine.

QUÆ de tuis virtutibus, & summâ in gregem tuum vigilantiâ certis Auctoribus ad Sanctissimum Dominum Nostrum perlata sunt, ei jucundissima acciderunt; vehementer enim lætatus est, cum hisce diebus intellexit Dominationem Tuam perlustrâsse, ac eâ prudentiâ, vitæ integritate, ac Religionis Catholicæ Zelo apud populos suos versatam esse, ut boni pastoris famam de se conceptam non apud eos solùm, sed apud alios etiam confirmaverit: Quod si suâ sponte, suâque eximiâ charitate pro debito gregis sibi commissi officio fecerit, neque ad hoc ullis adhortationibus indigeat, tamen ut intelligat, quàm Sanctissimo Domino Nostro grata ista tua sedulitas fuerit, hortatur, ut in ea perseverare, ac in Fidei Christianæ, ac Religionis Catholicæ in suâ ditione restituendæ, & augendæ studio prosequi velit: Ad quam in pristinum statum revocandam plurimùm prodesse potest, si Decretum jam diu ibidem à Primoribus editum, quo Hæretici ex eâ Provinciâ egredi jubentur, quantùm fieri poterit, pro ratione temporum servetur, ut iis exterminatis, ea Ditio, pestiferâ illâ contagione libera, faciliùs in sincerâ fide instrui, ac foveri possit. Cum verò magnoperè in hoc juvare possint Viri Religiosi, Sanctitate vitæ insignes, ac Presbyteri benè morati, qui populum ad Dei cultum, & veræ virtutis studium verbo & exemplo impellant, Dominationem Tuam monet, ut Monasterium FF. Capucinis jam diu promissum in istâ Civitate Sedunensi ædificari curet, à quibus uberrimi fructus sine dubio expectandi sunt, cum exiguo tempore, quo ibi fuerunt, magnam dicantur utilitatem attulisse. Presbyteros verò, ut quos optimos possit, adhibeat, discolos ad meliorem frugem reducere conetur, ut hac ratione, bonorum exemplo nova Ecclesiæ germina in litteris, & moribus benè educentur, quæ postmodùm in Ecclesiæ ministerio plurimùm ei servire, ac prodesse possint. Quod ut erit Dominationi Tuæ, maximæ apud omnes laudi, ac populis tuis saluti, ita ei incolumitatem à Domino bonorum omnium Auctore precor.

Romæ 10. Martii 1607.

Perillustris, ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ

Uti Frater Studiosissimus

F. Cardinalis Burghesius.

Authogr. in Archivo Conventûs.

Fr. Paulum à Cæsena, Tononium ad S. Mariæ de Compassione Domum, aliasque in Vallesiæ, Lausanæ, Friburgi &c. Provinciis institutas Missiones visitandas ablegat.

Dilecto Filio, Paulo à Cæsena, Ordinis Min. Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm ex debito Pastoralis officii, quo fidei Catholicæ propagationi omni sollicitudine invigilare tenemur, ad Piam Domum S. Mariæ de Compassione nuncupatam, Oppidi Tunonii, Gebenensis Diœcesis, pro Hæreticorum conversione præcipuè institutam, personam aliquam pietate, fide, ac prudentia idoneam hoc tempore mittere decreverimus, quæ de ejusdem Domûs statu, & aliis, de quibus Nos certiores fieri pro tanti operis, & Catholicæ Religionis progressu in Domino duximus expedire, se se diligenter informet, Tu Nobis occurristi, quem ad hoc munus deligeremus. De tua igitur sincera fide, Catholicæ Religionis Zelo, prudentia, & industria multam in Domino fiduciam habentes, ac fore sperantes, ut, quæ Tibi commiserimus, prout oportet, & ex animi nostri sententia cures, & efficias, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium tibi committimus, & mandamus, ut ad Domum prædictam quamprimùm Te conferas, ac de illius statu, regimine, deque Missionibus, quæ in Vallesiæ, Lausanæ, Friburgi, aliisque circumpositis regionibus pro Hæreticorum ad Fidem Catholicam conversione, sicut accepimus, fiunt, veritatem diligenter perquiras, & quanto cum fructu animarum, ac Catholicæ Religionis aug-

augmento hactenus in illis partibus laboratum fuerit, quidque ad spem exploratum habeatur de Gebennensium, aliorumque vicinorum Populorum in hæreticæ impietatis nocte miserè errantium reditu ad lucem veræ Fidei Te similiter informes, ac simul remedia opportuniora ad eorum conversionem, quæ ex re præsenti cognosci possunt, pro tua prudentia consideres, omniaque alia, & singula investiges, indages, & perquiras, quæ pro prædictis, & circa ea in Domino judicaveris expedire, Nobisque etiam in dies per litteras, antequam Romam redeas, accuratè referas, ita ut quid tantum Christi negocium postulet, ex tua relatione cognosci, & deinde maturè desuper provideri possit ad gloriam Salvatoris. Præterea Tibi, ut si fortè aliqua inciderint pro utilitate operis, & Missionum prædictarum, quæ dilationem minimè ferant, ita ut Nos certiores faciendi tempus, & rescripta nostra expectari non possint, sed præsentaneum remedium requirant, omnibus hujusmodi, & singulis, prout tua Tibi suggeret prudentia, providere possis, & valeas, plenam, & liberam, tenore præsentium facultatem, & auctoritatem tribuimus, & impartimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die XI. Januarii MDCIX. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Autograph. in Arch. Secret. Brev. Apostolic. tom. 5. diverſ. Pauli V. fol. 336.

N O T A.

QUæ suprà in hujus Provinciæ proemio de celebri Tononii Domo relata sunt; manca ritè habentur, cum desit eorum caput, principium & motivum. Sàt prolixè quidem illud nostri Boveriani Annales tomo secundo fol. 618. recensent, curta tamen eorum hîc digressio, expectatione Lectoris digna erit satisfactio.

Sciendum inde est, quod Tononium, prima Ducatûs Chablasii Civitas, ad Laci Lemani ripam situata, anno 1536. cum tota illa Sabaudiæ parte, quæ à Monte Sion prope Genevam ad Helvetiam extenditur, Bernensium armis subacta, funestum passa sit Fidei schisma: impetus enim novi sui dogmatis impulit illico Neo-Possessores, ut ritûs Catholici sanctitatem invaderent, Ministros Ecclesiæ de sua sede expellerent, populumque ad suæ sectæ consortium tum vi, tum blanditiis cogerent. Mansit violati Sanctuarii desolatio usque ad tempus pacis, Vervini ictæ, quâ Serenissimus Dux Carolus Emmanuel suorum Statuum reacquisivit dominium.

Toto nervo inde in id incubuit, ut oves infeliciter errantes, & à via salutis abductæ ad caulam Domini reducerentur, & primæva Catholicæ pietatis gloria in agro recuperatæ possessionis, quocunque novellæ sectæ semine calcato resurgeret. Hunc in finem Fratres nostros petiit Operarios, inter quos Apostolicum laborem anno 1595. feliciter subiverunt F.F. Cherubinus à Mauriana, Spiritus de la Besume, & Antonius de Tournon, cum intra trium annorum spatium plura millia hominum ad sinum veræ Ecclesiæ reduxerint. Expolitis ita illis partibus, sociisque in novi gregis confirmationem ibi relictis, P. Cherubinus muros Tononii intravit, & sub potentis Dei auspiciis, falcem Apostolicam eo labore in opus salutis misit, ut non solùm duas ibi Ecclesias fece Calvinianæ sectæ pollutas, Catholico cultui restituerit, Sectarios plusquam vatiniano odio frementes è Civitate expulerit, verùm etiam trophæum Crucis ita firmaverit, ut pariter inter tres annos vix una Domus, quæ Bernensem sectam profiteretur, superstes maneret, dum in Tononii accessu vix unam invenit, Catholicæ professioni insistentem.

Fructum tam amplè collectum satis tutum non esse ratus P. Cherubinus, & Neophytos egestate facilè ad vomitum redituros timens, Jatrion seu domum Refugii, in qua nova Fidei proles necessaria (saltem ad tempus) reciperet alimenta, & Missionarii ad opportuniorem fidei cultum residerent, erigi consultum duxit. Patefacto consilio Serenissimus Dux gaudenter accessit, operi omnem assistentiam adpromisit, & pro ipsius perfectione ipsum P. Cherubinum Romam misit, ubi per Bullam, incipientem *Redemptoris &c.* principio, & progressui hujus Sacræ Domûs non sine maximo Fidei Catholicæ commodo fuit provisum. Bullam hanc Boverius ad calcem tomi secundi cum Ducalibus Diplomatibus extensè posuit, ad hunc inde, sicut & ad Tomum secundum hujus mei operis, ubi meritum P. Pauli à Cesena in præposito Apostolico Brevi nominati compendiatur, Lectorem remitto.

AUTHORITATE APOSTOLICA

Fratres in Domo Tononii, locisque circumvicinis Concionatores constituuntur, iisque variæ facultates conceduntur.

Petrus Franciscus Costa, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Saonensis, Sanctissimi D. N. D. Pauli divinâ providentiâ Papæ V. dictæque Sanctæ Sedis apud Serenissimum Dominum Carolum Emmanuellem Sabaudiæ Ducem, & Pedemontium Principem, Nuncius &c.

Dilectis nobis in Christo Multùm Reverendis Patribus Mauritio de Morra, Cherubino de Mauriana, Scholastico d'Embruno, Francisco de Chambery, Sebastiano de Mauriana, Nicolao de Helvetia, Remigio d'Anessy & Antonio de Tornone, Sac. Theo-

logiæ Magistris, seu professoribus, Ordinis Capucinorum S. Francisci Minorum salutem in Domino &c.

NOveritis, quod idem Sanctissimus Dominus noster Nobis inter cætera commissa dedit in mandatis, ut Concionatores Verbi Dei in Sacra Tononii Domo, locoque ipso, ac aliis circumvicinis destinare, & transmittere deberemus. Nos propterea Apostolicis præceptis parere, ut debemus, volentes, de probitate, doctrina, charitatis fervore, ac zelo vestris, & cujuslibet plurimùm in Domino confisi, vobis & vestrûm cuilibet, harum serie, Apostolicâ auctoritate, qua fungimur in hac parte, ut in prædicto Tononii loco, sacrâque Domo, ac locis circumvicinis Verbum Dei evangelizare, & sacrum Evangelium exponere, ac alia facere, gerere, & exercere, quæ ad hujusmodi evangelizandi munus quovis modo pro Dei gloria, Fidei Catholicæ propagatione, & animarum salute spectant & pertinent, possitis & valeatis, & quilibet vestrûm possit, & valeat, facultatem in Domino impertimur. Insuper ut hæreticos ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium recurrentes, & alios quoscumque in prædicto Tononii loco, Sacraque Domo, ac locis circumvicinis residentes Catholicos, & catholizandos, tam in foro conscientiæ sacramentaliter, quàm à censuris Ecclesiasticis, contentis in Bulla Cœnæ Domini, in foroque externo absolvendi, (dummodo nisi semel fuerint relapsi) & eorum abjurationes in scriptis coram Notario, & Testibus recipiendi: Postremo circa Matrimonia, dum grassabuntur hæreses impunè, absque interventu Parochi Catholici, & Testium, etiam post Sacri Concilii Tridentini publicationem, quod ipsi contrahentes denuo contrahant, secretò dispensare, filios natos, & nasciturос legitimos declarare, vel ad lites evitandas, quæ possint in futurum verisimiliter exoriri super legitimatione filiorum, & bonorum successione, si vobis magis expedire videbitur, denuo in faciem Ecclesiæ saltem coram Parocho, & Testibus contrahendi, ut perpetuò Matrimonii qualitas probari possit, similiter eadem Apostolicâ auctoritate possitis & valeatis, & quilibet vestrûm possit, & valeat, licentiam in Domino concedimus. Rogantes propterea in Domino Perillustrem, & Reverendissimum Dominum dicti loci Tononii Ordinarium, & præcipientes RR. Parocho, seu Parochis, ac cæteris quibusvis personis Ecclesiasticis, tam Regularibus cujuscunque Ordinis, quàm Sæcularibus: Nec non hortantes Magistratus, Syndicos, & Consiliarios ejusdem loci, & alios quoscumque quacumque dignitate præfulgentes, ut ita curent, & quilibet eorum curet, quatenus Apostolicam Delegationem evangelizandi hujusmodi vobis demandatam, liberè absque ullo impedimento in animarum salutem exequi & exercere valeatis, ac, ut decet, vos, Sociosque vestros eâ, qua digni estis, christiana pietate, ac charitate suscipiant, & complectantur, & pertractent, quemadmodum in Domino confidimus. In quorum fidem, præsentes in publica forma expeditas fieri jussimus.

Datum Taurini die penultima Aprilis, millesimo sexcentesimo nono.

Petrus Franciscus Episc. Saonensis, & Nuncius.

DECRETO

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Feria v. die 1. Julii 1610. emanato.

Statutum Definitorii Generalis circa Domûs Tononiensis à Provincia Lugdunensi separationem, ac ejus cum aliis Sabaudiæ Conventibus in Provinciam peculiarem erectionem confirmatur.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Paulo, divinâ Providentiâ Papa V. ac Illustrissimis & Reverendissimis Dominis, Dominico Episcopo Ostiensi Pinello, Fr. Hieronymo Bernerio Episcopo Portuensi Asculano; Petro tit. Sanctorum Joannis & Pauli, Aldobrandino: Laurentio, tit. Sancti Laurentii in pane, & pernâ, Blanchetto; tit. Sanctæ Mariæ in Via Bellarmino, Antonio tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem Zatapa, Ferdinando Taberna, tit. Sancti Eusebii Joanne Garsia, tit. SS. Quatuor Coronatorum Millino, & Francisco tit. S. Calisti de la Roche-faucould nuncupatis Presbyteris, Miseratione Divinâ S. R. E. Cardinalibus, in universa Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, Sanctissimus Dominus noster annuit, Domum Missionis Capucinorum Tononii separari à Provincia Lugdunensi, & erigi in peculiarem Provinciam, juxta Resolutionem factam à P. Generali Ordinis Capucinorum cum consilio suorum Definitorum &c.

Autogr. in Arch. Conventûs Lugdunensis.

NOTA.

N O T A

Et enunciatam resolutionem, lege his verbis expressam.

Nos Fr. Hieronymus à Castro Ferretorum, totius Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum, Generalis Minister.

Inter graviora negotia, quæ à Nobis unà cum PP. Deffinitoribus in nostris generalibus Comitiis Romæ ultimò habitis accuratè admodum discussa, & provisa fuêre, illud inprimis extitit, quod Missio Tononii in dies magis, ac magis proficeret, nedum ex aliqua parte, vel parumper labi permitteretur, tum ex eo, quod Dei honorem, & Catholicæ Fidei augmentum non mediocriter concerneret, tum etiam ex eo, quod singulare mandatum de hac re à Sanctissimo Domino Nostro receperamus.

Statutis igitur, ac provisis omnibus, quæ tunc temporis juxta habitas relationes statuenda, ac providenda visa fuerunt pro tanti operis provectione, de more cursum Visitationis aggressi sumus, eâ mente, ac proposito, quod si quid aliud statuendum, ac providendum superesset, tunc, cum primum ad Lugdunensem Provinciam pervenissemus, ad quam dicta missio pertinebat, præsentialiter, ac inspectâ necessitate, illud exactè suppleremus. Factum est autem, cum Nos adhuc in Provinciis Hispaniæ detineremur, quod idem Dominus Noster jussit, ac rationabilibus de causis cum Brevi Apostolico Tononium miserit Reverendum P. Paulum à Cæsena, in Provincia Marchiæ Provincialem, & in prædictis Comitiis nostris Generalem Definitorem, qui singulari diligentiâ præsentialiter cognosceret statum dictæ Missionis, & informationem sumeret, tum de profectu in eo facto circa Hæreticorum conversionem, tum etiam de eo, de quo probabilis spes esset posse imposterum fieri; animadverteret etiam, quæ essent, quæ præpedirent, vel præpedire possent hujusmodi opus, ut removerentur, & econtra, quæ juvare illud valerent, ut adhiberentur. Quæ omnia cum prædictus Pater diligentissimè perfecerit, & Sanctitati Suæ, & oretenus, & in scriptis optimâ methodo retulerit, & Nobis pariter, qui hac potissimum de causa ipsi per litteras commiseramus, ut nostrum ad Urbem adventum præstolaretur, licet Provincialatûs sui munus illum aliò vocaret. Nos igitur habitâ prædictâ relatione, volentes juxta Sanctissimi mentem, & removere omnia, quæ aliquod impedimentum modò afferunt, vel imposterum afferre possunt operi tam pio, tum Catholicæ Fidei proficuo, tamque Religioni nostræ honorifico, & etiam pro posse nostro efficaciter adhibere, quidquid illius profectum promovere, & firmitatem stabilire valent: Congregatis omnibus infrascriptis Patribus, & unà cum ipsis attentè rursus auditis, accuratè perpensis, ac diligenter consideratis omnibus, quæ circa dictæ Missionis Negotium, juxta suprascripta capita relata, & in medium allata sunt, unanimiter, ac uno ore, neminéque penitus discrepante in hanc venimus sententiam, videlicet; quod necessarium sit pro plenâ, & absolutâ dictæ Missionis promotione, & stabilimento, illius curam, & onus à Lugdunensi Provinciâ totaliter removere, & hoc pluribus, ac rationabilibus de causis, quarum narratio brevitatis causa modò omittitur. Insuper pro ipsa Missione peculiarem, ac separatam Provinciam constituere, quæ sit, & dicatur Provincia Missionis Tononii, ut statim, vel ex ipso nomine, ad quem finem constituta fuerit, innotescat, & eidemmet applicare Cœnobium, modo à Civitate Friburgi construendum, & omnia Monasteria, quæ Lugdunensis Provincia nunc in Sabaudia possidet, scilicet Chamberi, Montmillian, Saint' Jean de Morienne, & Annecy, unà cum Fratribus omnibus dictæ Religionis, & aliis etiam de Lugdunensi Provinciâ operi Missionis idoneis, ac necessariis, sicut Commissario nostro, harum dispositionum Executori, visum fuerit, prout virtute præsentium removemus, constituimus, & applicamus omni meliori modo. Quæ omnia, & singula, annuente Sanctissimo Domino Nostro à Nobis statuta, & decreta sunt &c.

Datum in Loco nostro S. Bonaventuræ Romæ die 4. mensis Julii 1610.

Fr. Hieronymus à Castro Ferretorum, Generalis.

Fr. Michael Angelus Ariminensis, Procurator,

Fr. Silvester à Monte Leone, Diffinitor.

Fr. Paulus à Cæsenâ, Diffinitor,

Fr. Sanctes Romanus.

Fr. Gregorius à Mutina,

Fr. Hieronymus Narniensis.

Autograph. in loco supradicto.

A' Fr. Dominico, litteras electionem Episcopalem intimantes, cum voluptate à Sanctitate Sua receptas esse, Hildebrando Electo Sedunensi significatur.

Domino Hiltebrando Electo Sedunensi.

Perillustris, & Reverendissime Domine.

Litteræ Vestræ Dominationis 8. die Aprilis datæ ad 21. Junii redditæ mihi fuerunt à Patre Dominico Capucino; quæ, licèt serò nuncium suæ electionis attulerint, gratæ tamen extiterunt, quod eam voluptatem renovaverint, quam tum primo cœpit Sua Sanctitas, cum ex litteris Adriensis Episcopi vestram electionem accepit: nam sibi persuadet, pietate, atque prudentia Vestræ Dominationis Sedunensem Ecclesiam ad pristinum splendorem redituram. Quod ad tuam attinet confirmationem, ea quidem maturè promovebitur, nihilque prætermittetur, quod in gratiam Vestræ Dominationis, & istius Ecclesiæ commodum fieri aliqua ratione poterit. Habuit sanè jampridem ab Apostolico Nuntio, quid hac in re opus erat; verùm, ne interim ob temporis intervallum Ecclesiæ Sedunensi damnum aliquod inferatur, ea Provisionis ratio inita est à Sua Sanctitate, quæ magis opportuna videbatur. Cæterùm, ut Vestra Dominatio faustè sanctèque istius Administrationis initium exordiatur, Apostolicam ei benedictionem Sua Sanctitas impartitur, & cupit, ut occasiones dentur, quibus particularem in illam, ac verè paternum affectum queat signis editis declarare. Reliqua verò, quæ necessaria erunt ab eodem Nuncio cognoscet, qui Suæ Sanctitatis mandato in eam curam semper incumbet, ut res Vestræ Dominationis, & istius Ecclesiæ negocia omni diligentiâ, studioque prosequatur. Ego verò omnia secunda Vestræ Dominationi à Deo peropto, & meam operam parato animo defero.

Romæ 21. Junii 1614.

Perillustris, & R. D. V.

Studiosissimus

Scipio Card. Burghesius.

Autograph. in Archivo Vaticano Regesto mens., & anni præd. fol. 560.

Conventum RR. PP. Carmelitarum in loco Sirenen, vel Gerondæ Fratribus nostris cum omnibus annexis consignari committit.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sacri Apostolatûs ministerio, Divinâ providentiâ, nullo licèt merito nostro præsidentes, ad ea, per quæ Fidei, & Religionis Catholicæ propagationi, & animarum saluti consulitur, sedulò intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter imponimus. Itaque de Venerabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium Inquisitorum generalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem à Sede Apostolica deputatorum consilio, Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut Fratres Domûs Regularis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo loci Sirenen tuæ Sedunensis Diœcesis, è prædicto Domo Regulari educi, illosque ad aliam, seu alias ejusdem Ordini Tibi benevisas Domos Regulares transferri, auctoritate nostra cures, & facias, ac eandem Regularem Domum cum Ecclesia, ac juribus, & pertinentiis suis universis, Fratribus Minoribus, Ordinis Sancti Francisci, Capucinis nuncupatis, qui saluti animarum, & propagationi Fidei, & Religioni Catholicæ incumbant, eadem auctoritate concedas, & consignes, contradictores quoslibet, & rebelles, ac Tibi in præmissis non parentes, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Martii

Martii MDCXIX. Pontificatûs nostri Anno decimo quarto.

S. Card. S. Susannæ.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Regesto mens. & ann. prædict. fol. 387.

Fr. Didacum à Civitate novâ Regi Christianissimo pro executione negotii in Civitate Gebennensi peragendi commendat.

A' tergo: *Charissimo in Christo, Filio nostro, Ludovico, Francorum Regi Christianissimo.*

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VIctoriæ Majestatis tuæ, dum hæresin Santonici Oceani fluctibus circumvallatam exterrent, videntur cœleste quoddam extollere felicitatis signum ad bene ubique de Religionis ditione sperandum. Quare nihil tam arduum est, quod in gravissimo hoc Dei ipsius negotio, non speretur confici posse Ludovico Rege, vel militante, vel etiam suadente. Tam beatâ spe fretus Dilectus Filius Didacus à Civitate nova, Capucinus, opus meditatur, tuo prorsus Patrocinio dignum. Inter triumphos inferni, cum dominationem in præsentia quærere non possit, libertatem quærit Fidei Catholicæ in Civitate Gebennensi. Si hoc Te auxiliante perfecerit, non latet Europam, quàm eximiis laudibus, atque acclamationibus nomen Majestatis Tuæ in cœlum latura sit Congregatio justorum. Nobis certè, quibus nil potest optatius contingere, solatium conficies publica expectatione majus, & Pontificiis desideriis par. Ergo Religiosum hunc Sacerdotem de tam gravi causa disserentem, eadem, qua Nos, fide poterit audire Majestas Tua, cui tantum ab Ecclesia deberi beneficium ardentissimè semper cupiemus, Tibique Apostolicam Benedictionem amantissimè impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die prima Januarii MDCXXVIII. Pontificatûs nostri anno quinto.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol. 39.*

Commendat Eundem pro eodem fine Reginæ Christianissimæ.

A' tergo: *Charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Mariæ, Francorum Reginæ Viduæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Charissima in Christo Filia nostra, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

GAllia tuis virtutibus illustrata, dum Te publicæ quieti, & Religionis securitati consulentem veneratur, Dei Beneficium, & proprium præsidium esse prædicat auctoritatem Majestatis Tuæ. Porro autem Italia, Illustribus nominis tui laudibus plaudens, lætatur se ei Regno insigne bonum, atque decus peperisse. Præclara Tibi offertur occasio, Charissima in Christo Filia nostra, de utriusque quodammodo Provinciæ felicitate bene merendi. Id autem erit, si operam dederis, ut in Gebennensem Civitatem, quæ in intermediis Italiæ, Franciæque oris hæret, aditus pateat Fidei Orthodoxæ. Tam gloriosum opus conatur Dilectus Filius Didacus, à Civitate nova, Religiosus Capucinus, qui has litteras Majestati tuæ reddens, luculentius testabitur, quàm ingens Beneficium Ecclesiæ, & Pontifici solatium, hac tempestate parere possis. Illi igitur, tam grave negotium agenti, fidem haberi à Majestate Tua, & Regiæ auctoritatis suffragatione opem ferri cupimus, Tibique Apostolicam Benedictionem amantissimè impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die prima Januarii MDCXXVIII. Pontificatûs nostri anno quinto.

Autograph. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. mens. & anni præd. fol. 39.*

NOTA.

MEritum P. Didaci prædicti qui legere cupit, redeat ad Tomum secundum Bullarii, & folium 193.

DECRE-

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

In loco S. Mauritii, fabricam Domûs terminari, & Fratres saltem sex in eâ morari indulgetur.

Beatissime Pater.

Fratres Minores Capucini Provinciæ Sabaudiæ ad Pedes Sanctitatis Vestræ humillimè provoluti, supplicant pro licentia terminandi Conventum jam incœptum in Oppido, seu Terra Burgi S. Mauritii, Tarantasiensis Diœcesis, non obstante, quodibi duodecim Religiosi juxta Pontificum Decreta habitare nequeant, cum hujusmodi Domus Regularis sit ad radices frigidissimi, & altissimi Montis Sancti Bernardi, & pro transitu Fratrum itinerantium necessaria. Pro qua gratiâ &c.

Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præposita censuit, petitam erectionem Conventûs hujusmodi esse concedendam, prout præsentis decreti virtute concedit, dummodo inibi octo, vel saltem sex Religiosorum numerus perpetuò manuteneatur, & in reliquis servetur forma Decretorum Sanctissimi Domini Nostri, nec non fel. rec. Clementis VIII., ac similiter fa. me. Gregorii XV. super novorum Conventuum erectione editorum.

Romæ die 18. *Martii* 1631.

F. Ant. Card. S. Honuphrii.

Exempl. auth. in Archivo Gen. Ord. Armario Provincia Sabaudiæ.

DECRETO

Ejusdem Sacræ Congregationis

In Domo Regulari Castilionis octo dumtaxat Fratres commorari conceditur.

Beatissime Pater.

Fratres Capucini Provinciæ Sabaudiæ ad Pedes Sanctitatis Vestræ humiliter prostrati, reverenter supplicant pro facultate terminandi fabricam Conventûs jam inceptam in loco, Castiglione nuncupato, Diœcesis Augustæ Prætoriæ, quamvis ibi non possit manuteneri numerus Religiosorum juxta Pontificias Constitutiones, stante necessitate propter continuum Fratrum itinerantium transitum. Pro qua gratia &c. Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præposita censuit, petitam erectionem Conventûs hujusmodi esse concedendam, prout præsentis Decreti virtute concedit; dummodo inibi novem, vel saltem octo Religiosorum numerus perpetuò manuteneatur, & in reliquis servetur forma Decretorum Sanctissimi Domini Nostri, nec non felic. rec. Clementis Octavi, & simili memor. Gregorii XV. super novorum Conventuum erectione editorum.

Romæ die 5. *Decembris* 1631.

F. Ant. Card. S. Honuphrii.

Exempl. Auth. in loco præd.

DECRETO

Ejusdem Sacræ Congregationis

In loco Morgiaci numerus Fratrum cohabitantium ad sex limitatur.

Beatissime Pater.

Provincialis, & Custodes Fratrum Capucinorum Provinciæ Sabaudiæ humilimè supplicant Sanctitati Vestræ, ut consuetâ Apostolicâ benignitate dignetur eis licentiam impertiri perficiendi Conventum jam pluribus abhinc annis inchoatum, & propter bella, ac alia infortunia derelictum, in loco Morgiaci nuncupato, Diœcesis Augustæ Prætoriæ, quamvis hujusmodi Conventus non possit manutenere numerum Religiosorum præscriptum in Apostolicis Constitutionibus: attamen, cum sit positus prope asperrimum montem Sancti Bernardi, videtur necessarius pro commoditate itinerantium Fratrum, quatenus ad Domos Sæcularium divertere non cogantur. Pro qua gratia &c.

Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præposita censuit petitam erectionem Conventûs Ordinis hujusmodi in loco prædicto esse concedendam, prout præsentis Decreti virtute concedit; dummodo in eo septem, vel ad minus sex Religiosorum numerus

merus manuteneatur, & in reliquis servetur forma Decretorum Sanctissimi Domini Nostri, nec non fel. rec. Clementis VIII., ac similis mem. Gregorii XV. super novorum Conventuum erectione editorum.

Romæ die 20. Maji 1633.

F. Ant. Card. S. Honuphrii.

Exempl. Auth. in loco prædicto.

LITTERIS APOSTOLICIS.

Zelus Fratrum Missionariorum in gratiarum actione commendatur, & illius continuatio inculcatur.

A tergo: *Adm. Reverendo Patri Philiberto, Provinciali Capucinorum Sabaudiæ.*

Admodum Reverende Pater.

Consolatio, quam huic Sacræ Congregationi de Propaganda Fide, quatuor relationes, abs Adm. Rev. Pat. Vestra circa statum, & illarum Missionum progressus transmissæ attulerunt, est indicibilis: Domini Cardinales, qui numero undecim præsentes affuère, intelligentes, quantæ animæ operâ Missionariorum in securo sint positæ, & quibus indiciis Divina Clementia suum de illorum labore beneplacitum declaraverit, & spem de Diœcesi à præteritis ruinis restauranda, firmaverit, pietatem & zelum tum Vestræ Reverentiæ, tum sociorum suorum Missionariorum plurimùm collaudârunt; & quemadmodum desuper grates agunt, & vigore præsentium de successibus tam prosperis in infinitum collætantur, ita eam ad continuandam susceptam operam adhortantur, confisi, quod per eam omnis hæresis in illis partibus sit tandem extinguenda. Deus felicitet R. P. Vestram

Romæ 12. Novembris 1644.

Ad placitum Rev. Vestræ

Cardinalis Antonius Barberinus.

Autograph. in Arch. Provinciæ.

DECRETO

Sac. Congregat. Episc., & Regul.

Fratri, tempore Jubilæi, Confessario Sæculari confitendi facultate uti à Patre Provinciale impedito, novum Indultum concedi, in Provincialem acriter eapropter animadverti, ac Patrem Procuratorem moneri, statuitur, sententiâ Sac. Congregationis à Papa plenè approbatâ.

Fratre N. N. per suas litteras Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papæ XII. repræsentante, quod facultate eligendi sibi Confessarium juxta Indultum ultimi Jubilæi, uti, à suo Patre Provinciale, fuisset impeditus, dictisque litteris ad Sacram Congregationem remissis, Hæc audito Patre Procuratore Generali Ordinis edidit desuper sequens Decretum:

Sacra Congregatiò Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, censuit (si Sanctissimo Domino Nostro placuerit) posse ad favorem Oratoris, speciale Indultum juxta formam ultimi Jubilæi, cum facultate eligendi Confessarium Sæcularem ab Episcopo approbatum concedi, & monendum dictum Patrem Procuratorem Generalem, ut aliis Superioribus Ordinis notificet, ac in prædictum Provincialem acriter animadvertat, nec non de executione prædictorum omnium ipsam Sacram Congregationem per authentica Documenta certiorem reddat.

Romæ 25. Maji 1696.

Et die 26. ejusdem Mensis factâ de præmissis relatione, Sanctitas Sua prædictæ Congregationis sententiam approbavit, præfatumque speciale indultum Oratori benignè concessit.

C. Card. Carpineus.

Autograph. in Arch. Secret. Congregat. mens. & ann. præd.

PRO-

PROVINCIA
BURGUNDIÆ.

DUplici in statu considerari potest hæc fidelis & felicis Burgundiæ Provincia : in illo videlicet suæ originis, quâ per fundationem Conventûs Salinensis anno instauratæ salutis millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, & alterius Dolæ anno 1587. constructi, in unam eandemque cum Lugdunensi Provinciam coaluit : & in alio suæ ab hac separationis, factæ anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, vigore cujus Conventus in Burgundiæ Comitatu existentes, Provinciæ independentis jura, & prærogativas adepti sunt, Lugdunensi Provinciâ primævum suum nomen S. Bonaventuræ retinente, & neo Burgundica illud Ditionis, sub protectione S. Andreæ Apostoli assumente. In utroque autem statu Fratres Burgundi illibatæ vitæ suæ candore eam apud Sæculares sibi comparârunt existimationem, ut usque ad sanctitatis titulum excresceret, & quoties hi Capucinos accedere volebant, toties Viros *Sanctos* se adire assererent. Retinent adhuc famam non absimilem, dum ascesin Monasticam cum vitæ operariæ labore felicissimo fœdere conjungunt, & dum illâ puriori S. Regulæ cultui & sacro meditationis otio insistunt, hoc per confessiones, quas excipiunt, per Conciones, quas declamant, per Missiones, quas primi in illis partibus instituerunt, aliis pro iis instituendis formam præbuerunt, & adhuc maximo cum fructu, etiam in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis tempore quadragesimæ &c. exercent, saluti animarum se impendunt. In hac Provincia elucet ille virtutum decor, quem Petrus Damianus generatim in Monastico Ordine celebravit: In hac enim vides Fratrem *hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem Orationibus, hunc pro suis excessibus lacrymantem, illum in Dei laudibus exultantem; hunc vigilantem, jejunantem illum, & officia pietatis sibi invicem invidere. Nocte consurgunt ad confitendum Deo; vespere, manè, & meridie narrant & annuntiant laudem ejus, & omnis illorum sedulitas in orbem divini rotatur obsequii.*

Qua vitæ ratione, disciplinæ altissimæ paupertatis juncta devotionem populi experiuntur erga se mirè propensam, ita ut non solùm plures distincti gradûs Personæ in eorum Ecclesiis sepulturam seligant, sed etiam largissima stipe eorum inopiæ succurrant, & novissimè D. Leonardus de Mesmey, Dominus de Mailley, la Brotoniere &c. pro Conventûs Dolensis ad opportuniorem situm translatione, quæ indefesso Fr. Ludovici ex-Provincialis, & Fr. Francisci Bonaventuræ ex-Definitoris, à Vesulio, Fratrum secundùm

car-

carnem germanorum ſtudio urgetur, viginti millia librarum, ſuo chirographo ſub ſeptima Maii currentis anni dato, adpromiſerit. Hinc & illorum, quos ad paris vitæ amorem alliciunt, copioſus ſemper adeſt numerus, & ipſi quoque Burgundicæ regionis Nobiles Spiritu Dei acti eò properant, quò ſacer egeſtatis rigor vitæ tam pulchrè conſuſæ conſtruxit habitacula: numerat enim horum plures, quorum Patres, vel in Parlamento ſedem, vel in campis prima loca occupârunt, potiſſimum aſſumptos ex Familiis, quæ ſequuntur:

Arviſenet, de Balay, de Marigna, de Beauchencin, de Beaugeans, Bereur, Beſanconet, Bonvalet, de la Borde, Bovin, de Bremondans, Chaillot, Cecile de Noſcrocy, de Conſtable, Cordemoi d'Auricour, du Drecier, d' Enskerch, d' Eſpril du Gouhelans, Froiſſard ou de Broiſſin, Garnier, Geritot de Courſel, Jacquard d' Annoire, de Lavernay, Mairot de Mutigney, Matherot de la Barre, de Mauprel de Croſey, Michotey, de Montbarrey, de Moutier, Patornay, Poutier de Nanerey, de Roſey, de Saone, de Toulongeon de Raucour, de Vagnaire, Vauconcour, la Verne de Vellechevreux &c.

Dedit & natales cunas in Civitate Dolana Fr. Jovitæ ex genere Coquard, dedit & illi vitæ Capucinæ (ſi relatio mihi miſſa non erret) rudimenta, quæ eo virtutis aſcenſu in Provincia tunc Auſtriaco-Bohemica excoluit, ut (veluti jam Tom. 4. ſol. 234. memoratum eſt) ad Definitoris Generalis munus fuerit evectus.

Educavit quoque Martyres charitatis, quâ Fratres ſævientis aëris contagio infectis aſtiterunt, & inter eos mori lucrum tenuerunt. Inſigniter hac fulſit Fr. Polycarpus Salinenſis ex ſtirpe Denaudot, teſteſque ſuêre ſaces in aëre accenſæ, cadaver ejus ad ſepulturam quaſi comitantes; & ſuper ejus tumbam longiore tempore fixæ. Nec defuêre unquam Servi Dei, quos cœleſtium munerum divitiæ reddiderunt mundo conſpicuos: nunquam defuit præclara virtutis, & ingenii Soboles, quam tamen recenſere non valeo, cum Patrum hujus Provinciæ ea eſſe ratio videatur, quod potius actores, quàm ſcriptores virtutis eſſe velint. Silendum tamen non eſt, quod, ſicuti Natio Burgundica charactere fidelitatis erga Principem diſtinguitur, ita & Fratres noſtri devoto obſequio Regis ſervitio incumbant; hinc & liberaliore charitate Rex eos proſequitur, ac cuilibet Provinciæ Conventui; omnibus aliis Regni ſui Conventibus dari ſolitam ſalis menſuram annuatim (præter alia beneficia) aſſignavit. Et nota dignum eſt, quod de ſabrica Domûs Biſuntinæ Ciſſleus ita memorat: *eum Conventus ædificaretur, illud mirum contigit, ut fundamentis Eccleſiæ funiculo utrinque deſignatis, cum fodiendo ad tertium circiter cubitum perventum eſſet, juxta olim firmiſsima atque optimè materiata fundamenta, & ſancto illi ædificio cœlitus quaſi reſervata occurrerent*, ſupra quæ & in hodiernum diem Eccleſia erecta perſiſtit.

Excurrit Provincia.

Ad Conventus Fratrum	XXI.
Hoſpitia	II.

Altare Capellæ S. Magaritæ in Ecclesia Domûs Fratrum Dolæ in perpetuum privilegiat.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

DE omnium salute Christifidelium paternâ charitate intenti inter multiplicia pietatis officia, quæ Nos pro munere nostro convenit exercere, sacra interdum loca speciali privilegio decoramus, ut fidelium animarum saluti amplius consulatur: volentes itaque Ecclesiam Domûs Fratrum Capucinorum Oppidi Dolæ, Bisuntinæ Diœcesis, simili hucusque privilegio minimè decoratam, speciali privilegio pro fidelium animarum salute insignire, & in ea Altare, seu Capellam Sanctæ Margaritæ, auctoritate Nobis à Domino traditâ, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, concedimus, ut quotiescumque ab aliquo Sacerdote, Ordinis Capucinorum dumtaxat, Missa Defunctorum ad Altare prædictum celebrabitur pro anima cujusque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiæ indulgentiam plenariam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, Sanctorumque meritis illis suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Julii MDXCIX. Pontificatûs verò nostri anno octavo.

Autographum in Archivo Conventûs.

Legatum duorum millium scutorum, Domibus Salinensi, & Pontisaliensi à Nobili Claudio Lunet relictum, remittit, & debito juxta R. P. Ministri Generalis assensum, solutione mille scutorum duntaxat, satisfactum esse declarat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam,

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Claudius Lunet, nobilis Bisuntinus, seu alterius Diœcesis, quòd aliàs dilectus etiam Filius, Gratianus similiter Lunet, ejus Frater, postquam Habitum per Fratres Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum gestari solitum susceperat, in actu emissionis professionis per eosdem Fratres emitti consuetæ, suum condens testamentum, prædictum Claudium suorum bonorum hæredem instituit, cum conditione, ut ultra multa alia legata, & onera ei injuncta, duo millia scutorum auri Domibus Regularibus eorumdem Fratrum Oppidorum Salinensis, & Pontisaliensis, Bisuntinæ Diœcesis persolvere teneretur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Claudius præfatus summam bis mille scutorum hujusmodi absque notabili suo detrimento persolvere nequeat, sed legata hujusmodi pro summa dumtaxat mille scutorum, similium, ubi, & cum primum ex parte dilecti Filii Ministri Provincialis Provinciæ Burgundiæ Fratrum prædictorum requisitus fuerit, persolvere paratus sit: atque ad hoc dilecti Filii Ministri Generalis ejusdem Fratrum expressus accedat assensus, Nobis propterea humiliter supplicari fecit dictus Claudius, quatenus sibi desuper, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur dictum Claudium specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attento consensu prædicto, eidem Claudio legatum bis mille scutorum aureorum hujusmodi, mediante tamen solutione mille dumtaxat similium per eum, ubi pro parte dicti Ministri Provincialis requisitus fuerit, facienda, & non aliàs, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium remittimus, & condonamus, atque reliquorum mille scutorum hujusmodi solutione eximimus, & liberamus. Decernentes illum desuper molestari, vel inquietari non posse, præsentesque litteras validas, firmas, atque efficaces existere, & fore, sibique in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum *de non alienandis*, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apo-

Apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulfi, Albanensis Diœcesis, sub annulo Piscatoris die v. Maji MDCXXXIV. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Exemplar in Arch. Generali Ordinis Armario Provincia Burgundiæ.

Fratres in ætate legitimâ constitutos durantibus contagio, & bello per annum ad Sacros Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis promoveri indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecit dilectus Filius, Minister Generalis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, qood plusquam octoginta Fratres dicti Ordinis Comitatûs Burgundiæ, ratione contagii, aliarumque calamitatum, à biennio in illis partibus vigentium obierunt, & ad præsens contagium, & bella in illis partibus maximè vigent; quoniam verò in dicto Comitatu Venerabilis Fratris Archiepiscopi Bisuntini Suffraganeus existit, à quo dicti Ordinis Fratres promoveri possunt ad Ordines, & Fratres prædicti in locis, à loco, in quo ordinationes statutis à jure temporibus fiunt, aut remotis, aut contagio infectis reperiuntur, ne Ecclesiæ Domorum Regularium Provinciæ dicti Comitatûs Sacerdotum penuriâ laborent, cultusque divinus in illis ea de causa detrimentum patiatur, Nobis dictus Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictæ Sacerdotum penuriæ, quantùm cum Domino possumus, subvenire, dictumque Ministrum Generalem specialibus &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut ad annum proximum, & interim durantibus bello, & calamitatibus prædictis, Fratres dictæ Provinciæ in ætate legitima constituti, & à Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino requisita habentes, de suorum Superiorum licentiâ, ad quatuor minores, quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unica, & deinde ad Sacros Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Presbyteratûs Ordines, tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus continuis, vel interpolatis extra tempora ad id à jure statuta, ac interstitiis à dicto Concilio Tridentino designatis minimè servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex susceptis Ordinibus, antequam ad alium promoveantur, se minimè exercuerint, ab eorum Ordinario promoveri, & sic promoti, etiam in Altaris Ministerio ministrare liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die v. Octobris MDCXXXVII. Pontificatûs nostri Anno decimo quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni præd. fol. 10.

EPISTOLA

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Fabrica Monasterii in Terra S. Claudii à RR. PP. Carmelitanis Discalceatis quæsita, ob nostræ Domûs ibidem præjudicium inhibetur.

A' tergo. *Admodum Reverendo Domino Vicario Generali Lugduni.*

Admodum Reverende Pater.

CUm ex attestationibus, à Te submissis, colligere liceat, Pagum S. Claudii in ea Comitatûs Burgundiæ parte situm, quæ intra fines illius Diœcesis extenditur, tam ob sterilitatem loci, quàm ob rerum complurium penuriam duo ibi Mendicantium Monasteria quotidianis eleemosynis commodè sustentare non posse, atque ideo novæ erectioni, quam PP. Carmelitæ Discalceati moliuntur, non modò Fratres Capucinos, verùm etiam reliquos incolas sese opponere,

Eminentissimi Patres prævià, eaque matura deliberatione, censuerunt per præsentes injungendum, quatenus & novi Conventûs executionem impedire, & dictos Fratres Carmelitas ab Hospitio, quod incolunt, opportunis remediis amovere, non negligat. Dumque confido Te solidâ diligentiâ commissas Tibi partes expleturum, bene valeas opto. Romæ 11. Decembris 1654.

M. Card. Ginnettus.

Regist. in Arch. Procuræ Ordinis, Regesto mens. & anni præd. fol 42.

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Fratribus Monialium S. Claræ Civitatis Bisuntinæ Confessariis facultas earum Claustrum in casu infirmitatis ingrediendi committitur.

Eminentissimi Patres.

CUm Abbatissa, & Moniales Monasterii S. Claræ, Civitatis Bisuntinæ in Burgundia, sub observantia strictæ Regulæ Sanctæ Claræ juxta reformationem B. Colletæ viventes, à Sacra Congregatione facultatem, P. Capucino ab Archiepiscopo Bisuntino approbato confitendi obtinuerint, EE. VV. humillimè quoque supplicant, quatenus eidem Confessario pro Oratricum consolatione licentiam ingrediendi clausuram, & gravi infirmitate affectis Monialibus Sacramenta administrandi, & in articulo mortis, usque dum animam suam Creatori suo reddiderint, assistendi concedere dignentur. Pro qua gratia, & charitate Deum &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, benignè commisit Archiepiscopo Bisuntino, ut veris existentibus narratis, & quatenus in Domino expedire censuerit, petitam facultatem, servatis tamen omnibus servandis, pro suo arbitrio, & conscientia Oratricibus impertiatur.

Romæ 7. *Julii* 1689.

Casp. Card. Carpineus.

N O T A.

GRatiosè commissionis partes explevit D. Archiepiscopus per rescriptum subjectum;

Antonius Petrus de Grammont, Dei, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Archiepiscopus Bisuntinus, Sacri Romani Imperii Princeps &c.

Notum facimus, quod, viso supplici libello, præsentibus litteris adjuncto, atque Eminentissimis, ac Reverendissimis Cardinalibus, Episcoporum, & Regularium Congregationem componentibus, pro parte devotarum in Christo Filiarum nostrarum Abbatissæ, & Monialium Conventûs S. Claræ, istius Bisuntinæ Civitatis oblato, subjunctoque ipsi ejusdem Sacræ Congregationis Decreto, per quod Nobis committit & mandat, ut veris existentibus narratis, & quatenus in Domino expedire censuerimus, petitam facultatem, servatis tamen in omnibus servandis, pro nostris arbitrio, & conscientia Oratricibus impertiamur. Nos igitur, attento quod preces earum veritate niti comperimus, idcirco, ut Ordinarius ipsarum Monialium Confessarius earum Monasterii clausuram ingredi, graviterque ægrotantibus, atque in mortis periculo constitutis, vel agonizantibus, donec spiritum emiserint, & quamdiu ejus præsentiam moribundarum saluti necessarium esse duxerit, adesse possit & valeat, auctoritate Apostolicâ, Nobis in hac parte commissa & quâ fungimur, permisimus, & præsentium tenore permittimus; In casu verò absentiæ, vel aliis legitimis impedimentis præfati Confessarii P. Provincialem, vel P. Guardianum Capucinorum Conventûs Bisuntini, vel quemvis alium ejusdem Conventûs à Nobis approbatum, & ab ipsis Provinciale, & Guardiano eligendum ad hunc effectum substitui, servatis tamen omnibus, quæ per dictarum Monialium Constitutiones, quoad ingressum hujusmodi præscripta sunt.

Datum Bisuntii in Palatio nostro Archiepiscopali die trigesima mensis Augusti anno Domini 1689.

Antonius Petrus Archiepiscopus Bisuntinus &c.

Curam harum Monialium à Fratribus nostris suscipi jam anno 1631. per Augustissimam Imperatricem Eleonoram sequentibus litteris est petitum,

Hono-

Honorabili, Religioso, devoto, Nobis dilecto, Joanni Mariæ de Noto, Ordinis S. Francisci Ministro Generali.

Eleonora, Divinâ favente Clementiâ electa Romanorum Imperatrix,

Honorabilis, Religiose, devote, Nobis dilecte.

Jam autem sufficienter vobis notam esse arbitramur, quas ob causas Abbatissa, & Moniales Sanctæ Claræ Imperialis Civitatis Bisontinæ apud Beatitudinem Summi Pontificis jam ab aliquo tempore supplices efflagitaverint, ut ex Pontificia concessione Sacramentorum inter eas administratio vestri Ordinis Patribus traderetur. Quod negotium, & nos quidem Sanctitati Suæ studiosè commendavimus: Verùm, cum rem à vestro, ac aliorum in Ordine Superiorum consensu dependere intelligamus, ex digno commiserationis affectu facere voluimus, ut hasce quoque nostras pro supplicantium solatio apud vos impenderemus. Atque eapropter quàm benevolè à vobis requirimus, ut, si ulla ratione id absque manifesto Religionis vestræ damno fieri possit, necessitati harum Monialium, accedente Pontificia voluntate, vestro etiam consensu, tum ex propria pietate, tum nostri etiam gratia subvenire, adeoque eam Ordine vestro dictam Sacramentorum administrationem, saltem certis, uti rogant, temporibus, pro istarum animarum salute haud gravatim suscipere velitis: Id quod perlibenter intellecturæ, ac pro singulari vestri erga Nos studii documento habituræ sumus. Quæ vobis, totique Ordini vestro vicissim quavis benevola gratitudinis nostræ signa in omnes occasiones paratissima offerimus.

Datum Viennæ die undecima mensis Januarii Anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo.

Eleonora.

Provinciam ad instantias Regis Christianissimi Provinciæ Lugdunensi uniri mandat.

Dilectis Filiis, Ministro Generali, ac Ludovico de Julio Diffinitori Generali, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM, sicut pro parte charissimi in Christo Filii nostri Ludovici, Francorum Regis &c. *Residuum vide suprà fol. 123.*

Abbatissæ, & Monialibus prædictis Sanctæ Claræ, sub directione spirituali Fratrum existentibus, Indulgentias, & gratias spirituales, Monialibus Capucinis aliàs concessas, communicat.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

INjuncti Nobis cœlitus pastoralis officii ratio postulat, ut paternam Sacrarum Virginum, & devotarum Mulierum Altissimi obsequiis arctioris vitæ disciplinâ mancipatarum, uberesque bonorum operum fructus, dante Deo, assiduè proferre satagentium, curam gerentes, piis, & laudabilibus earum desideriis, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuamus. Volentes itaque dilectis in Christo Filiabus, Abbatissæ, & Monialibus Monasterii Sanctæ Claræ nuncupati, Ordinis S. Francisci, Civitatis Bisuntinæ, quæ, ut asserunt, aliàs nempe anno MCCCCV. à B. Coleta reformatæ fuerunt, & sub jurisdictione Ordinarii reperiuntur, anno verò MDCXVI. de omnium tunc existentium Archiepiscoporum ejusdem Civitatis licentia, absque ulla intermissione sub directione Fratrum Ord. Min. ejusdem S.P. Francisci, Capucinorum nuncupatorum remanserunt, & adhuc de præsenti remanent, gratiam concedere specialem, earumque singulares personas, à quibusvis &c. censentes, supplicationibus illarum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eis modernis, & futuris Abbatissæ, & Monialibus Clarissis, Civitatis hujusmodi, ipsæ omnibus, & singulis indulgentiis, & gratiis spiritualibus, quæ Monialibus Capucinis ipsius Ordinis concessæ sunt, & quandocumq; in futurum generaliter concedentur, ac, quibus ipsæ Moniales Capucinæ utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, ac poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla differentia, uti, frui, & gaudere, liberè, & licitè possint, & valeant in omnibus, & per omnia perinde,

ac

ac si hujusmodi indulgentiæ, & gratiæ præfatæ modernis, & futuris Abbatissæ, & Monialibus Clarissis, Bisuntinæ Civitatis, nominatim, & expressè concessæ reperirentur, & in futurum concederentur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus; decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & Abbatissæ, & Monialibus præfatis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Atque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quopiam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis indulgentiis ad instar, &, quatenus opus sit, Monasterii, & Ordinis præfatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Augusti MDCCXXXIV. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Breve formatum in Archivo Monasterii Monialium.

N O T A

Novissimè Summus Pontifex & iisdem prælibatis Monialibus duas speciales concessit gratias, quarum prima privilegium Altaris pro Monialium defunctorum solatio complectitur, sequenti Decreto extensum.

Bisuntina.

Ad humillimas preces Priorissæ, seu Superiorissæ & Monialium Ordinis Sancti Francisci Monasterii Sanctæ Claræ, Civitatis Bisuntinæ, Sanctissimus Dominus noster Benedictus PP. XIV. clementer indulsit, ut omnes & singulæ Missæ, quæ juxta earum Constitutiones pro animâ cujuscumque Monialis Monasterii ejusmodi, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, in earum obitu, vel aliâ die, ad quodcumque Altare Ecclesiæ ejusdem Monasterii celebrabuntur, animæ ejusmodi, pro quâ celebratæ fuerint, perinde suffragentur, ac si ad Altare privilegiatum celebratæ fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, præsenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ullâ Brevis expeditione.

Datum Romæ die 7. Decembris anno 1748.

Fr. J. Card. Portocarrero, Præfectus.

Altera gratia respicit pariter privilegium Altaris, Ecclesiæ in perpetuum concessum Decreto subjuncto.

Bisuntina.

Ad humillimas preces Priorissæ, seu Superiorissæ & Monialium, Ordinis Sancti Francisci, Monasterii Sanctæ Claræ, Civitatis Bisuntinæ, Sanctissimus Dominus noster Benedictus PP. XIV. volens Ecclesiam præfati Monasterii, in qua aliud Altare vel in perpetuum, vel ad tempus nondum elapsum, simili privilegio decoratum forsan reperitur, quod per præsentes revocavit, & in eâ situm Altare per Ordinarium designandum, hoc speciali dono illustrare, ut, quandocumque Sacerdos aliquis Sæcularis vel Regularis Missam pro anima ipsarum Monialium, earumque consanguineorum, & affinium in primo & secundo gradu inclusivè, necnon Monasterii præfati Benefactorum, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ac singulis diebus intra illius octavam, feriâque secundâ cujuslibet hebdomadæ ad dictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur, benignè concessit, atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Præsenti in perpetuum valituro.

ture. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragarii, lapideoque monumento inscribi.
Datum Romæ die 7. Decembris 1748.

Fr. J. Card. Portocarrero Præfectus.

Exemp. auth. utriusque Decreti in Archivo prædicto.

RESCRIPTO PAPALI.

Privilegium, Altari Majori aliàs annexum, ad Altare B. V. Mariæ in Ecclesia Fratrum Grajaci transfertur.

Beatissime Pater.

FRater Alexander à Jussejo, Capucinorum Provinciæ Burgundiæ Minister Provincialis, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humiliter exponit, quod jam dignata sit Altare Majus omnium Ecclesiarum Capucinorum, privilegiatum quotidianum in perpetuum esse, concedere, & declarare: Cum autem in uno Provinciæ suæ Conventu, qui dicitur Grajacum, adsit B. V. imago miraculosa, ad cujus Altare in Ecclesia Conventûs situm, omnes tum Sæculares, tum Religiosi Sacerdotes præ devotione celebrare exoptant; ideirco ad confovendam istam devotionem, summa Sanctitatis Vestræ clementiâ fretus, humiliter petit, ut transferre dignetur hoc privilegium, majori Altari annexum, ad prædictum Altare B. M. V.; quod singulare beneficium se consecuturum sperat, cum ex ejus obtentu, magis ac magis in B. Virginem sit se se confortatura ad istud Sacellum venientium Fidelium devotio: Novum quoque inde sumet motivum indesinenter ad Deum preces fundendi pro longæva conservatione Sanctitatis Vestræ, Quam Deus &c.

Ex Audientiâ Sanctissimi die 26. Martii 1748.

Sanctissimus attentis expositis, Oratoris precibus annuendo, benignè indulsit pro gratiâ translationis Altaris privilegiati quotidiani à Majori, ad illud B. M. V. dicatum, juxta petita, & per hoc præsens rescriptum, absque Brevis expeditione in perpetuum suffragari mandavit &c.

Joseph Levizzani Secret.

Exempl. Auth. in Archivo Provinciæ.

N O T A.

TAM celebris non est Conventus Grajacensis ex antiquitate, utpote jam anno 1588. officiis Dominæ Reginæ de Rey, conjugis D. Vergy, Gubernatoris &c. & ære Dominæ de Marmier Gastel, ab imis fundatus, quin venerabiliorem illum reddat Capella, in qua lignea B. V. Mariæ Imago gratiis, & prodigiis coruscat. Intulit Ditioni Burgundiæ hunc thesaurum Joanna Bonnet Salinensis; cum enim institutâ an. 1613. ad B. V. Mariam de Montagu in Frandria peregrinatione, petium quercûs, cui hæc inclusa erat, dono accepisset, in suo ad Patriam regressu, ex eo Statuam B. Virginis, à Joanne Labranche San Claudiensi, sculpi curavit, sex digitorum longam, & postmodum abs Illustriss. & Reverendiss. D. Archiepiscopo de Rey benedictam. Quantumque Joanna miræ erga hanc Statuam flagraret devotionis affectu, illam tamen an 1614. Nobili Dominæ de Braufremont, Conjugis D. Hieronymi d' Achey, Grajacensis Gubernatoris in donum tradi varia suasit ratio. Tenuit hæc illam in suo Oratorio usque ad annum 1617. quo Fr. Gabriel Galliot d' Aspremont eam in Ecclesia Fratrum collocari, impensius ab ea requisivit. Accessit votis Nobilis Domina, fuitque Imago anno 1618. ad Ecclesiæ Grajacensis Cappellam, angustam, & inter omnes alias Provinciæ Capellas tunc viliorem, translata. Illico Deus ad verba Affricani Doctoris, *mirabilibus operibus in ea nobis locutus est*, dum jam anno 1620. Filiæ, à quatuor annis mutæ, post preces de more coram Mariana hac Imagine factas, & ex leni, qui eam obruebat sopore expergefactæ, prolatis verbis *Jesus Maria*, liberum perfectumque linguæ usum concessit. Ne autem prodigia gratiarum, quæ in novem annorum spatio, usque ad 2500. multiplicata fuisse, tum *Atlas Marianus*, tum Author triplicis coronæ &c. referunt, plus exaggerationis, quàm veritatis habere, allegari posset, jam anno 1623. Archiepiscopali Ordine per juridica acta Ditione Burgundica collecta, fuerunt examinata, & approbata. Non solùm autem in devotionis origine, effusa hæc gratiarum dispensatio excitavit, sed adhuc hodiedum excitat tum Burgundum, tum exterum & dissitum populum ad personalem Thaumaturgæ imaginis cultum, ita ut, cum Capella minus arcta videretur, amplior cum triplici Altari construi debuerit, & in festis Marianis plerumque plura millia eorum numerentur, qui vel anathema gratiarum receptarum ad muros Ecclesiæ appendunt, vel gratias recipiendas implorant Sacramento pœnitentiæ expiati.

PRO-

PROVINCIA S. LUDOVICI.

Templa, libros, Urbes, & Provincias Patronis inscribi, sacræ æquè ac prophanæ antiquitatis historia confertim edocet: M. Acilius Glabrio P. Cornelio Lentulo, & M. Barbio Tamfilo, seu (ut aliis placet) Pamphilo ædem pietatis, teste Valeriano Maximo *l.* 2. *cap.* 4. *fol. mihi* 161. dedicavit. Festivior æquè ac sanctior fuit ritus, quo Templum, introductâ in illud Arcâ, fuit Deo dicatum; *mactavit* enim *Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia, & dedicaverunt Templum Domini Rex, & Filii Israel.* 3. Reg. 8. v. 63. Librum reperiri haud est, in cujus fronte non resplendeat nomen Patroni: Urbes, & Regna suæ felicitatis accessum tenent, si nomen Patroni gloriam suam coronet, & in ipsis etiam mæniis, ac portarum supercilio ipsius aliquando emineant insignia. Varia est hujusmodi dedicationis ratio: Acilius nuncupavit enunciatam ædem *compos voti factus, Rege Antiocho apud Termopylas superato*: Templa Deo sacrantur, ut Latriæ cultui serviant: munit libros Patroni nomen, tum, ut Momi & Aristarchi licentioso dente eos lacerare vereantur, tum, ut Mæcenatum & Heroum memoria perennis gloriæ sortiatur pignus. Provinciæ & Regna adsciscunt sibi Patronos, ut sub potenti horum custodia servetur illorum decor & quies, & gloriosa semper felicitatis sortiatur incrementa.

Inhæserunt prisco mori hujus Provinciæ Fratres, & hanc auspiciis Divi Ludovici, Episcopi Tolosani, consecrârunt, ut, quem ex partu Brinolii suum Con-Provincialem noverant, & cujus sacris exuviis diutius olim nobile Provinciæ & Europæ Emporium, Massilia fruebatur, non solùm validâ illius tutelâ gauderent, sed etiam suo cultu laudes S. Patriotæ, & ex regulæ professione Confratris dilatarent.

Reiicit sua initia ad sæculum à Virgineo partu decimum sextum, seu ad annum millesimum quingentesimum septuagesimum sextum, quo nobilis Vir Petrus à S. Sixto, ad famam de rigidiore Capucinæ vitæ disciplina diffusam, in Civitate Avenionensi Domum Fratribus construi curavit. Ex ipso felici hoc successu celebris Fr. Mathias à Salodio Brixinensis, Provinciæ Mediolanensis tunc Provincialis, & Commissarius Generalis, facilem & alibi in vicinia aliarum Domuum constructionem conclusit; nec tam humiliter secundam in Civitate Massiliæ quæsivit, quin benigniùs Illust. D. Episcopus sequenti eam concesserit diplomate.

Fri-

Fridericus, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Massiliensis Episcopus, dilectis in Christo Religiosis Fratribus Sancti Francisci Capucinorum salutem in Domino.

Quantò licentiùs his nostris temporibus hominum vita vagatur, eò magis Religiosorum hominum necessaria est oratio, & eorumdem devota conversatio, ut illa divinæ animadversionis flagella deprecetur, hæc verò homines exemplo, sermone & quasi familiari manu à vitiis evocet, & reddat virtutibus. Cum itaque, sicut nuper exhibita ex parte vestrâ petitio continebat, commodum apprimè ad Dei servitium promovendum fore ducebatis, si in hac nostra Civitate Massiliæ juxta prædictæ vestræ Religionis statuta & mores Conventum construere, divina celebrare officia, eleemosynas petere, & cætera facere, quæ & cultui divino accommoda, & Congregationi vestræ necessaria reperirentur, concederemus: Nos Religionis statum, his nostris præsertim temporibus, propagari intensis desideriis affectantes, & ex vestro piæ vitæ studio ejusdem Religionis augmentum, & fidelium animarum nobis commissarum salutem sperantes, lubentiùs annuimus prædictæ petitioni vestræ, & juvamen allaturæ salutare, & virtutum laudabile in Domino jugiter incrementum. Quocirca vobis, tenore præsentium, ut infra prædictam Civitatem Massiliæ, seu in ejus suburbiis, vel territorio, vel etiam alibi in nostra Diœcesi Domum, locum, hortos, cum aliis necessariis pro vestris usu & habitatione perpetuis, si vobis oblatione Christifidelium aut aliàs canonicè concedantur, recipiendi, & illa pro usu, nec non habitatione prædictis habendi, tenendi & in illis commorandi licentiam plenam & liberam elargimur: in quibus Ecclesiam ædificare, Conventum extruere possitis, ubi divino obsequio mancipati, secundùm vestræ professionis ritum vivere, Domino deservire, & divina officia celebrare valeatis: præterea & oblationes fidelium recipere, eleemosynas petere, & reliqua omnia facere, quæ ex regula vestra, indultis & privilegiis S. Sedis Apostolicæ vobis permissa esse noscuntur, juribus & præeminentiis nostris, & successorum nostrorum, nec non Ecclesiarum, tam nostræ Cathedralis, quàm Parochialium prædictæ Civitatis & Diœcesis in omnibus semper salvis; hortantes insuper omnes & quoscumque prædictæ nostræ Civitatis & Diœcesis, ut erga vos in eleemosynis se reddant liberales, ut, quorum apud Deum juvabuntur orationibus, eorumdem & necessitatibus satagant providere.

Datum Massiliæ sub sigillo nostro Episcopali, & nostræ propriæ manûs subscriptione die 3. mensis Aprilis anno Domini 1578.

Ita non augebatur in utroque hoc Conventu Fratrum numerus; quin magis erga eos cresceret populi affectus, tam propensus, ut & inter se Fratres commorari plures ambirent, & eapropter successivè varia construi juberent Domicilia, sub Provinciæ Lugdunensis jure consistentia, usque dum ea anno 1588. Religio in Provinciam distinctam, & Galliæ tertiam (utut in tabula Provinciarum à Parisiensi & Lugdunensi per alias Provincias, prioris filias, intersectam) coadunavit.

Apparatum laudum suarum concludit unicum nomen, *Charitas*, quæ virtutum Regina, corpori hujus Provinciæ se ita infudit, ut, quotiescunque funesta lues, amæna aliàs Provinciæ spatia & loca infecerat, prout se vario tempore infecta fuisse tacito adhuc suspirio lugent, Fratres omnes ad suppetias populo infecto ferendas, vix non ad prodigium usque animaret. Quin miserias mali & circumstantias ejus, hîc enarrem, charitas Fratrum ex ipsis insertur litteris, quibus in

in gratiarum actione fuit commendata. Omittimus illas, quibus Reverendus Pater Petrus Guerin, Societatis Jesu, Fratrum charitatem, peste Massiliam anno 1649. affligente, ad excessum abiisse, & totam Provinciam suam ob spiritualia officia nonnullis suis Patribus exhibita, Fratribus nostris devinctam sub 12. Octobris ejusdem anni scripsit. Omittimus alias, quibus Consules Civitatis Aubagnæ grates labori charitatique Fratrum pares à se rependi non posse, eodem anno fassi sunt. Omittimus illas à Civitate Bellicadrensi anno 1663. alias à Civitate Sancti Remigii anno 1667. pluresque aliorum locorum, quibus Fratres peste infectis mirabili, & verè prodigioso virtutis exemplo astitisse, gratæ Posterorum memoriæ proditum est. Piaculum autem foret, si duorum Ecclesiæ Massiliensis Præsulum confessionem sub pulvere Archivorum sineremus, qua illi orbem impleri desiderârunt: Prima est Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi Sebastiani, quam ita expressit.

Nos Sebastianus Puget, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopus Massiliensis, Consiliarius Regis &c.

Attestamur, quod annis 1649. & 1650. quibus Deus hanc Civitatem, Territorium, & nonnulla loca præcipua nostræ Diœceseos malo contagioso afflixit, rapidoque hujus cursu plurimos ab hac misera vita solvit, RR. PP. Capucini se se nobis obtulerint ad assistendum infectis, non solùm in valetudinariis, sed etiam in aliis quibuscunque locis, & quod vigore facultatis ipsis concessæ, cum constantia & pietate Christiana administraverint Sacramenta, exponentes se evidenti etiam mortis periculo, quod & plures eorum Patres & Fratres rapuit, quatenus in Cœlo mercede, quam divina providentia iis præparaverat, fruerentur. Quod, dum maturiùs pensavimus, & testaturi satisfactionem, quam de obsequiis huic Diœcesi, supra quam Nos, licèt indignos, Dei misericordia constituit, ab iis exhibitis habuimus, scripsimus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ecclesiasticis, in Synodo generali Cleri Parisiis congregatis, sicut & aliis in suis residentiis cunctantibus, commendantes præclara & Religiosa officia, Nobis per dictos PP. Capucinos præstita, eosque per misericordiam Dei rogavimus, quatenus iis applausum, quem merentur, perspectum reddant, eosque suâ protectione & benevolentiâ frui faciant: Quod & Illustrissimi Domini promiserunt, prout nobis per varias litteras responsorias significârunt. Ut autem memoria omnium supradictorum posteritati ad Capucinorum laudem & honorem, nec non ad exemplum in futurum asservetur, præsentes manu nostrâ signatas, & sigillo nostræ Cameræ munitas expediri jussimus.

Massiliæ 1. die Sept: 1651.

Modernus verò Massiliæ Antistes, sicut oculis suis & contagiosi mali furias, & Fratres in actibus charitatis occupatos vidit, ita & hanc longiore stylo descripsit, & sequenti testimonio communivit.

Reverende Pater.

Multùm abest, quod, uti P. Vestra in Epistola ad P. Guardianum Massiliæ data timere videtur, non sim contentus, aut summè ædificatus de modo agendi PP. Capucinorum

ram per quinque iactrea menses, quibus banc Civitatem lues contagiosa affligit, vel potius justitia Dei, nostra punit crimina. Nunquam audita est desolatio, aostræ similis. Coavicta desuper P. Vestra maaebit, si ultimum meum mandatum legerit: ia hoc fidelem quidem, at restrictam dedi copiam partis borroris, cujus tristis fui testis: Patres vestri in particulari, & in penetralibus Domuum desolatarum plura adhuc conspexerunt. At, quemadmodum nibil mala aostra adæqaat, ita cum veritate dico, quod naaquam zelus fuerit æqualis illi, qui in bac occasione in Capucinis & Jesuitis effulsit. Idem spiritus, qui bos & illos urget & stimulat ad veritatem Religioais, à nostræ ætatis Novatoribas impetitam, sine respectu bumaao defendendam, eos quoque pellit ad se voluatariè, & cum gaudio certæ quasi morti, pro obsequio & salute Fratrum suorum expoaendos. Capuciaos, A. Revereade Pater, jam aliàs magis, qaàm forsaa credit, dilexi: Plures in bac mea Diœcesi feci Missioaes cum Patre Theodosio à S. Maximino, qui desuper P. Vestram certiorem reddere potest. Eos dilexi & æstimavi à longo tempore, jam verò impræsentiarùm, ubi fidele per quinque iategros menses testimonium babeo eorum, quæ illorum zelus, berous aaimus, charitas & pietas, nullo pericalo, abi de solatio & salute proximi agitur, frangeada, operari potest, teaera mea æxistimatio ia infinitum est adaucta: à principio pestis in omnibus mibi astiteruat, ab boc coatinuando aunquam cessârunt, & pergunt adbuc eo, quo primo die, fervore: absque Capucinis pluries in maximis mansissem angustiis: cum confessionibus pestiferorum intra corpas Civitatis excipiendis aoa coatenti, Confessarios mibi subministrâruat pro Hospitalibus convalesceatium, charitatis, du mail, *& apparasûs Triremium, imò sant adbuc ia omaibus, & per omaia, qaia mors Confratrum unum solum terrere potuerit. Id solùm iis exprobrare possem, quod aoa obstantibus meis moaitis & precibus cum tam modica præcautioae egeriat, ac si pestis in Massilia non esset. Plures eoram adbuc reperiuntur infirmi, post mortem 42. & pluriam virorum vero merito illustrium, inter quos P. Laureatium à Massilia, qui, sicut pro Missioaibus perageadis rarà fulsit dote, ita & ia iis boaa infinita collegit, siacerè dilexi, reciproci amoris persuasus: jactura illius sensibili me affecit dolore; fuit ille inter primos Capuciaos, qui se obsequio populi sacrificare petiit: pertraasieas cum eo S. Laureatii plateas, quarum curam ei commiseram, & ubi ante tres annos celebrem Missionèm instituerat, aon sine solatio sepius vidi confideatiam, quam populus pro eo conservaverat. Plures Capuciai peste iam correpti per Dei misericordiam periculum evaserunt, qaos parte virium suaram restisutâ, vidimus ad exemplum P. Guardiani repeates per plateas, aut baculo suffultos reassumere caram ægrotorum, quasi derelictorum: postquam quasi omnes beaeficiati cum cura animaram, turpem captârunt fugam, qain meæ preces, mea mandata, minæ, & moaitiones caaonicæ quemquam ad regressum cogere potuerint: postquam & quasi omnes Religiosæ Communitates, aut boc idem exemplum secutæ fueraat, aut ex ædibus suis egredi renaerant, amplissimo Confessariorum mortaorum numero terrefactæ: quasi me unicum cum Eleemosynario meo conspexi, dum quotidie unam ex plateis Civitatis circumivi, & pestiferorum ia via repertorum confessiones excepi: solùm, & quasi generaliter ac semper in bac desolatione obvium babai quemdam Capucinum, aut sanum, aut infectum in adjutorium meum properantem, sicut & Jesuitam octogenarium incirca, P. Levert aominatum, qui ab initio mirabilia fecit, & qui quasi unicus de Societate fuit, quem malum contagii noa corripuit. Abundans autem gaudio, & repletus consolatione, vidi postea alios Jesuitas de longinqao venientes, qui ad pedes meos prostrati liceatiam petierunt, ad suorum Coafratrum exemplum, se se mortis periculo expoaeadi: plures autem alii, ut idem agere posseat, omaem moverunt lapidem. Et paucos in bac Provincia reperiri scio Capucinos, qui, ultra eos, qui in subsidium venerunt, venire non petierint. Taadem, Admodùm Revereade Pater, exprimere neqaeo, quaatùm zelo iatrepido, & infracto Capucinorum movear, & quantùm laudis, & recognitionis Pablicum eis mecum debeat. Ab experieatia cognosco*

Massiliensium propensos ad bonitatem animos, ita ut Massiliæ id, quod Capucini, & Jesuitæ ibi pro animarum salute in tam horridis, & periculo plenis circumstantiis egerunt, oblivioni nunquam daudum esse polliceri possim. Idem testimonium perhibere debeo reliquo Ordini S. Francisci, seu Observantium & Recollectorum, qui & distincta sui zeli, & laboris dederunt specimina; imò paucæ sunt Regularium Communitates, quæ non promiserint aut dederint aliquale subsidium; potior tamen numerus, aut sanitati, aut vitæ consuluit; dum econtra Capucinorum, aut Jesuitarum, nec unicus exiverit è Civitate, nec unicus, qui se ad labores cum efficacia non obtulerit, nec unicus, qui non laboraverit, neglecto omni periculo usque ad finem. Si Deus me conservet in vita, contagione finitâ, omnibus, quæ justa sunt, dabo, & pro publica ædificatione publicabo nomina omnium Presbyterorum, & Regularium, qui post Sacramenta peste infecto populo administrata, hac quoque correpti, morte in conspectu Domini pretiosa meruerunt (uti desuper convictus sum) coronam gloriæ, charitati heroicæ debitam, & præparatam. In hoc amplo catalogo, Admodùm Reverende Pater, nec unius nomen reperiet ex iis, qui facies suas ornant externo austeritatis & moralis rigoris apparatu, seu fuco: nec desuper mirabitur, cum eos non nisi pro aliis rigorosos esse sciat: amatores propriarum personarum pro conservanda sua vita, & augendis hujus commodis, & deliciis nihil omittunt, & iis, quos corruptores Doctrinæ Jesu Christi appellant, curam vitæ pro Fratribus sacrificanda relinqunt: imò dicere debeo, quod nullus appellantium, seu appellare cogitantium fuerit, qui vel minimum obsequium præstitit, vel præstare voluit, quamvis id Novellista Holandicus liberè spargat, absque pudore omnes eas falsitates seminans, quas ipsi communicant alii æque parum, ac ille ipse, sinceri. Falsum est, quod unus eorum facultatem excipiendi Confessiones Pestiferorum à me petiverit, vel petere curaverit: falsum pariter est, quod unus eorum in ædibus infectis astiterit, & eleemosynâ eorum inopiæ subvenerit. Si quæ pestis apud unum eorum inducta fuit, hoc unicè zelo, quo nimis præcipitanter hæreditatem suorum Fratrum tollere voluerunt, adscribere debent. Appellantes nostri, quibus cura animarum incumbit, Pœnitentium suorum, peste infectorum excipere constanter recusârunt: & nominare possem horum pœnitentium quosdam, iis aliàs summè addictos, qui indigna horum actione commoti, ante Sancti Viatici receptionem, speciem abjurationis suorum errorum fecerunt, cum authentico promisso, in hypotesi recuperatæ sanitatis nullum amplius commercium habendi cum iis, quorum totus zelus in vaniloquio, quo rudibus imponunt, consistit. Quidam horum heroum ex timore privationis beneficiorum regressi sunt, sed crassi, & pingues tranquillè inter sua morantur, semetipsos cum attentione curantes. Non dubito, quin illorum agendi modus comparatus illi eorum, erga quos clientibus suis, quos ceu captivos trahunt post se, contemptum, & horrorem inspirare non cessant, tandem efficiat, ut cæci voluntarii aperiant oculos. Oret Deum, Admodum Reverende Pater, pro nobis: omnia nostra mala à Festo omnium Sanctorum sensibiliter declinant, ut ex catalogo mortuorum, & infirmorum, qui nobis quotidie apportatur, apparet, ita ut vicinam liberationem sperare possimus: malum tamen, quamvis mitigatum, adhuc subsistit, & semper in umbra mortis versamur, & in vigilia comparendi coram Deo, & confessariò vestrarum orationum summopere indigemus. Hoc efflagito instanter, qui &c.

Massiliæ 19. Novembris 1720.

Henricus, Episcopus Massiliensis.

Pestis autem dum non sæviit, otiosa charitas non mansit: luctuosa mali occasio quod non dedit, institutio Missionum semper supplevit. Provinciis Galliæ dum ex frequenti harum exercitio communis laus debetur, Ludovicæa Provincia in illo

in illo peculiariter excelluit. Diœcesis & Diœcesеos locus reperiri vix est, qui harum fructum gratâ memoriâ non commendet, & zelum Fratrum in hoc mirabilem non deprædicet: hinc præter Missiones, quas volantes & arbitrarias vocamus, plures pro Fratribus privativè, statuto per Codices tempore peragendæ, sunt fundatæ. Potitur hoc spirituali commodo Angerium quolibet decennio: quolibet septennio ex fundatione Dominæ Chaudry, & Ludovici Boardin duæ Parochiæ, Insula & Ferriere, Conventui Marticæ confines: Carpentoractum pari temporis spatio, ex P. Honorati Cannetensis, infra memorandi operâ: quolibet quinquennio locus de Bourbon, unâ leucâ à Taracensi Fratrum Conventu distans: Loci quoque Des Baux, de Mouriez, ac Sancti Martini tribus leucis à dicto Conventu dissiti. Fundavit aliam D. Vincentius Penassiere in novem loci de Meyne vicinis locis, annuatim per 15. dies peragendam, emolumento 1300. librarum ad illius sumptus relicto: Bellicadri aliam quolibet octennio, annuo 2000. librarum censu ordinavit D. Carolus Blancherò, aliis 1000. libris Hospitali ibidem pro fideli summæ capitalis cura legatis. In ipso Bellicadri oppido quolibet decennio indicitur missio per mensem duratura, & alia in vicino loco Valabregues ad 15. dies extensa, cui utrique redditum 300. librarum, R.D. Henricus Patron assignavit, & Domina Longrez anno 1715. insigni stipendii additione consuluit. Brinolii Fratres quolibet quinquennio exeunt ad idem salutis opus in loco Montisfortis, à Domino Antonio Revertegat 400. librum proventu fundatum. Quolibet pariter quinquennio missio in loco Cotignac, & alia Bellæ quolibet quadriennio publicatur, quarum primæ à Domino Romi fructum 600. librarum, alteri autem 400. librarum à Domino Boisis pendi dispositum est. Reges ipsi Christianissimi mirabiles Missionum successus agnoscentes, eas pluribus in locis institui, & ampla stipe consoveri jusserunt: utque Apostolicus Fratrum labor, Regiæ benevolentiæ præmium, & pignus reciperet, non solùm plures Domos construi, sed etiam alibi cœptas fabricas, suo munere aut facilitari, aut citius terminari voluêre. Bellicadri lapides Castrj ibidem fabricæ Ecclesiæ applicari, & vicinum Conventui situm hujus clausuræ includi, & uniri, sicut & Ebreduni locum Fortalitii, in Domum nostram converti mandârunt. Alesiæ pariter, sicut & alibi cæmentis regii juris fabricas coadiuvari & alibi ipsas Regias Domos, Conventibus nostris conterminas, harum commodo aptari jusserunt. Variis insuper privilegiis & gratiis hinc inde Fratres cumulârunt. Bellicadri à molestiis, quas cursus & agitatio Taurorum in platea Ecclesiæ iis ingessit, eos liberârunt: in cura Fortalitii Sisteronis illos omnibus aliis prætulerunt: & illorum syndicos, ut liberiore studio Conventuum commodis invigilare valerent, ab omni officiorum onere, sequenti exemerunt Diplomate:

Ludovicus, Dei gratiâ, Franciæ & Navarræ Rex,
omnibus præsentes litteras lecturis
salutem &c.

Dilecti Nobis, Provincialis & Guardiani Capucinorum; Provinciæ dicti Ordinis S. Ludovici nuncupatæ, à qua omnia Monasteria Capucinorum, in Provincia Provinciæ, sicut & Nemausi, Bellicadri, Aquarum mortuarum, Poncis S. Spiritûs, Ucetiæ, Alesiæ, Barjaci, insimul cum iis Civitatum Vapinci, & Ebreduni in Provincia Delphinatûs existentia, dependent, Nobis humiliter exponi fecerunt, quod Civitates & loca, in quibus dicta Monasteria à Provincia S. Ludovici dependentia, sita sunt, à potiore parte Incolis professionis Religionis, quam Reformatam prætendunt, abundent, qui eò minus bonæ voluntatis erga Oratores se exhibent, cum eos in servitio Dei, & exercitio Religionis eidem,

quam

quam ipsi profitentur, contrariæ, zelantes cognoscunt; hoc autem spiritu aversionis, ipsis naturali & congenio, in omni occasione effectum hujus ab iis sentiri student: & quidem eò magis, quod Oratores commercio rerum temporalium totaliter privati, & secundùm eorum Regulam nec bona possidere, nec pecunias tractare valentes, pro sua substantia, adjutorio & ministerio Personæ Secularis, quæ subsidia charitatis pro eorum victu facta recipiat, & residuis necessitatibus & negotiis ipsis incumbentibus provideat, in quolibet dictorum Conventuum, & Monasteriorum indigeant. Ex quo Incolæ dictorum locorum, & Religionis reformatæ ordinariè prædictos Seculares, nomine Patrum Spiritualium, Syndicorum, & Fabricatorum dictorum Conventuum qualificatos, tutelis, curis, aliisque officiis personalibus onerant, quatenus per solertiam, qua dicta officia administrare obligantur, à cura victûs dictorum Monasteriorum abstrahantur, & proin hæc dictorum Patrum Spiritualium succursu privata, sæpius ad graviores necessitates redigantur. Cui præjudicio, ut provideatur, prædicti Oratores nobis demississimè supplicârant, quatenus dictos Patres Spirituales, Syndicos, & Fabricatores dictæ Provinciæ, Conventuum, & Monasteriorum in prælibata S. Ludovici Provincia existentium, ab omnibus officiis personalibus eximamus, & ad hunc finem nostras litteras ad id necessarias expediri faciamus. Quapropter Exponentes favorabiliter tractare, iisque opportuna media ad servandas Missiones in dictorum locorum, & Civitatum Conventibus erectas, quatenus harum habitatores exemplo probæ illorum vitæ, & devotionis uti valeant, præbere volentes, notum facimus, & ad requisitionem Reginæ Regentis, Nostræ Dominæ & Matris, & ex gratia nostra speciali, plena & Regia authoritate, per hasce præsentes, manu nostrâ signatas dicimus & declaramus, volumus, nobisque placet, ut prædicti Patres Spirituales, Syndici, & Fabricatores prædictorum Conventuum Patrum Capucinorum, à Provincia Ordinis, & S. Ludovici nuncupato dependentium, & in nostra Provincia Occitaniæ, & Civitate Nemausi, Bellicadri, Aquarum mortuorum, Pontis S. Spiritûs, Ucetiæ, Alesiæ, Barjaci &c. sicut & in Civitatibus Vapinci & Ebreduni in Delphinatûs Provincia existentium, inposterum maneant exempti, sicut Nos eos per hasce præsentes eximimus ab omni tutela, cura, sequestrationibus, consulatu, aliisque officiis personalibus, inhibentes omnibus Magistratibus, Judicibus &c. dictorum locorum, ne illos ullo dictorum officiorum personalium sub pœnâ mille librarum, nullitatis, cassationis, & omnium expensarum, damnorum &c. onerent. Ita mandamus nostris Ministris Parlamenti Tolosani, Aquensis, Gratianopolitani, Curiæ &c. Montis Pessulani, Provinciæ, & Delphinatûs, & locorum, in quibus prædicti Conventus siti reperiantur, ut præsentes legi, publicari, & registrari, ac illarum tenore tum Oratores, tum dictos Patres Spirituales, Syndicos, & Fabricatores dictorum Conventuum plenè, & pacificè frui faciant, omnia impedimenta in contrarium arcentes. Ita enim est nostra voluntas. In quorum fidem nostrum sigillum apponi jussimus præsentibus datis Ambiani 16. Junii anno gratiæ 1649., & nostri Regni septimo &c.

Ludovicus.

Quemadmodum autem charitas dum opere perficitur, simultaneâ actione perficit Viros virtute insignes, ita dum Ludovicæam Provinciam in charitatis operibus eximiam noscimus, fœtu quoque Illustrium Virorum celebrem consectariò inferimus. Hos singillatim recensere aliàs jam nimis extensum filum inhibet, nec lectori illos in libris Ordinis mirari molestum accidet: paucos hîc memorâsse sufficiat. Genuit hæc Provincia Viros, quos virtus Infulâ dignos effecit: Genuit Fr. Cherubinum Arelatensem, quem Sæculum Stephanum le Maigre, ex Illustri prosapia de Boussicaud vocitavit, & Professio inter Capucinos ad munia Ecclesiæ aptavit. Transiit postmodum, ut Gallia Christiana refert, ad RR. PP. Minores de Observantia, forsan, quod scrupulosa tunc Ordinis nostri humilitas, Mitram Grassensem ab Henrico Rege IV. ipsi oblatam, cum suæ paupertatis habitu commisceri renuerit. Rediit tamen mortuus ad eos, quos vivus deseruit, dum inter Capucinos, quos in Civitatem Grassensem 1617. induxit, sepelliri cum eorum Habitu voluit. Gloriatur & pariter de Fr. Athanasio de Mesgriny, quem eidem Ecclesiæ Grassensi prælatum fuisse, suprà fol. 25. memoravimus, & quem ortum suum in Civitate Aquensi sortitum esse novimus. Ad titulum Ecclesiæ

clesiæ Bethlehemiticæ anno 1223. ad Ditionem Ducum Nivernensium translatæ nominatus dicitur Fr.Carolus Tolonensis,& econtra in timore, & modestia Cabellionensem Pontificatum recusavit Fr.Hyacinthus Avenionensis,ex nobili de Joannis de Verclos stirpe, à S. m, Clemente XI. ei destinatum. Fuit Fr. Heronymus, Arelatensis, ex illustri Laurentiorum prosapia, duorum Archiepiscoporum, videlicet Caspari, Archiepiscopi Aralatensis, & Honorati, prius in Parlamento Regio advocati, & post mortem conjugis, Archiepiscopi Ebredunensis, sicut & Andreæ, Henrici Regis IV. Archiatris, Frater secundùm carnem Germanus, & trium Archiepiscopatuum, Aquensis, Arelatensis, & Ebredunensis nominatus successor, nullum tamen acceptavit, dicens: *Ego sortem meam humillimam, & hunc Capucini habitum vilem & asperum pluris facio, quàm omnes omnium Prælatorum titulos eminentes*, cùmomnium ob virtutum dotes, & Cæli dona, quæ tertius & Matisconensis Annalium tomus fol. 220. recenset, esset dignissimus.

Quoties memoria Fr. Honorati Cannetensis mihi obversatur, toties cum Apocalyptico Joanne ingeminare cogor: *Vidi alterum Angelum volantem per medium Cælum, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum*: Angelus fuit Honoratus, non solùm nomine, quo sacra Baptismi functio eum Angelum Raymundum anno 1632. vocavit, sed & illibatæ vitæ candore, quem omnium virtutum accessu servavit. Volavit per medium Cælum, seu Ecclesiam Galliæ, in qua Missionario zelo, & eo ignito zelo annuntiavit Evangelii veritatem, ut inter Ecclesiasticos Præsules eum secum, vel in sua Diœcesi Præconem habendi contentio, & amica oriretur æmulatio. Stupuerunt collectum ab eo fructum Tribus & lingua Parisiensis, Lugdunensis, Massiliensis, Tolonensis, Perpinianensis, Aquitaniæ, Montis Pelusii, Occitaniæ &c. &c. & Virum de Cælo sibi missum in Dei benedictione collaudârunt. Nunquam hominem sic sibi locutum esse concordi præconio asseruerunt,& nunquam Honorati memoriam à se recessuram, gratâ fide jurarunt. Transiens per Patriam Honorati, Vir nobilis, descendit de equo, & infixo terræ osculo, exclamavit: *Benedicta terra, quæ nobis dedit Hominem Magnum*; folia novitatum, quæ curiosum per orbem disperguntur, prodigia Missionum, amplo tramite publicârunt, & omnes, qui novernnt eum, sacro jubilo dona à Cælo ei collata comendârunt. Gaudium convertit in næniam annus millesimus sexcentesimus nonagesimus quartus, dum Angelum rapuit, & terræ datum ad Angelicum transtulit consortium, in hæreditatem salutis relictis libris, qui præseferunt titulos sequentes: *Regimen vitæ spiritualis*: *Praxis orationis mentalis*: *methodus faciendæ Confessionis generalis*: *Preces Christiani &c.* pluribusque manuscriptis.

Honorati nomen non gerit, sed honoris virtutem explicat Fr. Cherubinus à Noves, dum Melchior Cardinalis de Polignac, Christianissimi Regis ad Papam Orator, Familiarium suorum cœtui eum aggregavit, Serenissimus Poloniæ Rex Stanislaus suum in Aula Pontificia nominavit Theologum, Illustrissimus D. Nicolaus Lercarius per suam Avenionensem Legationem constituit Pœnitentiarium, Benedictus Papa XIII. S. Congregationi Indulgentiarum & Indicis adscripsit, Clemens XII. inter qualificatores S. Officii annumeravit. Aula Regia Procuratorem Missionum Galliarum in Oriente &c. designavit, Sacra Sedes hoc in munere confirmavit, Benedictus XIV. vacanti per obitum Définitorii Generalis sedili substituit, & postmodum Ordo per Capitularia votâ in hoc, anno 1747. fixit.

Clarescit & Provincia plurimâ nobilitate, & paucæ sunt in ea Familiæ Do-

Nobiles, sago vel togâ, ac officiis belli celebres, quæ eidem non dederint Filios, aut aliàs sanguine junctos: harum præcipuæ, quæ sequuntur, sunt: de Barreme, de Berthet, de Bonfils, de Brunet, de Chabert, de Dedons, Darcussia d'Esparon Desimiane (Familia S. Elzearii Comitis Agnata) Fourneri d'Autanne, de Gramboïs, de la Grange, de Guiran de la Brillanne, de Guimet, de Guyon de Crochans, de Joannis d'Ardenne de Verclos, de Laudun, de Mainser à S. Lamberto, de Meynier, de Movnier, de Nostradamus (ipsa celebris Astrologi Michaëlis Familia) Pons de Leautaud, Ponteves de Castellar, de Raousset, de Robert à S. Cæsario, de Rolland de Reauville, de Romiete de Garron, de Valobres, &c.

Ensem & Crucem Religionis Melitensis deposuit Fr. Joannes Franciscus de Piegon de Cabassoles, ut laicus inter nostrates non gloriaretur, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi, & in Cruce duorum ensium, quâ signatus olim S. P. Franciscus apparuit. Vota ejusdem S. Religionis, Fr. Ludovicus de Tournon, illustrioris in Provincia Familiæ germen commutavit in Capucini rigoris anathema. Gloriam Musæ, quæ in hac Provincia semper viruit, missam hîc facio, cum in Bibliotheca Scriptorum Ordinis abundè pateat; concludit autem Tertius Ordo elogium, dum se per virilem Fratrum curam in flore ubique servari fatetur.

Extenditur hæc Charitatis Provincia

Ad Conventus Fratrum	XXXX.
Monasteria Monialium	II.

EPISTOLA

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Communitati Brinolii facultatem erigendi Conventum concedi, Ordinario loci committitur.

SI amplitudini Tuæ constiterit, quod Communitas Brinolii, Diœcesis illius, novum Conventum pro Ordine Fr. Capucinorum expensis suis (prout hîc exponi fecit) erigere intendat, Illustrissimi Domini mei indulgent, ut Amplitudo Tua id exequendi licentiam impertiatur, ita tamen, ut habitatio, & commoda ad numerum duodecim Fratrum ad minus, tam in victu, quàm vestitu continuò manutenendum apta sint, & non aliàs. Ita &c. 29. Aprilis 1599.

Ex Regesto Arch. Secret. Congregat. anni & mensis præd. fol. 37.

Ad instantias Hieronymi Episcopi Cavallicensis fundationem Monasterii Sanctimonialium Capucinarum in Terra Insulæ approbat; à Monasterio eleemosynas Dotales in communi retineri posse declarat; provisiones ab Episcopo tum circa spirituale, tum temporale gubernium confirmat, ac Monialibus privilegia, & indulta aliarum Monialium Capucinarum communicat.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

MOnasteriorum Sanctimonialium, quæ relictis mundi illecebris sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantur, fundationes, & erectiones auctoritatis Apostolicæ munimine libenter roboramus, prout Venerabilium Fratrum Episcoporum, in partes nostræ sollicitudinis vocatorum vota exposcunt, ac aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecit

cit Venerabilis Frater Hieronymos Episcopus Cavallicensis, quod ipse ad piarum Virginum Deo famulari cupientium commodam receptionem in Terra Lillæ, suæ Diœcesis Cavallicensis, unum Monasterium Monialium Capucinarum nuncupatarum, Ordinis S. Francisci, erectum sub eadem Regula, quæ in Monasterio Monialium Capucinarum in Monte Quirinali de Urbe observatur, uno tantùm excepto, videlicet, quod pro dicti Monasterii ab eo erecti in illis partibus perpetuâ conservatione, & manutentione concessit, ut Monasterium præfatum in communi fundum eleemosynarum dotalium, quas quælibet Monialis in ingressu in prædictum Monasterium secum attulerit, possidere valeat; quodque jam domus cum officinis, & membris necessariis, & cum debita clausura, & Ecclesia ejusdem Monasterii extructæ sunt, ac in ipso Monasterio novem Moniales reclusæ permanent, quibus de Confessario idoneo, qui in quadam domuncula eidem Monasterio contigua habitat, ac de Procuratore Viro pio, & facultatibus commodo pro curâ rerum temporalium ejusdem Monasterii providet, ac prædictæ Moniales per biennium circiter regulam prædictam expertæ, illam magna cum ædificatione aliorum Christifidelium in sanctitate, & austeritate vitæ observant. Quare pro majori stabilitate, & conservatione dicti Monasterii, idem Hieronymus Episcopus cupit præmissa nostræ confirmationis Apostolicæ præsidio communiri, Nobisque propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Religionis, & divini cultûs augmento libenter intendimus, ejusdem Episcopi pietatem & Religionis zelum summopere commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto Venerabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium super consultationibus, & negotiis Episcoporum, & Regularium deputatorum, erectionem prædicti Monasterii Monialium, ac Regulam, & instituta prædicta, & illud signanter, quod dictum Monasterium hujusmodi eleemosynas dotales possidere valeat pro perpetua illius substentatione, cæterasque provisiones circa illius tam spirituale, quàm temporale gubernium à prædicto Episcopo factas, ac cætera statuta, quæcumque desuper, forsan edita, licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ipsiusque Ordinis regularibus institutis non adversantia, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, ac inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus. Præterea Dilectis in Christo Filiabus Superioribus, ac Monialibus dicti Monasterii nunc, & pro tempore existentibus, ut etiam sub cura, & obedientia Ordinarii permanendo, omnibus & singulis gratiis, privilegiis, indultis, & indulgentiis, quibus alia ejusdem Ordinis, & Regulæ Monasteria Monialium, etiam sub cura, & gubernio Fratrum Capucinorum degentium, de jure, usu, & consuetudine, aut aliàs quomodolibet uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere possint, & valeant, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Aprilis MDCII. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædictor. fol. 323.

AUTHORITATE APOSTOLICA

Crucem ante fores Ecclesiæ Fabricæ Domûs loci Maritimæ, seu Martici erigi conceditur, & omnibus Benedictioni ejus, & Processioni intervenientibus, centum dies, & iis, qui confessi, aut contriti coram dicta Cruce oraverint, septem anni de injunctis pœnitentiis ad decennium relaxantur.

Carolus, miseratione divinâ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ primus Cardinalis de Comitibus nuncupatus, in Civitate Avenionensi, & Comitatu Venayssino, & in illis, ac Viennæ, Ebreduni, Arelati, Aquensibus, & Narbonensibus Provinciis, illisque adjacentibus terris, & locis pro=Legatus.

Universis & singulis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam.

Cupientes, ut signum Sanctissimæ Crucis, in quo salus Mundi pependit, quam dilecti Nobis in Christo Religiosi, futuri Conventûs Fratrum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum in Villa Insulæ Martici, Arelatensis Diœcesis, seu ejusdem Conventûs Præsidens ante fores eorum jam inceptæ Ecclesiæ erigere proponunt, eò devotiùs à dictis Christifidelibus adoretur, & supplicationibus dictorum Religiosorum, seu Præsidentis inclinantes, dilecto Nobis in Christo Provinciali Ordinis, seu Præsidenti Conventûs hujus, Apostolicâ auctoritate, sufficienter ab Apostolica Sede facultate muniti, præsentium tenore committimus, ut Crucem prædictam erigendam, & tunc erectam cum omnibus, & singulis solemnitatibus requisitis benedicat, & ex Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, & juxta facultatem Nobis ab eadem Sede concessam omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque sexûs, qui in benedictione hujus, & processione facienda interfuerint, centum dies, & deinde quoties confessi, vel cum proposito corde peccata confitendi dictam Crucem adoraverint, piasque preces pro exaltatione Sanctæ Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ, hæresum extirpatione, ac Principum unione, aut aliis, prout eis suggeret devotio, effuderint, septem annos de injunctis sibi pœnitentiis, auctoritate, & tenore prædictis in Domino relaxamus, præsentibus decem annis duraturis.

Datum Avenione in Palatio Apostolico die vigesima octava mensis Octobris, Anno Incarnationis Domini, millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Clementis, Divinâ providentiâ Papæ VIII. anno decimo tertio.

Carolus Card. de Comitibus;

Authogr. in Archivo Conventûs.

EADEM AUTHORITATE.

In ejusdem Domûs Capella, in B. Virginis Mariæ festivitatibus, ac in festo S. Patris Francisci, Litanias Marianas, aut ter orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam &c. recitantibus, decem anni, & totidem quadragenæ de injunctis pœnitentiis in perpetuum relaxantur.

Joannes Franciscus, ex Comitibus Guidis à Balneo, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Patracensis, Illustrissimi, & Reverendissimi in Christo Patris, & Domini Domini, Scipionis, miseratione divinâ, ac S. Crysogoni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ primi Cardinalis Burghesii nuncupati, in Civitate Avenionensi, & toto Comitatu Venayssino pro Sanctissimo Nostro Papa, & Sancta Sede Apostolicâ in spiritualibus, & corporalibus Vicarii Generalis, & in illis, ac Viennæ, Ebreduni, Arelati, Aquensibus & Narbonensibus Provinciis, illisque adjacentibus terris, & locis ejusdem Sedis de latere Legati, Vicarius Generalis, & Vice-Legatus.

Universis, & singulis Christifidelibus præsentibus & futuris, salutem in Domino sempiternam.

Quantò frequentiùs fidelium mentes ad opera misericordiæ dispositas esse dignoscimus, tantò salubriùs cor animarum saluti, quantùm cum Deo possumus, consulere studemus; cupientes igitur, ut Capella sub gloriosissimæ Virginis Mariæ titulo, nec non Altare in ea sub ejusdem gloriosissimæ Virginis invocatione in Ecclesiâ Conventûs dilectorum nobis in Christo Religiosorum Capucinorum Villæ Insulæ Martici, Arelatensis Diœcesis sita, & ad quam Capellam, seu Altare, illorumque prædictam gloriosissimæ Virginis invocationem, Populus dictæ Villæ singularem gerit affectum, & devotionem

nem, congruis frequententur honoribus, & ab eisdem Christfidelibus jugiter venerentur, quò ex hoc ibidem dono cœlesti gratiæ conspexerint se esse refertos, & supplicationibus dicti Populi inclinati, ex Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexûs, qui dictam Capellam diebus Festivitatum dictæ gloriosissimæ Virginis Mariæ, ac Beati Francisci visitaverint, Litanias ejusdem Beatæ Virginis, aut tribus vicibus orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, aut alias pias orationes, prout suggeret devotio, ad Deum pro Sanctissimi Domini nostri Papæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Fidei Catholicæ exaltatione, hæresum extirpatione, & Principum Christianorum pacis & unionis conservatione, devotè recitantibus, quoties id fecerint, decem annos, & totidem quadragenas ex injunctis sibi pœnitentiis, Apostolicâ auctoritate sufficienter ad id, à Sede prædictâ facultate muniti, tenore præsentium misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuò valituris.

Datum Avenione in Palatio Apostolico, die vigesimâ secundâ mensis Julii, anno Incarnationis Domini millesimo sexcentesimo decimo septimo, Pontificatûs in Christo Sanctissimi Patris, & Domini nostri Domini Pauli, divinâ providentiâ Papæ Quinti, anno decimo tertio.

Archiepiscopus Pattacensis.

Autograph. in Arch. Conventûs.

Emptionem, & Donationem pro fabrica Domûs Fratrum in loco Insulæ factas confirmari committit, & duodecim saltem Fratres in hac morari sancit.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilecto Filio Officiali Cavallicensi, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INter cætera cordis nostri desiderabilia, illud potissimùm sinceris affectibus amplectimur, ut Domus, & Monasteria Regularia, & alia pia loca à Christifidelibus instituantur, in quibus personæ Religiosæ, spretis mundi illecebris, sub suavi Religionis jugo, in humilitatis spiritu, & pacis amænitate Altissimo famulatum reddere valeant; piisque fidelium id à nobis devotè exponentium votis, favorem Apostolicum libenter impertimur, prout locorum, & temporum qualitate pensatâ, id in Domino conspicimus salubriter expedire. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Consulum, ac Universitatis, & hominum Villæ Insulæ, Comitatûs Venayssini, Cavallicensis Diœcesis, petitio continebat, quod aliàs ipsi considerantes Ordinem Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, ob eorum Sanctimoniam, gratiâ cooperante Divinâ, se in diversas longinquas Orbis partes mirabiliter dilatâsse, eorumque bonæ famæ odorem ubique sparsisse, ac quamplurimos Christifideles eorum piis operibus, & fructu exinde ad universalis Ecclesiæ bonum proveniente, motos, terrena in cœlestia felici commercio commutando, eis Domos, & alia Regularia loca assignare, quinimo quamplurimos à vera salutis via aberrantes, ad eorum exemplum, relictis suis erroribus, ad rectum veritatis tramitem assiduo redire consuevisse, proindeque in Villa prædicta unam Domum dicti Ordinis pro majori Christifidelium habitatorum ejusdem Villæ devotione excitandâ, construi, & ædificari facere desiderantes, negotio hujusmodi cum dilecto Filio, Provinciali dicti Ordinis in illis partibus degente, communicato, quendam locum decem exminatarum, mensuræ illarum partium, cum medietate unius ruris prope, & extra mœnia dictæ Villæ, extra illius portam de Boigas nuncupatam, & in loco *de l'estan* situm, cui ab uno altera medietas dicti ruris, & pratum viginti duarum exminatarum similium, vel circa, ad dilectam in Christo Filiam, Antoniam, aliàs Cleovetam Gaufredam, mulierem Viduam, & hæredem quondam Antonii Valentini, & ab alio pratum, ad dilectum Filium, nobilem Virum, Gasparem de Brancassis, Baronem Doyse spectantia, & à reliquo lateribus, salvis aliis veriosibus confinibus, flumen Sorgicæ cohærent, sub directo Dominio Monasterii de Segovia, Cisterciensis Ordinis, prædictæ Diœcesis, ac censu annuo, & perpetuo viginti duorum florenorum monetæ dictarum partium, cum dimidio similis alterius floreni, summam quatuor ducatorum auri de Camera, vel circa constituentium, ad dilectam in Christo Filiam, Bertrandam Conjugem dilecti Filii, Jacobi Carriere, habitatoris dictæ Villæ, legitimè spectantem, pro pretio centum & sexaginta scutorum dictarum partium, sub certis pactis, & conditionibus, licitis tamen, & honestis, ac reservato desuper Sedis Apostolicæ beneplacito, à dicta Bertranda emerunt, prout in Instrumento emptionis hujusmodi

modi continetur. Et quia pro ampliori constructione dictæ Domûs alia medietas dicti ruris, & quatuor aliæ exminatæ prati dicti Antonii, sub directo Dominio dicti Monasterii, & solutione census annexi sex scutorum similium, & sexdecim quintalium fœni moventis necessaria erant, prædicta Antonia, ut fabrica ejusdem Domûs ampliaretur, dummodo dicti Monasterii Abbas censum dictorum sex scutorum, & sexdecim quintalium fœni hujusmodi, ad unum solidum Turonensem annuum, & perpetuum, sub beneplacito dictæ Sedis reduceret, eidem Domûs inibi construendæ perpetuò dedit, & concessit, quod quidem attendens Venerabilis Frater noster Gaspar, Archiepiscopus Arelatensis. Qui dictum Monasterium in Commendam ad sui vitam de concessione, & dispensatione Apostolica obtinet; & desiderans tam pium opus erectionis Domûs hujusmodi pro dictorum Consulum, ac Universitatis, & hominum consolatione, & Christifidelium devotionis augmento ad optatum finem perduci, venditioni horti, & medietatis ruris per Bertrandam, ac dationi, & concessioni per Antoniam prædictas eidem Domui sub solutione unius solidi, ut præfertur, factas sub dictæ Sedis beneplacito, ita, quod Fratres in dictam Domum introducendi à se, suisque in dicto Monasterio successoribus, ac quibusvis aliis ratione præmissorum, quovis quæsito colore, vel ingenio quandocunque molestari, vexari, vel impediri nullatenus possent, vel deberent, concessit, ac censum sex scutorum, ac sexdecim quintalium fœni hujusmodi, ad unum solidum, pro tempore existenti Abbati, seu perpetuo Commendatario dicti Monasterii quotannis præstandum reduxit.

Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, venditio, ac datio pro Fidei Catholicæ in illis partibus conservatione, & augumento, ac particulari populi devotione, quam erga dictum Ordinem gerunt, factæ, sint, proindeque Consules, ac Universitas, & homines prædicti plurimùm cupiant, illas per Nos approbari, & confirmari, pro parte eorundem Consulum, ac Universitatis, & hominum, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere, desuper Pastoralis Officii nostri partes favorabiliter interponere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui sacrarum Religionum propagationem, ac Divini Cultûs augmentum sinceris desideramus affectibus, Consules, ac Universitatem, & homines præfatos, eorumque singulos à quibusvis excommunicationis &c. & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Tuæ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus venditionem, ac dationem, & concessionem prædictas, auctoritate nostrâ approbes, & confirmes, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicias, nec non omnes, & singulos, tam juris, quàm facti, ac solemnitatum in eis forsan omissarum defectus suppleas. Insuperque eisdem Consulibus, Universitati, & hominibus, nec non Provinciali, ut inibi unam Domum dicti Ordinis cum Ecclesia, sub invocatione per eosdem Consules, ac Universitatem, & homines, atque Provincialem eligenda, campanis, campanili, humili claustro, dormitorio &c. aliisque officinis, & fabricis necessariis, & opportunis, pro unius Guardiani, & competentis numeri primodicti Ordinis Fratrum, saltem duodecim, per dictum Provincialem illuc introducendorum, qui juxta Regularia eorum Instituta Altissimo perpetuò famulari, & horas Canonicas, tam diurnas, quàm nocturnas, aliasque preces decantare, seu recitare valeant, perpetuis usu, & habitatione construere, & fabricare liberè, & licitè possint, & valeant, licentiam, & facultatem dictâ auctoritate concedas, & impartiaris; dictamque Domum, postquam illa sic constructa fuerit, in Domum Regularem primodicti Ordinis sine alicujus præjudicio, dictâ auctoritate, perpetuò erigas, & instituas, necnon Guardiano, & Fratribus ibi pro tempore degentibus, ut eleemosynas, aliasque res per quoscunque Christifideles pro tempore elargitas, & elargiendas, aliàs tamen Institutis eorum Regularibus non prohibitas, Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minimè requisitâ percipere, nec non omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis, antelationibus, favoribus, indultis, & aliis gratiis universis tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus alii primodicti Ordinis Fratres de usu, aut ex privilegio, vel consuetudine, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, similiter, & pariformiter, ac sine ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere; eidem Guardiano, ut quæcunque Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta ad ejusdem Domûs, illiusque Fratrum, & aliarum personarum, rerum, & bonorum spiritualium, & temporalium, curam, regimen, gubernium, directionem, & administrationem, eorundemque Fratrum receptionem, admissionem, ætatem, qualitates, victum, instructionem, disciplinam, modumque, & formam recitationis Divinorum officiorum, precum, orationum, & aliorum suffragiorum pertinentis, ac aliàs utilis, & ne-

necessaria, licita tamen, & honesta, sacrisque Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, & Concilii Tridentini Decretis, ac primodicti Ordinis Institutis Regularibus minimè contraria, ac ab Ordinario priùs examinanda, & approbanda condere, & quatenus pro rerum, & temporum qualitate, vel aliàs expediens videbitur, præviis examine, & approbatione hujusmodi, illa immutare, corrigere, moderare, & reformare, ac alia etiam de novo condere liberè, & licitè valeant, licentiam, & facultatem eadem auctoritate elargiaris. Nos enim, si approbationem, confirmationem, roboris adjectionem, defectuum suppletionem, concessionem, impartitionem, erectionem, institutionem, elargitionem, & alia præmissa per Te, vigore præsentium fieri contigerit, easdem præsentes semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscunque tenoribus, & formis pro tempore factis, & concessis comprehendi, sed semper ab eis excipi, ac quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac sic de novo, & sub quacunque posteriori data per Guardianum, & Fratres pro tempore existentes præfatos quandocunque eligenda concessas esse, & fore. Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos judicari &c. attentari contigerit &c. irritum, & inane decernimus. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædecessoris nostri de rebus Ecclesiæ non alienandis, & aliis Constitutionibus Apostolicis, nec non primodicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo undecimo, octavo Kalendas Decembris, Pontificatûs nostri anno septimo.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

AUCTORITATE APOSTOLICA

Recitantibus in Capella nostræ Dominæ de Montagu nuncupatæ, loci Tarasconis, Litanias B. Virginis, aut ter Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in Natali D. N. Jesu Christi, festivitatibus ejusdem B. Virginis, & singulis diebus Sabbati decem anni, & totidem quadragenæ, aliis verò diebus quadraginta dies de injunctis pœnitentiis in perpetuum relaxantur.

Joannes Franciscus ex Comitibus Guidi de Balneo, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Patracensis, Illustrissimi, & Reverendissimi in Christo Patris, & Domini D. Scipionis miseratione Divina, tit. S. Chrysogoni, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Burghesii nuncupati, in Civitate Avenionensi, & toto Comitatu Venaissino pro Sanctissimo Domino nostro Papa, & S. Sede Apostolica in spiritualibus, & temporalibus Vicarii Generalis, & in illis, ac Viennensi, Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi, & Narbonensi Provinciis, illisque adjacentibus terris & locis, ejusdem Sedis de latere Legati, Vicarius Generalis, & Vice Legatus.

Universis, & singulis Christifidelibus præsentibus, & futuris, salutem in Domino sempiternam.

QUantò frequentiùs Fidelium mentes ad opera misericordiæ dispositas esse dignoscimus, tantò salubriùs eorum animarum saluti, quantùm in Domino possumus, consulere studemus. Cupientes igitur, ut Capella sub nostræ Dominæ de Montagu titulo, nec non Altare in ea sub ejusdem nostræ Dominæ invocatione in Ecclesia Conventûs dilectorum Nobis in Christo Religiosorum Capucinorum, Villæ Tarasconis, à parte Provinciæ, Avenionensis Diœcesis sitâ, & ad quam Cappellam, & Altare, sub prædictæ Nostræ Dominæ de Montagu invocatione populus dictæ Villæ singularem gerit affectum, & devotionem, congruis frequententur honoribus, & ab iisdem Christifidelibus jugiter colantur, quò magis ibidem dono cœlestis gratiæ conspexerint se esse refertos, Nos supplicationibus dicti populi inclinati, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexûs, qui dictam

dictam Capellam visitaverint, Litanias ejusdem B. Virginis, aut tribus vicibus orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, aut alias pias orationes, prout suggeret devotio, ad Deum pro Sanctissimi Domini nostri Papæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Fidei Catholicæ exaltatione, hæresum extirpatione, & Principum Christianorum pacis, ac unionis conservatione devotè recitando, quoties in diebus Festivitatis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ac Festivitatum gloriosissimæ Virginis Mariæ, ac singulis diebus Sabbati fecerint, decem annos, ac totidem quadragenas dictis Festivitatibus, aliis verò diebus quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis, Apostolicæ auctoritatis sufficienter ad id à Sede prædicta facultate muniti, tenore præsentium, misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuò valituris.

Datum Avenione in Palatio Apostolico die decima nona mensis Decembris anno ab Incarnatione Dominica, millesimo sexcentesimo decimo septimo, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri Pauli Divinâ providentiâ Papæ V. anno decimo tertio.

J. F. Archiepisc. Patracensis.

Originale in Archivo Conventûs.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Episc., & Regul.

Fratres in Civitate, & Comitatu Avenionensi &c. Crucem propriam in Processionibus pro libitu portare posse, ad instantias Consulum, & Consiliariorum Civitatis Valreacensis declaratur.

Illustrissimo, & Reverendissimo Cardinali Burghesio, Avenionis Legato.

Illustrissime, & Reverendissime Domine.

PRo parte humilium, & devotorum Oratorum Consulum, Incolarum, habitatorum, & Communitstis Valreacensis, Vasionensis Diœcesis, humiliter exponitur, qualiter à quatuor, vel quinque annis, aut circa, quoddam Cœnobium Reverendorum Patrum Capucinorum inceptum fuerit ædificari in vicinia Urbis, tandemque, nimirum anno nuperrimè elapso, Deo bene juvante, perædificatum eleemosynis tam dictæ Communitatis, quàm eorum particularium, nedum, ut divinus cultus augeretur, verùm etiam, ut tantorum Virorum exemplo, sanctitate, ac pia devotione, malorum & impudentium flagitia per Urbem, vicos, & suburbana curiosè discurrentium, in omnium oculis, tuta fronte, ac ullo sine rubore viventium, si aliqui ibi reperirentur, coërcerentur; Ita, ut ad præsens Dei Opt. Max. benignitate dictum Cœnobium inhabitetur Familiâ ita honorabili, singulari ac prope divina virtute, doctrina, ingenio, pietate, laudabilibusque moribus adornatâ, ut hæc omnia in illis, & eorum singulis non summa modò, sed incredibilia esse videantur, unumquemque ad pietatem commoventia. Verùm, cum supplicationes quædam, seu processiones peragerentur, ad quas Reverendi Patres Conventuales jam dictæ Villæ accedere recusârunt, eò quod jam dicta Familia Reverendorum Patrum Capucinorum sub eorum Cruce incedere nolebat, magna tunc contentio, ac controversia hac de re orta fuit, & talis, ut in supplicationibus tum conceptivis, cum stativis, quæ postmodum in dicta Villa factæ fuerunt, præfata Familia Reverendorum Patrum Capucinorum adesse non ausa fuerit ad vitandum scandalum, quod inde oriri posset, & timebatur, &, ne concitaretur risus inimicis nostræ Sanctæ Fidei, qui non multùm distant à dicta Villa, quod in grave damnum dictorum Oratorum cedit. Quapropter, cum conatus, & intentio dictorum Fratrum Conventualium nullo prorsus legali fundamento corroboretur, sed solùm & dumtaxat fundetur super tali quali, & quadam prætensa consuetudine, quam vigere asserunt in Civitate Avenionis, in qua in similibus supplicationibus & actibus, præfati Reverendi Patres Capucini, Conventûs Avenionensis solent incedere sub Cruce dictorum Fratrum Conventualium, ac super Bulla felicis record. Gregorii Papæ Decimitertii, sub datum Romæ anno 1580.; cumque dicta prætensa consuetudo, quatenus ibi vigeret, prout non viget, ex quo præfati Reverendi Patres Capucini hucusque visi fuerint incedentes indifferenter sub eorum Cruce, aut sub Cruce dictorum Fratrum Conventualium, nihilominus tamen eis nullo modo nocere posset, tum, quia de jure extendi non posset de loco ad locum, & contrarium observetur nedum in tota Gallia, imò verò in Comitatu Venaissino, prout videre est in Civitate Carpentoractensi, quamvis in ea adsit Conventus de Observantia, de quibus pariter jam dicta Bulla loquitur; Attamen posito, quod hoc esset, non posset obtine-

tinere vim legis, cum nusquam pro ea judicatum extiterit, nec plus posset operari, quàm verba dictæ Bullæ, quæ, si benè inspiciantur, non important necessitatem incedendi sub Cruce Fratrum Conventualium, sed tantùm illis permittitur de incedendo sub illa, si ita illis videatur, & placuerit, & sic non possunt cogi uti dicto pacto, in eorum favorem apposito, tum, quia declaratio voluntatis non intervenerit, tum etiam, quia, quod contra juris rationem receptum est, non est producendum ad consequentias: & tantò magis, quod, si hoc traheretur in consequentiam damni, certè totum Ordinem dictorum Patrum Capucinorum afficeret, cum dicti Patres Conventuales parùm religiosè, & continenter vivant, & se jactaverint & jactent continuò, hoc in pœnitentiam dictis Reverendis Patribus Capucinis adjunctum, ac sic eorum abstinentiæ, morum honestas, & bene vivendi modus, pœnam aliquam mereretur. His igitur de causis, aliisque permultis, quæ brevitatis causâ hîc prætermittuntur, dicti Oratores ad Illustrissimam, & Reverendissimam Dominationem Vestram recurrunt, uti ad inopum, & afflictorum Parentem optimum, & tamquam ad suum certum, & singulare præsidium confugiunt, opem Illustrissimæ Dominationis Vestræ implorantes, ut his quanto-citiùs finem imponere deliberet, & opportuno remedio eis provideatur: supplicantque humillimè dicti Oratores Illustrissimam Dominationem Vestram, ut statum, & merita causæ hujus pro sufficienter expressis habitis declaret, dictam prætensam consuetudinem allegatam Avenionensem non potuisse, nec posse ligare alios Conventus dictorum Reverendorum Patrum Capucinorum alibi existentes, verbaque dictæ Bullæ felicis record. Gregorii XIII. non sonare in præceptum, itaut injungatur dictis Reverendis Patribus Capucinis de incedendo sub Cruce Fratrum Conventualium, aut de Observantia, quinimò dictos Reverendos Patres Capucinos habere electionem incedendi, vel non incedendi sub illa, & omnimodam facultatem Crucem propriam ferendi, dum, & quando eis videbitur, & ob id licere, & licuisse illis in supplicationibus quibuscumque, & cujuscumque generis sint, incedere sub propria Cruce, & nihilominus inhibitiones congruas decernere, ut dictis Fratribus Conventualibus de non posthac turbando, molestando, aut inquietando directè, vel indirectè, & quovis quæsito colore dictos Reverendos Patres Capucinos in ferendo propriam eorum Crucem, & incedendo sub eadem, statutis, consuetudinibus, stylis, legibus, Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis, etiam de necessitate in specie, vel individuo exprimendis non obstantibus, quibus omnibus derogare placeat, cum absolutione à censuris ad hos effectus, & quod sola vestra signatura sufficiat in judicio, & extrà, fidem faciat, & dicti Oratores Deum Opt. Max. pro felici statu ejusdemnet Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationis Vestræ perpetuò exorabunt.

Humillimi, & devotissimi Servi Illmæ, & Rmæ D. V.

Consules, & Consiliarii.

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, Illustrissimo Philonardo referente, censuit Fratres Minores Sancti Francisci Capucinos nuncupatos in Civitate, & Comitatu Avenionis degentes, Crucem propriam, si eis ita lubuerit, in processionibus deferre posse.

Romæ XXV. *Septemb.* MDCXV.

A. Mar. Card. Gallus.

Ex Archivo Secretariæ Sac. Congreg. mens. & anni præd. fol. 113.

LITTERIS APOSTOLICIS.

Visitatio Ecclesiæ Fratrum ab Episcopo Sisteronensi vi facta reprobatur, & Episcopum de læso Regularium privilegio moneri, Vice-Legato Avenionensi committitur.

Perillustri, ac Reverendissimo Domino, uti Fratri, Domino Vice-Legato Avenionen.

Perillustris, ac Reverendissime Domine, uti Frater,

EX Constitutione sanctæ memoriæ Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, Regulares exempti, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, nequaquam subjecti fuerunt Episcoporum jurisdictioni, in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis, personis sæcularibus administrandis, iidem Regulares delinquunt. Proindeque nequaquam licet Episcopis in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non imminet animarum cura Personarum Sæcularium, nec loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur Sanctiss-

ctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quemadmodum, jam diu declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum; cujus sententiam illico approbavit ejusdem Constitutionis Conditor Gregorius, moxque Sanctissimus Dominus noster Urbanus VIII. Quamobrem mirati sunt Illustrissimi Patres, quod Episcopus Sisteronensis, nullâ Apostolicæ hujus declarationis ratione habitâ, præscriptosque suæ facultatis limites transgressus, Ecclesiam Capucinorum, ac Sanctissimam Eucharistiam, quæ inibi asservatur, brachii sæcularis auxilio implorato, per vim visitare, nullaque suffultus auctoritate, Apostolicas exemptiones temerè violare præsumpserit; quibus ad Sanctissimum Dominum nostrum delatis, Sanctitas Sua ad amplitudinem Tuam litteras dari (quod facimus) mandavit, ut eidem Episcopo significet, ex visitatione hujusmodi, quæ nulla prorsus atque irrita fuit, nullum præjudicium Capucinorum privilegiis illatum fuisse, ipsique Sanctitatis Suæ auctoritate injungat, ut inposterùm abstineat ab hujusmodi visitationibus, contentusque sit auctoritate, quam illi Sedes Apostolica in exemptos tribuere dignata est. Deus Amplitudinem Tuam diu servet incolumem.

Romæ die XXII. Junii MDCXXIV.

Amplitudinis Tuæ.

Cardinalis de Torres.

N O T A.

Apostolicas Litteras indilatæ executioni mandari curavit Dominus Vicarius Generalis, Mandato subnexo:

Cosmus Bardus, ex Comitibus Verniæ, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Carpentoractensis, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Domini Francisci, miseratione Divina Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis Barberini, nuncupati, in Civitate Avenionensi, & toto Comitatu Venaissino pro Sanctissimo Domino nostro Papa, à Sancta Sede Apostolica, in spiritualibus, & temporalibus Vicarii Generalis, & in illis, ac Viennensi, Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi, ac Narbonensi Provinciis, illisque adjacentibus Terris, & locis ejusdem Sedis de latere Legati Vicarius Generalis, Vice-Legatus, Commissariusque, ac Executor Apostolicus ad infrascripta specialiter deputatus, universis, & singulis Abbatibus, Prioribus, & tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, Presbyteris, Clericis, Notariisque, & Tabellionibus publicis per Civitates, & Diœceses Aquensem, Sisteronensem, Aptensem, & Regiensem constitutis, salutem in Domino sempiternam, & à nostris hujusmodi imò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis nuper ad Nos de mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ transmissas fuisse litteras Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis de Torres, Sacræ Congregationis Illustrissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Pro-Præfecti sub datum Romæ vigesima secunda Julii ultimi præteriti, tenoris sequentis: Ex Constitutione residuum uti suprà.

Hinc est, quod Nos, qui inter alias sollicitudines, quibus in nostro, vel Legationis munere obeundo premimur, hanc potissimum habemus, ut in omnibus, & ante omnia Mandata Apostolica exequantur, & observentur. Præinsertas igitur litteras debitæ executioni demandare volentes, Vobis omnibus, & singulis supradictis in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus receptis præsentibus indilatè duo, aut unus Vestrûm ad Reverendissimum in Christo Patrem Episcopum Sisteronensem, in eisdem litteris designatum, accedatis, eidemque, si personaliter apprehendi possit, sin minus, factis tribus diligentiis per affixionem copiæ præsentium in Valvis Ecclesiæ Cathedralis, & dimissionem alterius Copiæ ejus Vicario in Civitate Sisteronensi residenti. omnia & singula in præinsertis litteris contenta significetis, ipsique auctoritate præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ injungatis, sub modo, & forma in eisdem litteris contentis, quarum, nec non, & præsentium, ac per Vos desuper faciendæ relationis copiam eidem Reverendissimo Episcopo tradatis, & expediatis, ne causam ignorantiæ prætendere possit, præsentes verò litteras nostras unà cum eadem relatione, per Vos faciendâ, debitè subscriptas quamprimùm ad Nos tutò remittere curetis, & faciatis.

Datum Avenione in Palatio Apostolico die vigesima mensis Augusti Anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo quarto Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Urbani, Divina providentia Papæ Octavi Anno secundo.

Cosmus, Episcopus Carpentoracten. Vice=Legatus.

Autograph. in Arch. Secret. Congregat. præd. lib. 11. fol. 177.

DE

DECRETO

Sac. Congregat. de Propaganda Fide coram Sanctissimo undecima Martii 1641. habita

A' Missionariis Provinciæ, eleemosynas tempore perceptionis fructuum collectas, conservari posse conceditur.

Referente Eminentissimo Domino Cardinale Sancti Honuphrii, litteras Fratris Angelici Provincialis Capucinorum Provinciæ Sancti Ludovici in Gallia de progressibus Missionum dictæ Provinciæ, & instantiam ejusdem Patris Angelici, ut Missionarii, qui mendicatione quotidiana vivere nequeunt, possint temporibus perceptionis fructuum quæstuare, & eleemosynas, quas habere poterunt, conservare ad eorum necessariam sustentationem &c.

Sacra Congregatio, post commendatas diligentias PP. Missionariorum, censuit, si Sanctissimo placuerit, facultatem petitam, eisdem Missionariis esse concedendam in locis Missionum, in quibus ex quotidiana mendicatione se sustentare non possunt.

Eodem die Sanctissimus Dominus noster Decretum Sacræ Congregationis probans, facultatem petitam dictis Missionariis concessit &c.

Card. Ant. Barberinus Præfectus.

Franciscus Ingolus Secret.

Cæmenta, & alia materialia veteris Domûs Pertusii, per Syndicos vendi, & in solutionem debitorum ob fabricam novam contractorum converti indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum, sicut Nobis nuper exponi fecisti, dilecti Filii, Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, loci *de Pertuis*, in Provincia Provinciæ, eorum Conventum dicti loci, situm in quodam situ inclementioris aëris dereliquerint, & alium Conventum in eodem loco, in situ tamen aëris salubrioris construi fecerint, ad præsens verò primodictum antiquum Conventum hujusmodi, illiusque Ecclesiam demoliri, & cæmenta, & alia materialia ex hujusmodi demolitione provenientia, unà cum toto residuo sitûs prædicti vendere posse desiderent, ut ex pretio inde redigendo eorumdem Fratrum creditoribus, pro pecuniis expensis in fabrica novi Conventûs supradicti satisfiat. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Te, Fratresque prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ecclesiam antiqui Conventûs prædicti, translatis inde ossibus Defunctorum, si qui in ea sepulti sint, & superficie terræ ad alium locum sacrum, & aliàs ritè prophanari, & ad prophanos, non tamen sordidos, usus redigi, illamque, nec non antiquum Conventum demoliri, ac cæmenta, & alia materialia Ecclesiæ, & Conventûs hujusmodi post illorum demolitionem, cum illorum situ pretio reperibili, & meliori per Syndicum dicti Conventûs vendi faciendi, ut ex eo quibusvis personis, quarum ipsi Fratres ratione, & pro servitio novæ fabricæ hujusmodi debitores sunt, satisfieri possit, facultatem Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus felic. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Conventuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod venditio, & pretii conversio, unico contextu fiant, vel saltem ipsum penès Montem Pietatis, vel personam fide, & facultatibus idoneam deponatur, inde non amovendum, nisi ad effectum illud, ut præfertur, convertendi.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Novembris MDCXLIII. Pontificatûs Nostri anno vigesimo primo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum mensis, & anni prædict. fol. 5.

EPISTOLA

Sacri Congregationis Concilii.

In locis, ubi Fratres Conventus non habent, Parochos, vel Vicarios pro revidenda Quæstuantium licentia deputari, Episcopus Aquensis monetur &c.

Reverendissime Domine, uti Frater.

QUamvis Sacra Congregatio sibi persuadeat, Amplitudinem Tuam Fratribus Capucinis eleemosynas per ejus Diœcesin in iis locis, ubi Conventum non habent, petentibus paternâ benignitate favere, prout sanctimonia Ordinis universæ Reipublicæ Christianæ spectata merito suo postulare videtur: Attamen Eminentissimi Patres supervacaneum minimè censuerunt, novos Amplitudinis Tuæ pietati stimulos addere, ipsam hortando, ut, quoniam satis incommodum eisdem Fratribus est ad Civitatem Aquensem se conferre, ut ibi Amplitudini Tuæ exhibeant licentiam suorum Superiorum, prout eos teneri aliàs Sacra Congregatio declaravit, certas Personas in iis, scilicet vel Parochos, vel Vicarios foraneos deputet, quibus prædictæ licentiæ possint legitimè ostendi. Quod & Episcopali charitati consentaneum, & discretæ providentiæ conveniens cum sit, sperant Eminentissimi Patres Amplitudinem Tuam in hoc etiam charismata meliora æmulaturam. Dum illi diutinam à Deo precamur felicitatem.

Romæ 11. Martii 1662.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater

V. Episcopus Sabinensis
Card. Sacchettus.

Exempl. Authent. in Archivo Gener. Ord. Armario Provinciæ S. Ludovici.

Litem, & causam circa testamentum, quo Joannes Angelus Deveras Domum propriæ habitationis, summamque duorum millium scutorum pro Domo Novitiatûs in Civitate Avenionensi construenda cum onere Missæ perpetuæ legavit, à Monialibus Ordinis S. Augustini excitatas, ad se avocat, silentium imponit, & Cardinalis Vice-Legati sententiam confirmat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Civitatis nostræ Avenionensis, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod quondam Joannes Angelus Deveras, dum vixit, Civis dictæ Civitatis, in suo ultimo testamento Domum propriæ habitationis unà cum hortis illi contiguis, & summam bis mille scutorum ipsis exponentibus pro constructione Domûs Novitiatûs ejusdem Ordinis, in qua perpetuis futuris temporibus quatuor Sacerdotes unà cum Novitiis adesse, nec non singulis diebus Missam Conventualem pro requie animæ suæ celebrari voluit, legavit; & quatenus legatum hujusmodi acceptare nollent, vel aliàs illius effectu se juvare non possent, Domum & hortos prædictos Monialibus Monasterii S. Augustini, ejusdem Civitatis, sub certis conditionibus pariter legavit, & aliàs, prout in dicto testamento uberiùs dicitur contineri. Defuncto autem dicto Joanne Angelo Testatore, tunc existens Syndicus Apostolicus Conventûs dictorum Exponentium legatum prædictum nomine Sedis Apostolicæ acceptavit, & obtentis tam à Vicario, tunc existentis Archiepiscopi Avenionensis in spiritualibus generali, quàm à Vicario generali totius Ordinis prædicti opportunis licentiis, de mandato tunc pariter existentis Sedis prædictæ, quæ tunc vacabat, in eadem Civitate Avenionensi, & Comitatu Venayssino Vice-Legati, & ipso præsente dictæ Domûs probationis, seu Novitiatûs fundamenta, per prædictum Vicarium Archiepiscopi Avenionensis, juxta formam per Rituale Romanum præscriptam, posita fuerunt, & ex tunc Exponentes prædicti habitationem Novitiorum jam à pluribus annis in dicta Civitate Avenionensi existentem, in dictam Domum legatam transportârunt, ac in illa Chorum cum Sacramentis exercere cœperunt, sicuti de præsenti exercent in Capella, quæ in eadem Domo legata, auctoritate Apostolica

lica

lica erecta fuit, in cujus pariter possessione, simul & juris exigendi residuum præfati legati bismille scutorum, mediante eorum Syndico, stante oppositione pro parte dictarum Monialium Monasterii Sancti Augustini, coram memorato Vice-Legato factâ, quasi eorum loco ad prædictam fundationem admittendæ fuissent, per duas ordinationes manutenti fuerunt, ac in judicio appellationis pro parte earumdem Monialium, ac dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum dictæ Civitatis, subinde coram tunc existente, S. R. E. Cardinale, dictæ Sedis in Civitate, & Comitatu prædictis de latere Legato introductæ, ipsi Exponentes sententiam absolutoriam à petitis per easdem Moniales, ac Communitatem, & homines prædictos obtinuerunt, unà cum mandato de manutenendo in possessione dictæ Domûs legatæ, ipsiusque jurium, & de solvendo residuum prædicti legati bis mille scutorum.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Moniales, ac Communitas, & homines prædicti, prædictis non acquiescant, sed per appellationem ad Nos, & Sanctam Sedem præfatam interpositam, fundationis Domûs Novitiatûs hujusmodi suppositam nullitatem prosequi prætendant, & prætextu, quod ex parte dictorum Exponentium pro illius validitate, beneplacitum ejusdem Sedis obtentum non fuerit; Ipsi verò Exponentes beneplacitum quidem hujusmodi desuper non requiri, & in omnem eventum concessum à dicto Vice-Legato sufficere existiment; ad sopiendas tamen omnes difficultates, opportunè sibi in præmissis à Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis &c. censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac litis, & causæ hujusmodi statum, & merita, nominaque & cognomina, ac qualitates Judicum, & collitigantium, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, easdem litem, & causam, in statu & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, à quibuscumque Judicibus, & Tribunalibus ad Nos auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium avocamus, illasque perpetuò supprimimus & extinguimus, & perpetuum desuper utrique parti silentium imponimus, obsque occludimus.

Præterea fundationem & erectionem dictæ novæ Domûs Novitiatûs, seu probationis, mediante Legato dictis Exponentibus, sicut præmittitur, factam, & per eorum Syndicum nomine dictæ Sedis Apostolicæ acceptatam, ac translationem Novitiorum hujusmodi factas, ut præfertur, concessumque desuper à memorato Vice Legato beneplacitum, seu licentiam, cum omnibus & singulis inde cæteroquin legitimè secutis, & secuturis, auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac tam interventos beneplaciti dictæ Sedis, quàm alios quoslibet juris, & facti defectus, si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri & prætendi possent, supplemus & sanamus, &, quatenus opus sit, opportunum super fundatione & erectione novæ Domûs Novitiatûs, seu probationis hujusmodi, Novitiorumque in eam translatione beneplacitum, ita, ut dicti Exponentes eamdem Domum omnibus suis numeris absolvere, & perficere liberè & licitè possint, nec ea in re à præfatis, aliisve personis quibuslibet, ullo modo impediri valeant, eadem auctoritate, barum serie, de novo concedimus, & impertimur. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & in omnibus respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, eorumque Vice-Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus pendentia, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, præfatorum Ordinis, & Civitatis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Augusti MDCLXXIV. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Autograph. in Arch. Secr. Brev. Apostolic. Regesto mensis, & anni præd. fol. 21.

N O T A.

JUxta Archivi Avenionensis tabulas, Joannes Angelus DeVeras, dives Civitatis Avenionensis Mercator, inter alia pietatis legata Fratribus nostris non solùm emptas suæ in dicta Civitate habitationis ædes, cum contiguo horto, aliisque pertinentiis, verùm etiam summam sex millium Librarum pro construendo ibi Novitiatu, cum Ecclesia, in quo quatuor Patres cum dictis Novitiis in perpetuum residerent, anno 1669. legavit, adjecto onere, tum, ut Missa in perpetuum pro anima ejus celebraretur, tum, ut supra portam dictæ Capellæ inscriptio fundationis, cum armis suis gentilitiis apponeretur. Caso autem, quo Fratres fundationem hujusmodi acceptare renuerent, aut illâ frui præpedirentur, dictam Domum, & hortum cum connexis, ad RR. Moniales, Ordinis S. Augustini, in eadem Civitate degentes devolui disposuit, subjuncto pariter onere, ut ibi residerent, eum ceu Fundatorem recognoscerent, pro anima ejus pias ad Deum preces funderent, & in perpetuum tres pauperes ejusdem Civitatis puellas, per suum hæredem, & successores nominandas reciperent, huncque in finem summam novem millium librarum, in loco, & fundo ejusdem Civitatis idoneo, investiendam designavit. Eodem, quo piæ suæ voluntatis tabulam condidit, anno, è vivis discessit, Fratresque incunctanter, & modo ipsis per regulam, & Ordinis Constitutiones permisso, possessionem captârunt, Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Vice-Legato, executionem testamenti præscribente, per Documentum in suprapositis litteris Apostolicis allegatum, & hic subnexum.

Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo, & die decima quarta mensis Aprilis, Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Vice-Legatus Avenionensis, in executionem Epistolæ Reverendi Admodùm Patris Bonaventuræ, Ordinis Capucinorum Vicarii Generalis, providendo instantiis suæ Excellentiæ factis, pro parte, & ad instantiam R. Domini Claudii de Felix, uti Syndici RR. PP. Capucinorum præsentis Civitatis, & audito, in quantùm opus, Nobili Domino Petro de Tulle V. &c. à Procuratore Generali Sanctæ Sedis in his partibus, nec non viso ultimo elogio Domini quondam Angeli DeVeras, Civis præsentis Civitatis, rogato per Magistrum Petrum Mounier Notarium, & Actuarium ejusdem, sub die sexta Martii anni millesimi sexcentesimi sexagesimi noni. Visis etiam litteris testimonialibus Reverendi admodùm Domini Ludovici Mariæ Suares Præpositi, & Vicarii Generalis Avenionis, sub die undecimo Octobris ultimo præteriti, & habita plenâ informatione facti, de quo quæritur, & notanter ordinationis per ipsam factæ, per acta subsignata de die vigesima Maii ultimò præteriti; ne etiam depositi summæ mille quingentarum trium Librarum & sexdecim solidorum, de pretio quarumdem statuarum, aliarumque rerum mobilium, penes D. Antonium Pinlat, præsentis Legationis Thesaurarium generalem: Visis denum omnibus videndis, voluit & ordinavit dictum Elogium Domini DeVeras mandari quamprimum executioni circa erectionem Capellæ, & Monasterii ad usum Novitiatûs Capucinorum, Provinciæ Sancti Ludovici, juxta omnes modos, formam, & qualitates, de quibus in dicto Elogio; ita ut voluntas defuncti quoad dictam erectionem, & omnia illam concernentia quantociùs sortiatur effectum, nec longiùs pia intentio defraudetur. Mandavit insuper, & ordinavit, quod dictus Dominus Thesaurarius per diem sequentem debeat relaxare dictam summam mille quingentarum trium librarum, & sexdecim solidorum dicto Domino de Felix, Syndico PP. Capucinorum, quo quidem mediante, dictus Dominus sit benè, & debitè quietatus adversus omnes. Decernendo pro præmissis quodcumque mandatum magis necessarium, & opportunum, etiam executivum, contra hæredes dicti Domini DeVeras, seu alios ab eisdem jus, & causam habentes, in ordine ad solutionem scutorum bis mille, pro causa memoratæ erectionis. Decrevit etiam inhibitiones in meliori forma adversus omnes, & singulos, quibus opus erit pro executione præmissorum, & pariter, in quantùm opus, derogavit omnibus, & singulis in contrarium facientibus quibuscumque, etiamsi talia forent, quorum aliàs individualis, & specifica mentio requireretur · voluitque dictas litteras testimoniales in calce præsentium registrari, & eo mediante illarum originale restitui per me Actuarium subsignatum dicto Domino de Felix &c.

L. Lomellinus.

Quam Sententiam jam prius, & Vicarius Generalis Archiepiscopi Ecclesiæ Metropolitanæ Præpositus, suo quoque communivit assensu sequente &c.

Ludovicus Maria Suares, Presbyter, J. U. Doctor, Prothonotarius Apostolicus, Præpositus Ecclesiæ Metropolitanæ Avenionis, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Azonis Areosti, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Avenionensis Vicarius, & Officialis Generalis.

Universis, & singulis præsentes litteras inspecturis salutem.

Viso testamento Domini DeVeras nuper defuncti, per quod Domus dicti Domini DeVeras, sita in hac Civitate Avenionensi, & in Parochia S. Genesii, RR. PP. Capucinis Ordinis S. Francisci Avenionis, ad finee,

fines, in hoc supradicto testamento contentos, legatur., & attento, quod dicti RR. PP. Capucini declarârunt se velle observare, quæ defuncti intentionem, & animum spectant, nec non in dicta Domo habitare, Religionis probationem, & Novitiatum ibidem collocare, instituere, & erigere; Concedimus, & libenter annuimus, ut ultima Testatoris voluntas executioni mandetur, & adimpleatur, dicti RR. PP. Capucini ibidem in dicta Domo resideant, Novitiatum collocent, & exerceant, suaque munia, ut in hac Civitate solent, peragant. In quorum fidem præsentes sigillo præfati Illustrissimi, & subscriptione nostrâ munitas, per Avenionensis Archiepiscopi Secretarium infrascriptum fieri, & signari mandavimus.

Datum Avenione in Palatio Archiepiscopali die undecima Octobris anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo nono.

Ludovicus Maria Suares, Præpositus,
& Vicarius Generalis.

De Ponte Secret.

Fabrica dum celeri labore progrediebatur, Moniales illius cursum sistere tentârunt, varioque prætextu, & præsertim ex defectu beneplaciti summæ Sedis, fundationem Novitiatûs nullam prætendetunt. Post varias tricas, & vexas, Breve Apostolicum supcapositum iis silentium, & causæ finem imposuit, & Ecclesia cum Conventu, ex summa testamentaria, & ex aliis mille quingentis, & tribus libris, quæ ex venditis statuis, & mobilibus in horto repertis redigebantur, ad culmen perfectionis, & quietis pervenit &c.

Restrictam prius facultatem circa Moniales Civitatis Massiliensis à Fratribus gubernandas perpetuat, & adinstar Monasterii Parisiensis has vivere, & Capellanos &c. eligi debere sancit.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam,

INjuncti Nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut paternam sacrarum Virgioum, & devotarum mulierum, quæ oblitæ populum suum, & domum Patris sui, divinis obsequiis sese sub suavi Religionis jugo devoverunt, curam gerentes, felici earum directioni, atque progressui, quantùm Nobis ex alto conceditur, prospicere jugiter studeamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ Moniales Capucioæ, Monasterii S. Claræ, quæ *Filiæ Pasitonis* vulgò vocantur, Civitatis Massiliensis, quod, cum dictum Monasterium dudum à quondam Martha d' Oraison, dum vixit, Baronissa loci de Alemagna, & Vice-Comitissa de Valerne, sub directione, & regimine Fratrum Minorum, Ordinis S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, fundatum fuerit, prout in litteris Venerabilis Fratris nostri Fraocisci, Episcopi Ostiensis, S.R.E. Cardinalis Barberini ouncupati, qui tune temporis legationis Apostolicæ munere io Regno Galliarum fungebatur, die XXII. Aprilis MDCXXV. desuper expeditis, dicitur contineri; commissa verò Fratribus prædictis per easdem litteras Monasterii hujusmodi directio, ad sexconium restricta extiterit, ac proinde eamdem directionem sive sexennium hujusmodi, subinde de sexennio in sexennium à pro tempore eaistentibus Apostolicæ Sedis in Civitate Avenionensi, & Comitatu nostro Venayssino Vice-Legatis confirmari, seu prorogari oportuerit: ipsæ Exponentes, ut arcta regularis disciplinæ observantia, quæ Domino benedicente, in dicto Monasterio de præsenti viget, firmius stabiliatur, atque perennet, plurimùm cupiunt idem Monasterium, ejusque Moniales, regimini, atque directioni memoratorum Fratrum perpetuò subjacere, quemadmodum reliquis omnibus Monialium Capucinarum Monasteriis, in Regno prædicto consistentibus, ea indulto dictæ Sedis, & præsertim Monasterio Parisiensi Monialinm Capucinarum hujusmodi, à felic. record. Clemente PP. VIII. prædecessore nostro, per quasdam suas desuper sub plumbo anno Incarnationis Dominicæ MDCIII. Idibus Septembris eapeditas litteras, concessum reperitur. Nobis propterea dictæ Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi io præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictas Exponentes specialibus &c. volentes, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum, ejusdem S. R. E. Cardioalium, negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ut modernæ, & quandocumque futuræ Superiorissa, & Moniales Capucinæ dicti Mona-

nasterii Sanctæ Claræ, Civitatis Massiliensis, sub obedientia, visitatione, correctione, subjectione, & omnimoda superioritate, nunc & pro tempore existentium Superiorum prædicti Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum, adinstar Monialium Capucinarum præfati Monasterii Parisiensis vivere debeant, ac Capellanos, & Confessarios, ex eodem Ordine Fratrum Capucinorum, à Capitulo Generali, ad id pro tempore deputandos, qui in Ecclesia ejusdem Monasterii Massiliensis Missas, & alia Divina officia celebrent, ac illis in divinis deserviant, ipsasque & earum singulas in suis Confessionibus audiant, illisque Sacramenta Ecclesiastica ministrent, habere liberè, & licitè possint, & valeant, ita ut ultra Capellanos & Confessarios prædictos, etiam Visitatores ordinarii, sive extraordinarii dicti Monasterii Massiliensis, in quolibet Capitulo generali dicti Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, seu extra illud, quoties opus fuerit, à Ministro Generali ejusdem Ordinis eligi debeant, & aliàs, prout memoratus Clemens prædecessor, per suas litteras prædictas Monialibus Capucinis dicti Monasterii Parisiensis concessisse reperitur, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos & quas spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Monasterii Massiliensis, & Ordinis prædictorum &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Martii MDCLXXV. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Autogr. in Arch. Secret. Brev. Apost. Regesta mensis, & anni præd. fol. 37.

N O T A

QUæ in præpositis Litteris Apostolicis à Cardinali Francisco Barberino de cura Monasterii sancita memorantur, fuerunt tenoris sequentis.

Franciscus, miseratione Divina, S. Agathæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Barberinus nuncupatus, in Civitate Avenionensi, & in toto Comitatu Venaissino pro Sanctissimo Domino Nostro Papa, & Sancta Sede Apostolica in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis, & in illis, ac Viennensi, Arelatensi, Aquensi, & Narbonensi Provinciis, illisque terris adjacentibus, & locis ejusdem Sedis de latere Legatus.

Dilecto in Christo Ministro Provinciali Ordinis Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Sancti Ludovici, salutem in Domino sempiternam.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica, cujus authoritate in hac parte fungimur, circa ea, per quæ Majestas Altissimi ubique collaudetur, cultusque sui Nominis amplietur, & ad illius laudem, & gloriam, Monasteriorum, & aliorum Regularium locorum, ac personarum, præsertim faminei sexûs, sub suavi Religionis jugo, studio piæ vitæ Altissimo famulantium numerus augeatur, sollicitudinis suæ studium libenter convertit, prout ad Divini Nominis exultationem, & animarum salutem salubriter in Domino conspicit expedire. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum Nobis in Christo Marthæ d' Oraison, Viduæ quondam Alexandri Damas de Castellaan Vice-Comitis de Valernes, & Baronis d' Alemaigne, & Gabrielis Dumas de Castellaan Vice-Comitissæ, & Baronissæ dictorum locorum, & Marchionissæ des Arcs, ejus Filiæ, expositio continebat, quod ipsæ ultimum suæ peregrinationis diem piis operibus prævenire, & Deo pro multis, & magnis ab eo collatis beneficiis, quantùm humana permittit imbecillitas, gratias retribuere desiderantes, quamdam Domum in Civitate Massiliensi, erigendam in Monasterium Monialium Ordinis San-

Sanctæ Claræ Filiarum de Passione, *seu Capucinarum nuncupatarum apprimè commodam, & opportunam ædificari curârunt, ad cujus perfectionem, & suppellectilis, ac rerum necessariarum comparationem, non mediocris impensa facta fuit: Nobis propterea dictæ Exponentes humiliter supplicari curârunt, quatenus Domum prædictum in Monasterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ Filiarum de Passione, seu Capucinarum nuncupatarum pro viginti Monialibus, quæ ex eleemosynis tantùm, per quæstuarios, seu quæstuarias, Monasterium minimè ingressuros, colligendis, adinstar Religiosorum Ordinis S. Francisci Capucinorum nuncupatorum victuræ, in eo residere debeant, erigere, & Ministro Provinciali pro tempore existenti ejusdem Ordinis Capucinorum subjicere, & aliàs, prout infra, de benignitate Apostolica indulgere dignaremur. Nos igitur, qui divini cultûs augmentum, & Religionis Christianæ propagationem sinceris desideramus affectibus, quique de præmissis certam notitiam non habentes, dictas Exponentes, & earum quamlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Tuæ, Apostolica auctoritate sufficienter ad id à Sede prædicta, facultate muniti, harum serie committimus, & mandamus; quatenus assumptis tecum dictorum Ordinis Definitoribus, sicut & Provinciæ, si supradicta Domus ad formam Monasterii instaurata, & debitâ clausurâ munita, sacraque, & profana supellectile copiosè instructa fuerit, in Monasterium Monialium Ordinis S. Claræ, Filiarum de passione, seu Capucinarum nuncupatarum, cum Ecclesia, campanili, campanis, cæmeterio, claustro, refectorio, dormitorio, cellis, hortis, hortalitiis, cæterisque officinis, & membris necessariis pro una Abbatissa, & viginti Monialibus, quæ clausuram, & crates, in Monasteriis Monialium hujusmodi servari solitas, ac ritus, mores, consuetudines, & Regularia ejusdem Ordinis instituta, sub illius Regulari Habitu servare, divinisque laudibus insistere debeant, & aliàs in omnibus, & per omnia adinstar Monasterii dicti Ordinis Parisiis Apostolicâ auctoritate erecti, perpetuò sine præjudicio Jurium Ordinario competentium, dicta auctoritate sub subjectione, directione, correctione, & obedientia pro tempore existentis Ministri Provincialis dictorum Ordinis, & Provinciæ erigat, & instituas; Quocirca Tibi, ac pro tempore existenti Ministro Provinciali Ordinis, Provinciæ hujusmodi in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, quatenus curam, gubernium, & regimen dicti Monasterii, postquam erectum fuerit, ad sex annos suscipias, nec non Abbatissæ, & Monialibus prædictis, pendentibus dictis sex annis, de Sacerdote idoneo dicti Ordinis Capucinorum Religioso, ab Ordinario approbando, qui in Ecclesia dicti Monasterii Missam, & alia Divina officia celebrare, ac illi in divinis deservire, ipsasque Abbatissam, & Moniales, ac earum singulas in suis Confessionibus audire, & à peccatis, de quibus corde contritæ, & ore confessæ fuerint, toties, quoties opus fuerit, injunctâ eis pro modo culpæ arbitrio suo pœnitentiâ salutari absolvere, illisque Sacramenta Ecclesiastica administrare valeat, provideas, & insuper eidem Monasterio sic erecto, & instituto, ac illius pro tempore existenti Abbatissæ, & Monialibus, Ministris, & personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, prærogativis, gratiis, concessionibus, & indultis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus alia ejusdem Ordinis Monasteria, eorumque Abbatissæ, & Moniales utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, dummodo Decretis Sacrosancti Concilii Tridentini non adversentur, uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè possint, & valeant, dicta auctoritate concedas, & indulgeas, dictasque erectionem, & institutionem ex nunc, prout ex tunc, & è contra approbes, & confirmes, ac easdem Exponentes, Monasterii hujusmodi erigendi Fundatrices declares. Decernentes ex nunc, prout ex tunc, irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis inferiori auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis litteris Apostolicis, Provincialibus, seu Synodalibus, ac Ordinum Capucinorum, & Monialium prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam iteratis vicibus concessis, & probatis, & innovatis, & contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod pro felici directione Monialium in dicto Monasterio erigendo pro tempore introducendarum assumantur auctoritate Ordinarii, & de licentia Superiorum suorum duæ, vel tres ejusdem Sanctæ Claræ, si commodè fieri poterit, alioquin alterius Ordinis Regularis Observantiæ Moniales, quæ dicto Monasterio præsint, donec in eo sint Moniales professæ, ad hoc munus idoneæ.*

Datum Avenione in Palatio Apostolico die vigesima secunda mensis Aprilis, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papæ VIII. anno secundo &c.

F. Cardinalis Barberinus, Legatus.

Cum regimen vigore hujus Decreti ad sexenium tantùm fuerit Fratribus commissum, redditum fuit postea perpetuum, Decreto sequenti:

Fede-

Federicus Sfortia, ex Comitibus S. Floræ, Domicellus Romanus, Sanctæ Sedis Apostolicæ de numero participantium Prothonotarius, ac utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ Referendarius, Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini D. Antonii, miseratione Divina, Sanctæ Agathæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii, in Civitate Avenionensi, & in toto Comitatu Venayssino pro eodem Sanctissimo Domino Nostro Papa, & Sede Apostolica in spiritualibus, & temporalibus Vicarii Generalis, & in illis, ac Viennensi, Ebredunensi, Arelatensi, Aquensi, & Narbonensi Provinciis, illisque adjacentibus terris, & locis ejusdem Sedis de latere Legati, Vicarius Generalis, & Vice-Legatus.

Universis, & singulis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica, cujus auctoritate in hac parte fungimur, personarum Regularium, præsertim feminei sexus sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium curam gerens, solerter illa libenter concedit, per quæ earum augmento, conservationique meliùs, ac faciliùs consuli intelligit. Aliàs siquidem Eminentissimus, ac Reverendissimus Dominus Franciscus, miseratione Divinâ, tituli Sancti Laurentii in Damaso, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Barberinus nuncupatus, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, tunc Legatus Avenionensis, Monasterium Monialium Ordinis Sanctæ Claræ, Filiarum de Passione, seu Capucinarum nuncupatarum Massiliensium, à primævâ ejus erectione superioritati, correctioni, & directioni Ministri Provincialis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ S. Ludovici ad sex annos pluriès adhuc usque prorogatos, Apostolicâ auctoritate sufficienti ad id à Sede prædicta facultate munitus subjecit, & supposuit; prout in litteris desuper expeditis pleniùs dicitur contineri. Nos considerantes, Abbatissam, & Moniales dicti Monasterii optimam, & saluberrimam gubernationem sub Ministro Provinciali dictorum Ordinis, & Provinciæ semper habuisse, & continuò habituras felicia incrementa, dictum Monasterium, illiusque Abbatissam, & Moniales tum præsentes, quàm futuras curæ, gubernationi, ac regimini pro tempere existentis Ministri Provincialis, dicti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Sancti Ludovici Apostolica auctoritate, sufficienter ad id à Sede prædictâ facultate muniti, tenore præsentium perpetuò subiicimus, & supponimus; decernentes irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis inferiori auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, vel Ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis, indultis, & consuetudinibus, cæterisque, quæ prædictus Eminentissimus Dominus Cardinalis Barberinus in dictis suis litteris voluit non obstare, & contrariis quibuscumque.

Datum Avenionis in Palatio Apostolico die secundâ mensis Aprilis anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo. Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, ac D. N. D. Urbani Divinâ providentiâ Papæ VIII. Anno XVII.

Federicus Sfortia, Vice-Legatus &c.

Hæc dum Fratrum in Moniales cursm, & soperioritatem notant, sequentia primævam Mooialium fundationem seferunt.

Anno Virginei partûs millesimo sexcentesimo vigesimo, Nobilis Mulier, Martha d' Otaison, Alaxandri Dumas à Castellana, Valernæ Vice-Comitis, & Allemagnæ Baronis, in duello occisi, Vidua, ot inspiratiooi, & motui interno, quo se continuo actam, & tactam præsentiebat, fideliter correspondere, unico Dei cultui, & obsequio se consecrare, & hunc in finem, relicto mundi fasto, Ordinem Sanctæ Claræ Virginis Assisiatis, quem in Ecclesia Dei, pro femineo sexu rigidiorem esse credidit, ingredi statuit. Cumque de fama, quæ de singulari vitæ Sanctimonia Monialium Capucinarum seu Filiarum Passionis, sub strictiore S. Claræ Regula, ac spirituali Fratrum nostrorum gubernio Parisiis viventium, per totam Galliam diffundebatur, mirabiles spiritûs ascensiones in diea sentiret, sacro illarum contubernio aggregari, ab Abbatissa per literas poposcit. Deus autem, qui eam non solitariam duntaxat suæ salutis custodem, sed & fæcundam novæ Virgineæ Prolis Mattem, æterno Sapientiæ suæ consilio prædestinaverat, Abbatissam de litterarum tenore perplexam eò disposuit, ut ex motivo statûs vidualis Marthæ preces reiiceret, eamque, ut ipsamet Monasterium, in quo omnibus diebus vitæ suæ habitaret, & vota sua Deo redderet, construi curaret, felici suasu moneret. Consilium hoc à Deo processisse, Martha illicò agnoscens, indilatè ad opus, variis licèt difficultatibus obnoxium, se se accinxit, ac, cum id sub Capucinorum directione perfici, ac stabiliri voluisset, R. P. Ministri Generalis, tunc Clementis à Noto, prævium requisivit assensum. Turbavit omnibil sollicitam Martham inopina hujus responsio, quâ à PP. Provinciæ cursm suscipi, sub vario rationum complexu inhibuit, animom tameo ejus oon dejecit, sed

pia

pia consilia plerumque in suo partu, per contradictiones agitari reminiscens, feliciorem rei successum à Sancta Sede, ad quam recurrere statuit, sibi adpollicebatur. Hâc spe freta, consilium in Domino conceptum prosequi cepit, ita ut personante illius rumore, plures Civitates situm fundationis certatim offerrent. Inter has Aquensis, Provinciæ Metropolis anno 1621. ex communi consilii generalis assensu, per Deputatos ad Civitatem Pertusii, in qua Martha tunc residebat, sibi sortem decerni rogavit, Tulonensis autem, non solùm opportunum fabricæ fundum, sed & 6000. scuta cum fonte ad Monasterii commodum obtulit. Suspexit in æmulo utriusque Civitatis desiderio Martha singularem, quo erga Seraphicum Ordinem ferebatur, devotionis affectum, & corde illius in Deum vivum exultante, ultimam destinavit Virginei Sanctuarii peripheriam, in qua & Crucem, Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Episcopo, cum Capitulo, & Clero assistente, anno 1622. solemniter erigi curavit, obtentâ prius tum Apostolica, tum Regia facultate, quarum ultimam expressit Diploma sequens.

Ludovicus, Dei gratia, Franciæ & Navarræ Rex, Provinciæ Forcalquerii, & Terrarum adjacentium Comes &c.

Dilectis Nobis, Ministris Curiæ Parlamenti Aquensis, salutem.

Dilecta Nobis Martha d' Oraison, Vice-Comitissa Valernæ, & Baronissa Allemagnæ Nobis exponi fecit, quod piâ, & laudabili devotione ducta, in nostra Civitate Toloni Monasterium Capucinarum, aliàs Filiarum Passionis *nuncupatarum, juxta contractum cum Consulibus dictæ Civitatis initum, construere statuerit, & desuper illud construendi facultatem, Bullâ Illustrissimi Vice-Legati Avenionensis sub 15. mensis proximè præteriti emanata, obtinuerit, & quod eâ Vobis exhibita, Vos, ut sibi de litteris nostræ declarationis intra sex menses providere, prædictæ Marthæ, per vestrum arrestum prædicti mensis injunxeritis, interimque executionem enunciatæ Bullæ permiseritis. Cum jam autem Nobis, pro dictis litteris ei concedendis ab ea supplicatum fuerit, & Nos, quantùm fieri poterit, in piâ intentione, & devotione ei favere cupiamus, dictas Bullas hic Sigillo nostræ Cancellariæ injunctas, ratihabentes, & approbantes, juxta harum tenorem permisimus, & per hasce præsentes nostrâ manu signatas, prædictæ Marthæ permittimus fabricam Monasterii Capucinarum, quas aliàs* Filias Passionis *nuncupant, in dicta Civitate sub directione PP. Capucinorum dictæ Provinciæ erigendi, cum facultate tum intra, tum extra enunciatam Civitatem eleemosynas pro sustentatione, & victu dictarum Monialium colligendi, haud aliter, ac id fieri consuevit in nostra Civitate Parisiensi. Præsentes dum vobis mittimus, vos illas registrari, & dictam Martham d' Oraison tum earum, tum dictarum Bullarum tenore pleno, & pacificè frui faciatis, non permittentes, eam desuper turbari, impediri, aut quidquid in contrarium fieri, dummodo in dictis Bullis juribus, & libertati Ecclesiæ Gallicanæ nihil contrarium reperiatur. Et hæc est nostra voluntas, & placitum.*

Datum Massiliæ 8. Novembris anno gratiæ 1622., & regni nostri 13.

Ludovicus.

Eousque cœpta, ob nonnulla, quæ supervenerant, gravamina, postmodum suspendi, imò & penitus tandem linqui oportuit, Illustrissimo Domino Gubernatore Massiliæ, Guisio, apud Proceres Aulæ Regiæ rem eò volvente, ut Monasterium tum pro suo, tum pro Conjugis suæ solatio, in Civitate suæ residentiæ Massiliæ construi conclusum fuerit. Consules Civitatis per litteras de capto Aulæ consilio edocti, ad Vice-Comitissam pro Parthenonis translatione ad suæ Civitatis sinum, supplices dederunt litteras, paremque votis suis stipem, pro fabricæ subsidio spoponderunt. Agnovit illa mutationem hanc, dexteræ Excelsi opus, & speciale Divinæ Providentiæ consilium: Agnovit, Monasterium arctissimæ paupertati sacrum in Civitate Massiliæ, potente & divite, excitandum esse, ut, ubi Sorores major premeret rerum egestas, facilior adesset necessitatis provisio: hinc & Consulum preces, & vota extemplò admisit, amplâque domo, quæ fini fundationis aptior censebatur, per Dominum de Mavallon coemptâ, Crucis trophæum anno 1623. fuit erectum; ad sacram functionem RR. Dominis Abbatiæ S. Victoris, sub quorum jure locus Monasterii situs erat, comparentibus, ac eosdem RR. PP. Minimis, Recollectis, & Capucinis processionaliter sequentibus. Fuit & eâdem die positus Ecclesiæ lapis fundamentalis, quem Vice-Comitissa, & unica ejus Filia, ac Marchionis de Arcs Conjux, seu Fundatrices, ac DD. Joannes de Bonifacio, de Cabanes, Joseph & Antonius Gasquat, illius anni Consules, seu Protectores, egestæ terræ sub ingenti populi concursu, commixtoque lætitiæ, & devotionis jubilo injecerunt, ac solemni ad incruentas Aras sacro, quo Rev. D. Camerarius S. Victoris nomen Domini invocavit, duplex Crucis & lapidis ritus terminatus. De faustis hisce primitiis sicut Martha replebatur gaudio, ita celeri manu fabricam continuari jussit, necdum licèt, quod per expressos deputatos à Summo Pontifice requisiverat, spiritualis curæ Capucinis injungendæ obtento mandato, & ideo retardato, quod Franciscus Cardinalis Barberinus, destinatus ad Regem Christianissimum pro toto Galliæ Regno Legatus à latere, in suo per Provinciam transitu, Pontificiam mentem exequi deberet. Vix & hic Avenione appulit, ad receptum ibi à Vice-Comitissa libellum supplicem, Patres Provinciæ, curâ prædicta, per Diploma supra fol. 174. recensitum, ligavit, quam & obedienter suscipi P. Minister Generalis per litteras suas monuit. Inde in primo, quod celebratum est, Capitulo, unanimi consensu, Patres Alexandrum de Castello Novo, & Archangelum Parisios secedere, & ex illo Parthenone Sorores, seu Matres, quæ novam Massiliensem Prolem, in gregem Christi dilectum formarent, secum reducere jussum est. Cecidit ibi sors feliciter super Agnetem Turonensem, quæ binâ jam vice Abbatissæ officium, pari sem-

per virtute obierat, & Sorores Bonam Parisiensem, ac Felicianam Ambianensem, dignas itineris, & zeli socias. Hæ dum obtentas obedientiales exequi Parisiis parârunt, Massilia ad illas condignè suscipiendas, necessaria disposuit, & ex amplo numero Puellarum, quæ in Capucini instituti claustris, vias Domini cum Virginitatis flore custodire statuerant, sexdecim selegit, easque à mundi commercio segregatas, & ex collecta per Civitatem eleemosyna convi ventes, in religiosæ vitæ rudimentis cum Vice Comitissa erudivit.

Attigère tandem feliciter Sorores Parisienses 13. Junii 1626. Massiliam, auxilio & charitate Ducissæ Guisiæ per vias fotæ, & illico in Monasterio clausurâ jam munito collocatæ. Inter eas Matronas, quæ de earum appulsu cumulatius plaudebant, fuit Vice Comitissa prima, cum vota sua, benedicente Domino, exin compleri, & se inter paucos dies à sæculi tumultu avulsam, hostiam Domini prævideret, pœnitentiæ habitu amictam. Eapropter Sorori Agneti, ceu Abbatissæ constitutæ, claves Monasterii, mirâ humilitate consignavit, protestans ad alium finem, hoc à se non ædificatum esse, quàm, ut in eo cultus, & gloria Dei per sæcula augeretur, dignæ Passionis Filiæ, & Sponsæ Christi educarentur, & ipsamet inter has, ceu earum minima, peccata sua defleret. Recepit quidem Abbatissa claves, & Marthæ, quod vera Monasterii Fundatrix, & Domina remaneret, reposuit; splendorem autem hujus tituli 19. Julii, hæc sub rudi, quo induebatur, Religionis Habitu occultavit, nomine Marthæ in Mariam aptè converso, ut, quæ hucosque circa fundationem Monasterii Mattham sollicitam egisset, jam se meliori divinæ contemplationis parti consecratam esse, ex nomine meminisset. Superabundavit gaudio Maria, in primo novæ vitæ cursu, in quo con-Novitias Cherubinam, & Seraphinam de Aquis Sextiis, Franciscam de Besaure, &c. longè anteibat: advertens autem postea, se in Domo Dei, in qua vitam cum Christo absconditam & abjectam ducere elegerat, tum charitate, tum honore præ aliis distingui, repleta est amaritudine, secreto consilio impulsa, sacros à se fundatos muros reliquit, & obedientiali Abbatissæ merito munita, cum Habitu Parisios secessit, inceptum Probationis annum ibi inter Filias Passionis expletura. Hic adorare debuit in spiritu & virtute Divinæ Providentiæ arcana, & inter lacrymas exclamare ad Deum, *quomodo mutatus es mihi in crudelem?* Moniales enim ibi, ut eam, tot licèt de Ordine meritis insignam, Monasterii integri Fundatricem, probatæ virtutis exemplis celebrem, ad sua septa admitterent, nec verbis, nec lachrymis induci poterant, vel (ut historia Ordinum Regularium gallicè conscripta fol. mihi 211. notat) quod Marchionissa ejus Filia, hoc medio Sororibus dictato, illius reditum Massiliam cogere voluerit, vel, quod hæ excessum vitæ rigoris, quo se macerabat, Novitiis magis in destructionem, quàm ædificationem fore temuerint. Indagini motivi verioris dum non insisto, certum manet, quod illa ex duro hoc repudio, voluntatem Dei non esse, ut inter nectar Religiosæ vitæ deliciaretur, sed, ut ad vitæ activæ rediret ministerium, concluserit; Inde, dum inter Sponsas Christi degere non potuit, ad pauperem viduam pistricem, in suburbio S. Honorati cunctantem, rejecto, qui ipsi à primis Aulæ Matronis offerebatur, palatiorum incolatu, cum puella serva secessit, ac pauperum obsequio mirâ humilitate in Xenodochio Parisiensi se se mancipavit, ægrotorum ulcera curans, pauperum inopiam, collectâ per plateas stipe adjuvans, & omnes, tum illibatæ vitæ exemplo, tum vilis ministerii exercitio, in stuporem trahens, usque dum anno 1627. morbo acriore correpta, sacrisque omnibus expiata, animam reddidit Deo Creatori suo. Viva dum inter Capucinas mori non potuit, mortua inter illas vivere debuit in memoria benedictionis, pervulgato enim ejus ad Superos secessu, cadaver Habitu Capucino indutum, requirente Fr. Archangelo de Bembrot, defunctæ æquè, ac Filiarum Passionis Confessario, ad harum Monasterium fuit transportatum, ibique exequiis, majore, quo fieri poterat, luctûs apparatu factis, & oratione funebri à Fr. Raphaele de Clois habitâ terminatis, inhumatum est, loco per Crucem nigram, cui nomen defunctæ inscriptum, & scutum gentilitium affixum erat, notato. Mirabilia, quibus Deus memoriam servæ suæ perennari voluit, varia fuêre, quæ vita typis edita longo ordine narrat. Notâsse autem hic sufficiat, quod incorruptos Marthæ mores, corpus abundè probaverit, dum per plures annos corruptionis vulnera non sensit, annoque 1655. quo aliam Sororem in eodem loco sepeliri contigit, integrum ab omnibus visum est, à quo dum caput separari necessum erat, inferior menti pars in tumulo relicta, superior autem cum dentibus omnibus à Monialibus Parisiensibus in pignus mutuæ, quæ inter eas viget, societatis, Monialibus Massiliæ donata est, in harum Sacristia cum priorum fide adhuc conservata.

In requie æterna, dum Martham Fundatricem relinquo, ad institutæ narrationis Ordinem, seu fundati Monasterii progressum regredior. Gubernârunt illud sub Abbatissæ titulo tres Sorores Parisienses alternativè, usque ad annum 1652., suffultæ consiliis Fratrum, jurisdictionem spiritualem exercentium. Ad paucos annos fuerat hæc prius limitata, ita ut pro ejus renovatione Romam non semel recurrere oportuerit, donec tandem anno 1640. per Diploma Vicarii Generalis Avenionensis, Friderici Sfortia, ex Ducibus S. Floræ, Apostolica auctoritate editum, & superiùs datas Clementis X. litteras, in perpetuum fuit extensa. Quietem, quâ Moniales in vitæ regularis ascesi, ea solùm, quæ Domini sunt, cogitârunt, Nomenque ejus diu noctuque per regii Vatis carmina invocârunt, non parum distraxit Regius Ordo, quo armamentarium Triramium ampliari, eapropter Sanctuarium ipsarum derelinqui, ac Sorores ad locum, seu ædes novas, horto Domini de Maraval contiguas, regiisque expensis earum habitationi adaptatas, transferri fuerat injunctum. Quantumque asper acciderit hic nuntius, religiosè tamen ordinationi Regis se submittebant, suisque operi datum principium translatione cadaverum, ossiumque defunctarum Sororum, quibus, ut residuam carnem consumeret, calx viva effundebatur. Visu autem mirabile fuit, quod unicum Sororis Franciscæ Avenionensis cadaver, tertiâ quantumvis vice, calce perfusum, ac per octodecim menses squallidâ humo jam tectum, vulnus corruptionis non admiserit, manserit flexibile, ac supra pectus manum, violenter etiam inde admotam, semper, & usu, in vivis ab eo practicato reposuerit. Concivit novitas rei & Sororum, & sæcularium accurrentium stuporem, dumque illæ, cadaver novo Habitu tegebant, horum alii mirantes super his, quæ videbantur, jubilârunt Deo Jacob; alii autem tundentes pectora sua, conversionis suæ consilium incœperunt. Ita prodigiosum quoque visum est regio cuidam Belli Duci Acatholico hoc spectaculum, ut latentem in eo manum Domini agnosceret, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua Deus in servis suis mirabilia operaretur, se se addiceret. Illatum postmodum funebri, quæ cum aliis Sororum exuviis jam incepta erat, processioni Franciscæ cadaver, ita effusus populorum concursus sequebatur, ut liberè per plateas incedendi non esset copia, debueritque, ne quid de Franciscæ cadavero tolleretur, armato milite præcaveri. Excepit ad portam Ecclesiæ P. Guardianus exanguam manium pompam, & dum Franciscæ

ca-

cadaver in medio Ecclesiæ firmari jussit, apprehensâ illius manu, quam supra pectus flexibilem tenebat, populo benedixit, *misericordia misericordia*, voce singultibus commixtâ, confusè clamantis. Ossibus mortuarum Sororum ita apud Fratres conservatis, fuère & Sorores vivæ de veteri domicilio 6. Aprilis 1682. ad novum in sedibus gestatoriis translatæ, Dominis de Bradar, de Bausse, ac P. Guardiano, ac earum Confessore, illas comitantibus, quæ eo ipso die Deo in voce exultationis jubilare, & solita Religionis exercitia persolvere cœperunt, ad amussim continuata, usque ad annum 1687. quo fabrica Conventûs, regiis expensis constructi fuerat completa, & in qua sub Dominæ de Beguon, D. Intendentis Conjuge, Filiâ ejus, & Fratrum nostrorum societate, post mediam noctem Sorores translatæ, Ambrosiano cantu & oratione, sumptaque Sacrâ Synaxi sui incolatûs initia, sacrârunt. Translatis & eodem anno de Ecclesia Fratrum ad nova Parthenonis conditoris Sororum ossibus, inter quæ corpus Franciscæ prædictæ adhuc incorruptum, visum est, fixoque jam domicilio, eo fervore Sorores vocationis suæ munia obibant, ut Rex, peculiari eas foveret affectu, iisque suæ protectionis gratiam, sub assumpto Fundatoris, titulo adpromitteret, Diplomate subnexo:

Ludovicus, Dei gratia, Franciæ & Navarræ Rex, Provinciæ Forcalqueri, & Terrarum adjacentium Comes, omnibus præsentibus, & futuris salutem.

Dilectæ Nobis Moniales Capucinæ, Filiæ Passionis dictæ, Monasterii in nostra Civitate Massiliæ siti, Nobis humillimè exposuerunt, quod consequenter ad litteras patentes Regis Ludovici XIII Charissimi Patris nostri mense Junii 1637. expeditas, fuerint collocatæ in Monasterio, à Martha d'Ornison, Valernæ Vice-Comitissa. & Baronissa Allemagnæ ipsis in prædicta Civitate, ex opposita portûs constructo, in quo etiam usque ad annum 1683. habitârunt: Cum autem occasione, quâ Armamentarium nostrarum triremium ampliari debuit, dictum Monasterium destrui, & aliud in alio dictæ Civitatis situ cum Ecclesia, aliisque officinis, ad habitationem domesticorum Monasterii necessariis, construi fecerimus; dictæ Exponentes Nobis humillimè supplicârunt, quatenus iis in illo habitare permittere, & necessarias desuper litteras patentes, cum confirmatione litterarum Ludovici XIII. nostri dilectissimi Patris, expedire dignaremur. Ad quod reflectentes, illasque favorabiliter intuitu earum pietatis, & devotionis tractare volentes, notum facimus, quod ex hisce causis, ac nostrâ speciali gratiâ, plena & regia auctoritate, dictas litteras mensis Junii 1637 quantùm opus est, confirmantes, memoratis Exponentibus per hasce præsentes, nostrâ manu firmatas, in dicto novo Monasterio, à Nobis (uti memoratum est) pro ipsis extra muros Civitatis Massiliæ constructo, domicilium figere permisimus, & concessimus, permittimus, & concedimus, volentes, quod illæ in posterùm habitent, vivant, & orationi, ac devotioni, juxta ipsarum regulam, & institutionem ibi vacent, haud aliter, ac eodem modo, quo id antea in veteri Ipsarum Monasterio ante illius demolitionem fecerunt, quin à quocunquam, cujusvis conditionis sit, sub quacumque causa, & prætexta possint molestari, & inquietari. Ut autem dictas Exponentes favorabiliùs tractemus, & in dicta possessione, & fruitione novi Monasterii, & locorum dependentium efficaciùs firmemus, Nos eadem auctoritate prædicta, &, uti Fundator, concessimus & Deo dedicavimus novum Monasterium cum clausura, & pertinentiis, prout per præsentes concedimus, & Deo dedicamus, volentes in hunc finem, ut id incolere, & immutabiliter possidere, eoque plenè, pacificè, & perpetuò frui possint, quin ex quacumque causa, aut quocunque prætextu ab eo discedere. cogi, aut obligari possint ad solvendum Nobis, aut Regibus successoribus, vel intuitu hujus Extinctionis, vel jure illius, vel causâ novæ acquisitionis, vel alio jure, quod Nobis deberi prætendi posset per Fiscum, seu indemnitatem quamcumque, & ad quemcumque etiam summam ascendere posset, quæ omnia iis donavimus, & per præsentes donamus, attento, quod loca prædicta immediatè à Nobis erecta sint, cum onere, ut Moniales pro felicitate hujus status, & Provinciæ, nostræ Personæ, & illâ Regum successorum nostrorum, Deum exorent. Et ita mandamus dilectis Nobis Ministris Curiæ Parlamenti Provinciæ, omnibusque aliis Officialibus & Judicibus, ad quos spectaverit, quatenus præsentes registrari, & prædictas Exponentes earum tenore plenè & pacificè uti, & frui faciant, omnia contraria, & impedimenta tollendo, cum hæc sit nostra voluntas & placitum. Utque firmiùs subsistat, præsentes nostro sigillo muniri jussimus, salvo in aliis nostro, aliorumque jure.

Datum Versaliæ Mense Aprilis 1693. Regni nostri 50.

Ludovicus.

Durat nunquam interruptus in sacris hisce muris Regularis Observantiæ zelus, austerioris vitæ ratione cultus, quo Sorores numero viginti quinque, infirmitatem sexûs convertunt in virtutis prodigium, clausuram servant strictam, carnes manducant nunquam, Parentibus loquuntur rarò, victum & amictum ex Evangelico quæstu colligunt, ac diu noctuque divinarum laudum concentui insistunt, memores Matrum, quæ eas in Christo genuerunt, ac suæ virtutis exemplis, non solùm iis viam imitationis facilitârunt, sed & memoriam sæculi impleverunt. In longa harum serie, præconio nostro digniores videntur sequentes:

Soror Bona Parisiensis, Filia Joannis Baptistæ de Jardin, ex illustri Hannoviæ familia, ac Bonæ Bovillardi in Domino hæc gloriari debuit, quod cum Salomone *sortita fuerit animam bonam*, & ad perfectioris virtutis praxim, valdè docilem. In hac ut se firmaret securiùs, Capucinarum Habitum à celebri P. Angelo Jojosæo Parisiis petiit, & obtinuit: ut in via perfectionis Religiosæ feliciùs progrederetur, medium selegit mortificationem, & Crucem Domini Nostri Jesu Christi, ad quam Magistra Novitias, non solùm, dictato iis *Crucis Alphabeto* inflammavit, sed & sesem per in ea usque ad naturæ patientis, & auden-

dicendis horrorem exercuit, ita; ut se Sanguinis Sponsam Christo, qui se ejus Sponsum Sanguinum vocaverat, & in ea voluntarium vitæ rigorem, dolore calculi miræ magnitudinis adauxerat, effuso è venis sanguine suo dignè scripserit, & ad omnigenæ virtutis apicem Cruce duce pertigerit. Translata Massiliam ad formandas in novo tabernaculo Sponsas Christi, in stadio virtutis potiùs admirationis, quàm imitationis exempla præbuit. Admissa ad secretiora Divini amoris mysteria, pluries in æctem rapta, sensibus destituta, & immobilis reperta est: Ditavit eam Sponsus altioris gratiæ donis; nam secreta cordium ad salutem revelavit, ranis, quæ in horto Monasterii, coaxante suo susurro, quietem Sororum nocturnam turbaverant, silentium indixit, avesque, quæ vago circa illam volatu ejus consortium ambiebant, innocentiæ suæ garrulas habuit testes. Post mortem in splendoribus à pluribus visa est, &, dum apparitionis prodigium Puella secularis tenuit absconditum, voce Cœli correpta, Bonam inter Virgines & Martyres triumphare audivit, & gloriam illius manifestare jussa est: hanc & firmârunt signa, & gratiæ, ad preces illius amplè aliis concessæ, & in typo vitæ relatæ.

Soror Seraphina, cui Tourretta ortum, cum nomine Joannæ Carpiletiæ, & Avenione in ædibus Patrui, Decani &c. virtutis rudimenta dedit, vitæ rigorem, novumque Capucinarum institutum recenseri vix audiit, ad illius amplexum se benedictionibus Domini præventa, resolvit. Jam in probationis anno, voluntatis abnegationi mirè studit, &, ut hac mediâ, solatia Spiritûs unicè quæreret, ab interna voce non semel audivit: hanc & in illa perfectam, Deus in prodigio monstravit. dum enim plantam sterilem siccamque, duabus vicibus quotidiè, cæcâ obedientiâ rigavit, germinavit illa frondes, omnium Sororum stupore virides: Os suum aperiens Sapientiæ, composuit 15. gradus orationis, in quos vitæ activæ & contemplativæ categoriam conclusit, & quos ideo posteris à se relictos esse, humilis retulit, ut ab his perfectior, quàm ab ea factum foret, fieret eorum usus. Nomen suum vacuum ne portaret, verè seraphici amoris ignem, qui eam ad raptus usque, & visiones ursit, in corde suo accendit, tenuitque illum, continuo virtutis merito fotum, ac usque ad occursum cœlestis Sponsi flammantem.

Seraphinæ jungamus Cherubinam, Sororem, inquam, Cherubinam à S. Benedicto, quæ Patriam, Tarascum, Patrem Joannem de Astier, Matrem Honoratam de Demonte, ac Maritum, Dominum Rausset de Laudun, omnes virtute & prosapia claros, habuit. Partum trium Filiorum secuta Mariti mors fallacem mundi gratiam, vanamque ejus pulchritudinem esse, altiùs menti Cherubinæ impressit, hinc & se Deo, inter Capucinas unicè dicare statuit. Fixum jam ad has accessum Matris, ut Filii impedirent, postes portæ occuparunt, lacrymisque, cum verbis non amplius possent, ne eos orphanos linqueret, rogârunt: vicit naturæ pondus, quæ major erat in Cherubina, Dei Gratia, levavit hæc se super se, ac ad atria Domûs Dei, & Capucinarum, heroo pede properavit. Initia consolationis spiritualis, quâ Cherubina inebriari cæpit, non modica amaritudine confudit liberior Filii natu majoris, Caroli, vitæ licentia, lacrymis autem & oratione ad Mariam Matrem gratiarum sine intermissione fusâ, velut altera Monica effecit, ut Filius, vincula pravitatis dirumperet, & libertatem Filiorum Dei, inter Capucinos, cum nomine Stephani quæreret. *Filium Mariæ* illum vocare consuevit, cum ad hujus preces, eum in spiritu regenitum diceret: eum, ut se & omnia sua, haud aliter, ac illa jam totum suum in illum jus eidem cessisset, magnæ huic Matri, dono perfecto committere, chartamque donationis sanguine signatam, suæque jungendam, sibi mitteret, monuit, eundemque tum suæ Crucis, tum consolationis, tam fideli effluvio participem fecit, ut in odore suavitatis anno 1706. Tarasci, viam æternitatis Matri pararet. Quàm mirabiles fuerint in Cherubina vitæ contemplativæ ascensiones, non solùm literæ ad Filium datæ, sed & actus amoris, quibus à se compositis, cum novem Angelorum choris Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adorare solebat, cumulatè docent: hos & illas conservat Massiliense Monasterium, ceu perenni memoriâ dignissimam hæreditatem Matris, quam amore languentem anno 1708. communi perdidit luctu.

D E C R E T O

Sacræ Rituum Congregationis

In Ecclesia Conventûs Tarasci, Officium de S. Martha, ceu Patrona Principali, & non de Sancto Armando recitari debere declaratur.

CUM ex parte PP. Capucinorum Conventûs Civitatis Tarasconensis expositum fuerit, quod eorum Ecclesia, tam in primarii lapidis collocatione, quàm in sui benedictione habuit pro Patrona, vel titulo S. Martham; quodque post multos annos à fundatione præfatæ Ecclesiæ, Emus Armandus, Cardinalis de Richelieu, dictam Ecclesiam consecravit, ac sub titulo Armandi eamdem posuit, absque ulla assignatione diei festi dicti Sancti, qui in Martyrologio Romano nequaquam descriptus reperitur. Cumque Patres Capucini prædicti, ob ambiguitatem, nec de Sancta Martha, de qua Officium dicti festi cum Octava semper celebrârunt, neque de Sancto Armando Officium modò recitant, propterea pro determinatione recitationis Officii Sancti Patroni principalis eorum Ecclesiæ Civitatis Tarasconensis, Sacræ Rituum Congregationi humillimè supplicârunt, & Sacra eadem Congregatio Officium de Sancta Martha, tanquam Patrona principali supradictæ Ecclesiæ, recitandum esse declaravit, & ita decrevit, die 21. Martii 1716.

Card. de Abdua Præfectus.

M. Tedeschi Episc. Liparit.
S. R. Congreg. Secr.

Exempl. Authent. in Archivo Conventûs.

RE-

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Mariæ Annæ à Bullione, Ducis Uzetiæ Conjugi, ingressus in Domum Fratrum Civitatis Uzetiæ indulgetur.

Beatissime Pater:

CUM Excellentissimi Duces Uzetiæ fundatores existant Conventûs Capucinorum Civitatis Uzetiæ, idemque Conventus per continuas eleemosynas, & plurima beneficia à prædicta præclara Familia, magna ex parte sustentetur, Sanctitati Vestræ humillimè supplicatur pro gratia, & benigna facultate, ut consueto Fundatorum privilegio, Maria Anna à Bullione, Uxor Excellentissimi Domini Ducis, Primi Franciæ Paris, Regii Ordinis S. Ludovici Commendatoris &c. gaudere, & dictum Conventum Ordinis Capucinorum Civitatis Uzetiæ, aliquoties in anno pro sua devotione, licitè ingredi valeat. Quam Deus &c.

Ex audientia Sanctissimi die 4. Martii 1729.

Sanctissimus annuit quibuscunque in contrarium non obstantibus.

N. M. Card. Lercari.

Autogr. in Arch. Conventûs.

LITTERIS APOSTOLICIS.

Fratres Civitatis Avenionensis, exactione gabellæ, molestari prohibetur.

Perillustri, ac Reverendo Domino, uti Fratri, Domino Delci, Vice-Legato Avenionensi.

Perillustris, ac Reverende Domine, uti Frater.

EXposito mihi à Patre Cherubino à Noves, Religiosos Fratres suos in ista Civitate Avenionensi, postquam de præterito semper exemptione gabellæ rerum omnium pro suo usu ad dictam Civitatem advectarum gavisi sunt, à paucis annis hujusmodi privilegio, à multis Summis Pontificibus concesso & confirmato, fuisse privatos, sub prætextu, quod ista Civitas, tempore pestis, plurima damna passa sit, & considerato à me, quantùm Suæ Sanctitati, hujusmodi violentia in casu similis ad Eam recursûs displiceret, Dominationi Suæ scribere & committere volui, prout & hisce præsentibus facio, ut nomine meo Consuli, & Magistratui mandet, quatenus immediatè, ab hac injusta exactione gabellæ, contra dictos PP. Capucinos desistant, aut, quatenus habent rationes in contrarium, eas mihi exponant, quatenus eas examinare, justitiam, quæ debetur, parti facere possim. Precor à Cœlo &c.

Romæ 10. Septemb. 1729.

Dominationis Vestræ

Uti Frater

Nicolaus Card. Coscia.

Autogr. in Archivo Provinciæ.

Pallium à Fr. Cherubino de Noves, ceu Nuntio, postulatum, Henrico Francisco Xaverio de Belsunce &c. Episcopo Massiliensi assignandum esse renuntiat.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri, Henrico Francisco Xaverio de Belsunce de Castel Moron, Episcopo Massiliensi, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PErsonam tuam, Nobis, & Apostolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paternâ benevolentiâ prosequentes, illa Tibi libenter concedimus, quæ ad Divini cultûs incrementum, & Ecclesiæ tuæ decorem tendere dignoscuntur; in id quoque intendimus, ut gratiæ, quæ à Nobis emanârunt, suum plenarium effectum sortiantur; Cum itaque hodie Pallium, insigne videlicet Pontificalis Officii, ex parte tua fuerit à Nobis per dilectum Filium Cherubinum de Noves, Presbyterum, ac Fratrem Ordinis Fratrum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum expressè professum, Nuntium tuum, cum eâ, qua decuit, reverentia postulatum, Nos tuis postulationibus annuentes, ex gratia speciali, & pro hac vice tantùm, Pallium ipsum de Corpore Beati Petri sumptum, per Venerabiles Fratres nostros Archie-

Archiepiscopum Arelatensem, & Episcopum Cavallicensem Tibi assignandum, per dictum Cherubinum duximus destinandum, ut iidem Archiepiscopus, & Episcopus, vel eorum alter, Tibi sub formâ infrascriptâ assignent, vel assignet, & à Te, Nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine, sub alia, etiam præsentibus inserta forma, fidelitatis debitæ solitum recipiant, seu recipiat juramentum: Tu autem eodem Pallio in Ecclesia tua Massiliensi dumtaxat utaris, ad formam, & tenorem litterarum Apostolicarum, à Nobis ad Tui favorem hâc super re nuperrimè sub datum, videlicet, octavo idus Augusti, Pontificatûs nostri anno secundo emanatarum, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso. Ut igitur signum non discrepet à signato, sed, quod geris exterius, interiùs serves in mente, Fraternitatem Tuam monemus & hortamur attentè, quatenus humilitatem & justitiam, dante Domino, qui dat munera, & præmia largitur, servare studeas, quæ earum servant, & promovent Servatores, ac eandem Ecclesiam Massiliensem, Sponsam tuam, cures sollicitè, auctore Domino, spiritualiter & temporaliter augmentare: Quocirca Archiepiscopo, & Episcopo præfatis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum dictum Pallium juxta eandem subsequentem formam Tibi curent, seu curet assignare, & à Te, Nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine, sub reliqua forma hujusmodi fidelitatis debitæ solitum recipiant, seu recipiat juramentum; Formam verò juramenti hujusmodi, quod præstabis Nobis, de verbo ad verbum, per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium Nuntium quantocitiùs huc destinare procures. Forma autem, qua Archiepiscopus, & Episcopus præfati in assignando Tibi dicto Pallio utentur, hæc est. Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Domini Nostri Domini Clementis Papæ XII., & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non Ecclesiæ Massiliensis Tibi commissæ, tradimus Tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet Pontificalis Officii, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam, juxta formam & tenorem litterarum ejusdem Domini Nostri Papæ, ad Tui favorem, hac super re emanatarum. Forma verò juramenti, quod præstabis, talis est: *Ego Henricus Franciscus Xaverius de Belsunce de Castel Moron, Episcopus Massiliensis, ab hâc horâ inantea fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, & Domino Nostro Domino Clementi Papæ XII., suisque Successoribus canonicè intrantibus; non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur malâ captione; consilium verò, quod mihi credituri sunt per se, aut Nuntios, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri, Adjutor eis ero ad defendendum, & retinendum contra omnem hominem: Legatum Sedis Apostolicæ, in eundo, aut redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo: vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditione: Apostolorum limina singulis quadrienniis visitabo, aut per me ipsum, aut per meum Nuntium, nisi Apostolicâ absolvar licentiâ: possessiones verò ad mensam mei Episcopatûs pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice, & Constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum jurisdictionalium ad Ecclesias inferiores spectantium, de anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam, servabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo primo, tertio nonas Septembris, Pontificatûs nostri Anno secundo.

Exemplar in Archivo Generali Ordinis Armario Provinciæ S. Ludovici.

Libros è Bibliotheca Fratrum loci Tarasconis, curâ ejusdem Fr. Cherubini à Noves &c. collocatos, extrahi sub censuris, & pœnis prohibet.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Cherubinus de Noves, Frater Professus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, ac pro Regno Galliæ dicti Ordinis Assistens, & Custos Generalis, quod, cum nova Bibliotheca in Conventu Oppidi Tarasconis in Provincia Provinciæ, seu Sancti Ludovici, ejusdem Ordinis, ex ejus cura, & eleemosynis piarum Personarum erecta reperiatur, in eaque plures libri selecti ad utilitatem, & eruditionem Religiosorum dicti Conventûs collocati fuerint, ipse Cherubinus illorum conservationi, & manutentioni, à Nobis provideri summoperè desiderat; Nos igitur specialem

cialem dicto Cherubino gratiam facere volentes, illumque &c. absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quisquam, quavis auctoritate, aut officio fungens libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta, tam hactenus in ea Bibliotheca collocata, & illi per quoscunque Christifideles donata, & assignata, quàm inposterùm in ea collocanda, & illi donanda, & assignanda quibusvis personis, præterquam Fratribus dicti Conventûs, qui quidem libros è Bibliotheca hujusmodi respectivè, de Superioris pro tempore existentis licentiâ, extrahere, & eis pro particulari Fratrum ejusdem Conventûs usu, in suis cellulis uti possint, sed finito usu hujusmodi statim ad dictam Bibliothecam, sub infrascriptis pœnis reportare omnino debeant, commodare, aut sub quovis quæsito, colore, ingenio, causâ, ratione, & occasione è Bibliotheca prædicta extrahere, & asportare, seu, ut commodentur, aut extrahantur, & asportentur permittere, vel consentire audeat, seu quovis modo præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nemo à quoquam, nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tēpore existente, præterquam in mortis articulo constitutus, ab iis absolutionis beneficium valeat obtinere, & quoad Regulares, privationis etiam vocis activæ, & passivæ pœnis, per contrafacientes, eo ipso, absque ulla declaratione incurrendis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium interdicimus, & prohibemus; Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, &, quatenus opus sit, Conventûs, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. & Ordinationibus Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus &c. ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis prohibitionis exemplum, in Valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assiduè remaneat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Maji MDCCXXXIII. Pontificatûs nostri Anno tertio.

N O T A.

CUM à prohibitionis prædictæ tempore, plures alii libri fuerint congesti, in eadem Bibliotheca collocati, ac plurium congerendorum & ibi collocandorum spes habeatur, fuit prohibitio antepostita, ad postmodum collocatos, & inposterùm collocandos extensa, & libros prohibitos sub debitis Cautelis in ea asservandi facultas data, Rescripto sequenti;

BEATISSIME PATER.

Fr. Cherubinus de Noves, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Professus, ejusdemque Ordinis Definitor Generalis, atque Missionum Galliæ in Curia Procurator, humiliter exponit, quod, cum in Conventu Oppidi Tarasci, in Provincia S. Ludovici ejusdem Ordinis copiosam Bibliothecam, sua ipsius operâ, & piarum personarum eleemosynis erigi curaverit, ad conservationem & manutentionem librorum in ea collocatorum, jam pridem obtinuerit à san. mem. Clemente Papa XII. Sanctitatis Vestræ Prædecessore, per litteras Apostolicas datas apud Sanctam Mariam Majorem die 7. Maii anni 1733. quarum exemplum annexum exhibetur, librorum extractionem, & asportationem prohiberi, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reservatæ, & quoad Regulares privationis vocis activæ & passivæ, per contrafacientes ipso facto incurrendæ. Quoniam verò complures alii selecti Libri ab eo tempore in eamdem Bibliothecam, ipsius Oratoris curâ congesti reperiuntur, quorum similiter conservationi, per Apostolicæ authoritatis sanctionem consuli exoptat, idcirco idem Orator humiliter supplicat Sanctitati Vestræ, ut prædictam extractionis & asportationis prohibitionem, sub iisdem pœnis extendere dignetur ad Libros postea coemptos, & in eadem Bibliotheca collocatos, sive etiam inposterùm coemendos & collocandos. Insuper pro majori gratia supplicat eidem Sanctitati Vestræ, ut Apostolica authoritate indulgere dignetur, ut in eadem Bibliotheca, cum debitis cautelis, retineri valeant libri prohibiti cujuscumque generis, quorum tamen inspectio & lectio non omnibus pateat, sed iis duntaxat, quibus ad hunc effectum debitæ facultates suffragari dignoscantur &c. & pro gratia &c.

Ex audientia Sanctissimi die 24. Augusti 1746.

Sanctissimus petitis annuendo, prohibitionem, de qua in precibus, etiam ad alios libros in Bibliotheca nuper collocatos, & inposterùm collocandos sub eisdem pœnis extendit, & quoad Libros prohibitos, ut petitur, indulsit, servatis conditionibus in supplici libello enunciatis &c.

Joseph Livizzani Secret.

Cum

Cum san. mem. Clemens Papa XII. non solùm pluribus libris, præfato P. Cherubino donatis, verùm etiam stipe pecuniaria, nec non propria sua effigie, à Petro Bernard depictâ, Bibliothecam tum ampliaverit, tum ornaverit, in grati animi monumentum inscriptio sequens, Lapidi marmoreo incisa, ibi legitur.

CLEMENTI XII.

P. O. M.

Qui ad augendam & conservandam

Bibliothecam hanc,

curâ P. Cherubini de Noves,

ac piarum personarum expensis extructam,

Ne Libri extraherentur

Decreto suo sancivit

Die VII. M. DCC. XXXIII.

Perenne grati animi monumentum.

Eundem Fr. Cherubinum, Procuratorem Missionum Gallicarum, & Hyberniæ &c. constituit.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Cherubinus de Noves, Frater expressè Professus, Custos, ac Socius Generalis, Gallus, Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum; Quod dilecti Filii, Ministri Provinciales Regni Galliarum dicti Ordinis, Missionum caterarum, quæ Fratribus ejusdem Ordinis sub ditione charissimi in Christo Filii Nostri, Ludovici, Francorum Regis Christianissimi, degentibus, demandatæ sunt, auctoritate Apostolica Præfecti, tempore ultimi Capituli Generalis Ordinis præfati in Alma Urbe nostra celebrati, ipsum Cherubinum Procuratorem in Romana Curia dictarum Missionum, quarum curam, & onus ab undecim jam annis laudabiliter, & ex animi nostri sententia sustinuit, unanimi consensu constituerunt, ac deputârunt, quemadmodum quoque factum est à dilecto Filio, moderno Ministro Provinciali Provinciæ Hyberniæ, prædicti Ordinis, & aliàs, prout uberiùs continetur in eorumdem Ministrorum Provincialium patentibus Litteris desuper expeditis, tenoris, qui sequitur: *Reverendissimo Patri Cherubino de Noves, Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum Alumno, Concionatori Provinciæ S. Ludovici, in Romana Curia generaliter Assistenti Provinciis, & Missionibus Gallicanis ejusdem Ordinis, ac propriæ Nationis, Provinciæ suæ pro Comitiis Generalibus Custodi, Consultori Sacrarum Congregationum super Indulgentiis, & Reliquiis, nec non Sacræ Congregationis Indicis, Sancti Officii Qualificatori. Nos Provinciales infrascripti ejusdem Ordinis, & Nationis, Præfecti Apostolici, licet immeriti, salutem in Domino.*

Cum plurima Nobis incumbant tum apud Summum Pontificem, & S. Congregationem, tum apud alios sive intra, sive extra Religionem, Romæ gerenda negotia, pro Missionibus, & Missionariis nostris, qui à Sacra Congregatione deputati, ac Regis nostri Christianissimi protectione suffulti, toti se tradunt Christifidelium conversioni, Reverendissimam Paternitatem Vestram, de cujus pietate, prudentia, probitate, summo zelo, experientia & capacitate plurimùm in Domino confidimus, ad ea pertractanda negotia in Procuratorem præfatarum Missionum deputandam judicavimus. Ideo virtute præsentium Paternitati Vestræ Reverendissimæ facultatem facimus, & omnem authoritatem nostram committimus in his omnibus, quæ versantur tum circa nostras Missiones, tum circa alia quæcumque negotia, pro quibus recurrendum nobis foret ad Curiam Romanam, easdem Missiones, resque alias quæ

quæ ad Provincias nostras pertinent, humillimè in Christo commendantes: interim D. O. M. suppliciter deprecamur, ut Reverendissimæ Paternitati Vestræ det illam Sedium suarum assistricem sapientiam, quæ cum ipsa sit semper, & laboret, eamque ad communem Ecclesiæ utilitatem, Ordinisque Nostri, & nostræ Nationis decorem diu incolumem servet: in quorum fidem præsentes manu propria subsignatas dedimus in Conventu nostro Romano die 4. Mensis Junii MDCCXXXIII. Fr. Claudius Maria Ambianensis, Provincialis Provinciæ Parisiensis. — Fr. Franciscus Maria Tannayensis, Provincialis Provinciæ Turonensis. — Fr. Gregorius Alenconius, Provincialis Provinciæ Normanniæ. — Fr. Josephus Maria Jolensis, Provincialis Provinciæ Britanniæ. — Fr. Joannes Baptista à Gratianopoli, Provincialis Provinciæ Lugdunensis. — Fr. Nicolaus à Calvomonte, Provincialis Provinciæ Campaniæ. — Reverendissimo P. Cherubino de Noves, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Alumno, Concionatori &c. — Nos Philippus à Kennedy Custos, & Præfectus Apostolicus Capucinorum Missionis Hyberniæ (l. l.) salutem è fonte salutis sempiternam.

Cum plurima nobis incumbant, tum apud Summum Pontificem, & S. Congregationem, tum apud alios, sive intra, sive extra Religionem gerenda negotia pro Missionibus, & Missionariis nostris &c. in Conventu nostro Romano die 12. Augusti anno salutis MDCCXXXIII. f. Philippus, qui supra. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Cherubinus, quò munus sibi per memoratos Ministros Provinciales commissum utiliùs, atque efficaciùs, eum Socio suo Nationali, juxta antiquum supradicti Ordinis usum ei concesso, exequi possit, præmissa Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri plurimùm desideret. Nos prædictum Cherubinum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis &c. absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem ejusdem Cherubini in Procuratorem dictarum Missionum exterarum in Romana Curia à Ministris Provincialibus Regni Galliarum, & Hyberniæ, sicut præmittitur, factam, expeditasque desuper patentes litteras præfatas, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjungimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes ipsas præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictoque Cherubino in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque per quoscumque Judices ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Octobris MDCCXXXIII. Pontificatûs nostri Anno quarto.

N O T A.

Reluctanti mihi præpositum Breve, ob Documenta in Archivo Procuræ Generalis asservata &c. hic jungere, allatæ fuêre litteræ sequentes:

Cum Sua Sanctitatis mens sit, ut Breve f. m. Clementis XII. deputationem P. Cherubini à Noves in Procuratorem Missionum exterarum Patrum Gallorum Ordinis continens, Tomo V. Bullarii Religionis Capucinæ, quod de facto sub prælo jacet, per extensum inferatur, Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Secretarius P. V. ad hunc effectum, injunctum dicti Brevis exemplar transmittit. Et cum plenitudine &c.

Ex Propaganda 28. Augusti 1748.

Sacramentales Fidelium confessiones excipiendi, generalis facultas eidem Fr. Cherubino concessa, confirmatur.

Dilecto Filio, Cherubino de Novet, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis Zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut te specialibus favoribus, & gratiis prosequamur: Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod aliàs fel. rec. Benedictus PP. XIII. Prædecessor noster tibi, qui (ut asseris) Frater expressè Professus Ordinis Minor. Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, ac Missionum exterarum, quæ Fratribus ejusdem Ordinis, sub ditione charissimi in Christo Filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, demandatæ sunt, in Romana Curia Procurator existis, per suum Rescriptum die VIII. Novembris MDCCXXIX. editum, facultatem excipiendi sacramentales Christifidelium Sæcularium confessiones concessit: Nosque postmodum per aliud nostrum Rescriptum die XIX. Julii MDCCXXX. eamdem facultatem tibi à prædicto Benedicto prædecessore concessam confirmavimus, & aliàs, prout in nostro, & memorati Benedicti Prædecessoris Rescripto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut præmissa, quò firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideres, Nos te præmissorum meritorum tuorum intuitu, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, facultatem excipiendi sacramentales Christifidelium confessiones, tibi ab eodem Benedicto Prædecessore concessam, & à Nobis confirmatam, ut petitur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium pariter confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac, quatenus opus sit, denuo concedimus. Decernentes, *Residuum, uti in anteriore Brevi.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Februarii MDCCXXXIV. Pontificatûs nostri Anno quarto.

Semel in anno cuilibet Christifidelium, præsertim Peregrinis, in Ecclesia Fratrum loci Tarasconis, indulgentia plenaria conceditur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem, cœlestis Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, omnibus utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui Ecclesiam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Tarasconis, Avenionensis Diœcesis, ad quam, ut asseritur, devotionis causâ magnus Populi christiani, & præsertim Peregrinorum fit concursus, in quocumque anni die devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam, semel tantùm quolibet anno per unumquemque Christifidelium lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, misericorditer in Domino concedimus; præsentibus ad septennium tantùm valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, vel sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Martii MDCCXLIII. Pontificatûs nostri Anno tertio.

Breve formatum in Arch. Conventûs.

NOTA.

NOTA

Fixus hic ad septennium dumtaxat Indulgentiarum valor, fuit postmodum perpetuatus per preces, & Rescriptum sequens:

BEATISSIME PATER.

F. Cherubinus de Noves, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Definitor Generalis, Missionum exterarum sui Ordinis, sub Dominio Regis Christianissimi in Curia Procurator &c. ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus reverenter exponit, qualiter in Ecclesia Conventûs Capucinorum Regiæ Civitatis Tarasci, Avenionensis Diœcesis, celeberrimum adest sacellum, vulgò Sancta Capella *nuncupatum, curâ ejusdem Oratoris erectum, in quo una sacra Spina Coronæ Domini Nostri Jesu Christi, plures particulæ ex ligno Sanctissimæ Crucis, tria integra corpora Sanctorum, multæ Sanctorum, ac Beatorum originales epistolæ, aliæque quamplurimæ Sacræ Reliquiæ cum debitis litteris authenticis, publicæ venerationi decenter expositæ reperiuntur, ad quarum manutentionem S. V. nuper Breve Apostolicum benignè concessit, atque ad majorem earum cultum, solemne Triduum cum orationibus Panegyricis de iisdem Sacris Reliquiis &c. de licentia Ordinarii quotannis celebratur. Illuc autem innumerus penè, atque in dies magis, ac magis accrescens Fidelium concursus, undequaque continuò affluit: quapropter jam placuit S. V. impertiri ad septennium Indulgentiam plenariam semel in anno, ab unoquoque, quavis anni die acquirendam; Verùm, quia dicta Ecclesia multùm ab hac alma Urbe distat, valde timetur, ne inposterum hujus Indulgentiæ renovatio procurari negligatur, indeque etiam extinguatur tam eximia devotio, cui similis in tota illa regione non reperitur: quæque nedum Catholicos ad pietatis ardorem, sed & finitimos Calvinistas ad Sanctæ Religionis affectum indesinenter stimulat; Quare ut tantum animarum bonum nunquam excidat, humillimus Orator S. V. enixè supplicat, quatenus prædictam Indulgentiam plenariam quotidianam, ad perpetuum concedere dignetur.* Et pro Gratia &c.

Die 12. Aprilis 1747. ex Audientia Sanctissimi.

Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PP. XIV. Indulgentiam plenariam in prædicto Sacello, Capella Sancta nuncupato, ut asseritur, jam concessam, in perpetuum valturam benignè extendit, servato in reliquis ipsius tenore Brevis.

A. M. Erba Protonotarius Apostolicus, Secretarius Sac. Congr. Indulg. & Reliquarum &c.

Ex Ecclesia Fratrum loci Tarasconis, SS. Reliquias, & Sanctorum litteras, curâ Fr. Cherubini prædicti collocatas, extrahi prohibet, & prohibitionis exemplum valvis Ecclesiæ affigi mandat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut dilectus Filius, Cherubinus à Noves, Definitor Generalis, ac Missionum exterarum sub Dominio charissimi in Christo Filii Ludovici, Francorum Regis Christianissimi, in Curia Procurator, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, ipse in quadam Capella in Ecclesia Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Tarasconis, Avenionensis Diœcesis, nonnullas sacras Reliquias, nempe unam spinam, plures particulas Ligni Sanctæ Crucis Domini Nostri Jesu Christi, tria Corpora Sanctorum, multasque alias Reliquias, ac quasdam originales litteras Sanctorum, Beatorum, ac Venerabilium, ut piè creditur, collocari curaverit, dictus verò Cherubinus præmissorum conservationi opportunè, ut infra, à Nobis provideri plurimùm desideret. Nos specialem eidem Cherubino gratiam facere volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis personis, quacumque auctoritate fungentibus, & functuris, ac cujusvis statûs, gradûs, conditionis, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, nunc & pro tempore existentibus, ne ullo unquam tempore Reliquias hujusmodi in eadem Capella, sicut præmittitur, collocatas, & per eum donatas, seu

seu inposterùm donandas, & collocandas, è Capella prædicta eatrahere, & asportare, seu, ut extrahantur, & asportentur, aut alienentur, permittere, aut consentire, sub quovis prætextu, quæsito colore, causa, vel ingenio audeant quovis modo, vel præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nemo, nisi à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, & quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnis, per contrafacientes, eo ipso, absque alia declaratione incurrendis, auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis exemplum, in valvis dictæ Capellæ, aut alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, continuò affixum remaneat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Martii MDCCXLVI. Pontificatûs nostri Anno sexto.

Breve form. in Arch. Conventûs.

N O T A.

Et lege prædictas Sanctorum, & Sanctarum Reliquias, in Catalogo sequenti:

Una Sacra Spina Coronæ Domini Nostri Jesu Christi.
Plures particulæ Ligni Sanctissimæ Crucis.
Ex fasciis Infantis Jesu.
Ex Tabula, supra quam Dominus Noster Jesus Christus fecit Cœnam.
De Columna, cui fuit alligatus & flagellis cæsus.
Ex Sudario, quo Corpus Christi fuit involutum, & in sepulchro reconditum.
Ex Linteo, quo Beatissima Virgo involvit infantem Jesum in præsepio.

Corpora integra Sanctorum Martyrum.

S. Victoris Martyris.
—Vincentii Martyris.
—Victoriæ Martyris.
Corpus Sancti Clementis, sub Altari majori.

Reliquiæ Sanctorum Apostolorum.

S. Petri Apostoli.
—Pauli Apostoli.
—Andreæ Apostoli.
—Jacobi majoris Apostoli.
Ex Habitu Sancti Joannis Evangelistæ Apostoli.
S. Thomæ Apostoli.
—Jacobi minoris Apostoli.
—Philippi Apostoli.
—Bartholomæi Apostoli.
—Matthæi Apostoli, & Evangelistæ.
—Simonis Apostoli.
—Thaddæi Apostoli.
—Mathiæ Apostoli.
S. Barnabæ Apostoli.
—Lucæ Evangelistæ.
—Marci Evangelistæ.

Reliquiæ aliorum Sanctorum.

S. Acursii Martyris.
—Alexii Confessoris.
—Aloysii Gonzagæ Confessoris.
—Amadei Martyris.
—Ambrosii, Ecclesiæ Doctoris.
—Anastasii Martyris.
—Andreæ Avellini Confessoris.
B. Andreæ de Comitibus Confessoris.
S. Antonii Abbatis.
—Antonii de Padua Confessoris.
—Apollinaris Episcopi, & Martyris.
—Athanasii, Ecclesiæ Doctoris.
—Augustini, Ecclesiæ Doctoris.
—Aureliani Martyris.
—Basilii Magni:
—Benedicti Abbatis.
—Berardi Martyris.
—Bernardi Abbatis.
—Benigni Martyris.
—Bernardini Senensis Confessoris.
—Benevenuti Episcopi.
—Blasii Episcopi, & Martyris.
—Bonaventuræ Cardinalis.
—Boni Martyris.
—Bonifacii Martyris.
—Cæsarii Episc. Arelatensis.
—Cajetani Confessoris.
—Calixti Papæ, & Martyris.
—Caroli Borromæi Cardinalis.
—Casti Martyris.
—Christiani Martyris.

S. Chri-

S. Christophori Martyris.
—Constantini Martyris.
—Cosmæ Martyris.
—Damiani Martyris.
—Dionysii Areopagitæ Martyris.
—Desiderii Martyris.
—Didaci Confessoris.
—Dominici Confessoris.
—Donati Martyris.
—Dorothei Monachi.
—Eduardi Regis.
—Evaristi Papæ, & Mart.
—Eugenii Papæ.
—Eutropii Martyris.
—Fabiani Papæ, & Martyris.
—Felicis à Cantalicio Capucini.
—Fidelis à Sigmaringa Martyris Capucini.
Ex Habitu S. Francisci Assisiatis.
S. Francisci Borgiæ Confessoris.
—Francisci de Paula Confessoris.
—Francisci Salesii Episcopi, & Confessoris.
—Francisci Xaverii Confessoris.
—Feliciani Martyris.
—Fortunati Martyris.
—Gallicani Martyris.
—Generosi Martyris.
—Georgii Martyris.
—Gerardi Confessoris.
—Gervasii Martyris.
—Gregorii Magni, Ecclesiæ Doctoris.
—Henrici Imperatoris Confessoris.
—Hieronymi Ecclesiæ Doctoris.
—Hilarii Arelatensis Episcopi.
—Honorati Confessoris.
—Hypoliti Martyris.
Ex Tunica Sancti Jacobi de Marchia Confessoris.
S. Joannis de Deo Confessoris.
—Joannis de Cruce Confessoris.
—Joannis Francisci Regis Confessoris.
—Joannis Gualberti Confessoris.
—Joannis Nepomuceni Martyris.
B. Joannis de Prado Confessoris.
S. Januarii Episcopi, & Martyris.
—Ignatii Martyris.
—Ignatii de Loyola Confessoris.
SS. Innocentium Martyrum.
Ex cineribus S. Joannis Baptistæ.
S. Isidori Agricolæ Confessoris.
—Joachim Patris Beatissimæ Virginis.
Ex Pallio S. Joseph, sponsi Beatissimæ Virginis.
S. Joseph à Leonissa Capucini Confessoris.
—Jovitæ Martyris.
—Justi Episcopi Lugdunensis.
—Justini Philosophi Martyr.
—Jucundi Martyris.
—Lazari Episcopi Massiliensis.
—Laurentii Levitæ.
—Leontii Martyris.

S. Liborii Episcopi.
—Ludovici Regis.
—Ludovici Episcopi Tolosani.
—Longini Martyris.
—Lucidi Martyris.
—Martini Papæ.
—Martini Episcopi Turonensis.
—Mauri Abbatis.
—Modesti Martyris.
—Nicolai Episcopi.
—Nicolai de Tolentino Confessoris.
B. Nicolai de Rupe Eremitæ.
S. Optati Martyris.
—Othonis Martyris.
—Paschalis Baylon Confessoris.
—Philippi Nerii Confessoris.
—Pii V. Papæ.
—Petri Alexandrini.
—Petri Baptistæ Martyris.
—Petri de Alcantara Confessoris.
—Petri Martyris.
B. Petri Forerii Confessoris.
S. Patientis Martyris.
—Placidi Martyris.
—Prosperi Martyris.
—Raymundi de Pennafort Confessoris.
—Remigii Episcopi.
—Rochi Confessoris.
—Romualdi Abbatis.
—Romani Martyris.
—Sabbæ Abbatis.
—Sebastiani Martyris.
—Severini.
Ex Tunica B. Salvatoris ab Horta.
Beati Seraphini de Monte Granario Capucini.
S. Simpliciani Martyris.
—Silvestri Papæ.
—Stanislaii Episcopi, & Martyris.
—Stanislai Kosta Confessoris.
—Stephani Levitæ.
—Thomæ Aquinatis, Doctoris.
—Theodori Martyris.
—Tiburtii Martyris.
—Tranquilli Martyris.
—Trophimi Episcopi.
—Valentini Martyris.
—Valeriani Martyris.
Pileum S. Ubaldi Episc.
S. Venantii Martyris.
—Victoriani Martyris.
—Vincentii Diaconi, & Martyris.
—Vincentii de Paulis Confessoris.
—Vincentii Ferrerii Confessoris.
—Vitalis Martyris.
—Viti Martyris.
—Urbani Martyris.
—Xisti Papæ, & Martyris.
—Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ.

Reli-

Reliquiæ Sanctorum.

S. Annæ Matris Beatiſſimæ Virginis.
—Agathæ Virg. & Mart.
—Agnetis Virg. & Mart.
—Agnetis de Montepolitiano Virg.
—Anaſtaſiæ Virg. & Mart.
—Apolloniæ Virg. & Mart.
—Balbinæ Virg. & Mart.
—Barbaræ Virg. & Mart.
—Bonæ Mart.
—Birgittæ Viduæ.
—Candidæ pœnitentis.
—Catharinæ Virg. & Mart.
Ex velo S. Catharinæ de Bononia.
S. Catharinæ de Genua.
—Catharinæ de Ricci Virg.
—Catharinæ Senenſis Virg.
—Catharinæ de Svecia Viduæ.
—Cæciliæ Virg. & Mart.
—Claræ Aſſiſiatis Virg.
Ex Velo S. Claræ de Monte Falco Virg.
S. Columbæ.
—Chriſtinæ Virg. & Mart.
—Dorotheæ Virg. & Mart.
—Eliſabeth Matris S. Joannis Baptiſtæ.
—Eliſabeth Reginæ Hungariæ.
—Eliſabeth Reginæ Portugalliæ.
—Felicitatis Mart.
—Franciſcæ Romanæ.
—Helenæ Imperatricis.
B. Hyacinthæ de Mareſcottis.
S. Ireneæ Virg. & Mart.
Ex Velo S. Julianæ de Falconeriis.
S. Juſtinæ.
—Luciæ Virg. & Mart.
B. Ludovicæ Albertoniæ.
S. Mariæ Magdalenæ pœnitentis.
—Mariæ Salome.
—Margaritæ Virg. & Mart.
—Margaritæ Reginæ Scotiæ.
—Margaritæ de Cortona.
—Marthæ Hoſpitiſſæ Salvatoris.
—Martinæ Virg. & Mart.
B. Michelinæ de Piſauro Viduæ.
S. Paulæ Viduæ.
—Perpetuæ Mart.
—Petronillæ Virg.
—Roſaliæ Virg.
Ex velo S. Roſæ de Viterbio.
S. Scholaſticæ Virg.
—Serapiæ Virg. & Mart.
—Symphoroſæ Mart.
—Suſannæ Virg. & Mart.
—Theclæ Virg & Mart.
—Thereſiæ Virg.
—Urſulæ Virg. & Mart.

Plures litteræ originales Sanctorum, Beatorum, Venerabilium, pluraque alia, quæ fuerunt ad uſum ipſorum &c. nec non integer Habitus Statuæ B. V. Mariæ Lauretanæ.

DECRETO

Sacræ Rituum Congregationis

Officium cum Miſſa Sacrarum Reliquiarum in Eccleſia Taraſci à Fratribus, ſub Ritu dupl. min. die ab Ordinario ſemel deſignando recitari, ac Miſſam tantùm, & reſpectivè à Sacerdotibus quibuſvis ad prædictam Eccleſiam die aſſignato confluentibus, celebrari indulgetur.

In Feſto Commemorationis SS. Martyrum, & aliorum Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ, in Capellâ Sanctâ Eccleſiæ Capucinorum Civitatis Taraſci, Diœceſis Avenionenſis, ex parte Provinciæ venerantur &c.

AD VESPERAS, ET MATUTINUM.

Officium.

O*Mnia de communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ hic ſequuntur.*

ORATIO.

D*Eus, qui hanc Sacroſanctam Eccleſiam tot voluiſti Sanctorum decorari Reliquiis, concede nobis famulis tuis, ut, quorum memoriam veneramur in terris, eorum conſortio perfruamur in Cœlis. Per Dominum &c.*

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectiones.

De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Romanos. Fratres debitores ſumus &c. *de communi plurimorum MM.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio IV.

Ex tractatu S. Joannis Damaſceni de Fide Orthodoxa. lib. 4. cap. 16.

C*Hriſtus Dominus Sanctorum reliquias velut ſalutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, ſuaviſſimumque unguentum profluit. Nec verò quiſquam huic ſermoni fidem detrahat; Nam, ſi aqua in deſerto ex aſpera & ſolida rupe, atque ex Aſini maxilla ad ſedandam Sampſonis ſitim, Deo ita volente, profiliit; Erit—ne, cur cuiquam incredibile videatur ex Martyrum Reliquiis ſuave unguentum ſcaturire? Minimè*

nimè certè, iis quidem, quibus Dei potentia, honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus, & exploratus est, atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut, quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur, verùm hi mortuorum numero minimè habendi sunt.

Lectio v.

Ex quo enim ipsúmet vita, & vitæ Auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe resurrectionis, fideque erga eum diem extremum clauserant, mortuos haudquaquam appellamus. Quî enim mortuum corpus miracula edere queat? per eas Dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægri sanantur, cœci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, ac mœrores discutiantur, ac denique omne donum optimum à Patre luminum, eorum operâ ad eos, qui fide minimè dubiâ postulant, descendit. Quid non laboris suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? an non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profitentur, ac Deo pro nostra causa supplicant.

Lectio vi.

Honorandi certè, & quidem ita, ut in eorum nomine Deo templa extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur, quò nimirum lætitia nostra iis, à quibus invitamur, congruat, ac non dum eos colere, & demereri studemus, offendamus potius, & irritemus; quibus enim rebus Deus colitur, iisdem quoque Servi ipsius oblectantur: quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam ipsius milites offenduntur: quocirca in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, & cumpunctione, & eorum, qui in egestate versantur, commiseratione (quibus obsequiis Deus potissimùm conciliatur) Sanctos colamus, statuas ipsis, ac visibiles imagines erigamus, imò ipsi virtutibus eorum imitandis hoc consequamur, ut vivæ eorum statuæ, atque imagines simus.

IN TERTIO NOCTURNO.

Homilia super Evangelium.

Descendens Jesus de monte, de communi plurimorum Martyrum.

M I S S A.

Introitus. *Multæ tribulationes Justorum*, de communi plurim. Martyrum.

Oratio. *Deus, qui &c.* ut supra.

Epistola. *Hi viri misericordiæ sunt*, ùt in oct. Apost. Petri & Pauli 6. Julii.

Evang. *Descendens Jesus*, ut in communi, dicitur *Credo*.

Offertorium. *Mirabilis Deus in Sanctis suis Deus Israel, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ; Benedictus Deus.*

Secreta. *Munera tua, misericors Deus, Majestati tuæ oblata, benigno quæsumus suscipe intuitu; ut eorum nobis precibus fiant salutaria, quorum benedictas in Ecclesia ista Reliquias veneramur. Per Dominum &c.*

Communio. Ps. 32. *Gaudete justi in Domino, rectos decet collaudatio.*

Postcommunio. *Divina Domine libantes mysteria te deprecamur, ut per merita Sanctorum, quorum venerabiles Reliquiæ in ista requiescunt Ecclesia, peccatorum nostrorum veniam mereamur, & cœlestis gratiæ donis reficiamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

AVENIONENSIS.

Porrectis Sanctissimo Domino Nostro humillimis precibus ex parte P. Fr. Cherubini de Noves, Ordinis Minorum Capucinorum Definitoris Generalis, ac Missionum exterarum sub dominio Regis Christianissimi in Curiâ Procuratoris, pro concessione indulti recitandi Dominicâ primâ post octavam omnium Sanctorum à PP. Capucinis Familiæ Tarasconensis, Diœcesis Avenionensis, pro tempore existentibus, Officium sub ritu duplici Sacrarum Reliquiarum, quæ in Sacello Sancto nuncupato, erecto in eorum Ecclesia S. Francisci ejusdem Civitatis Tarasconensis, honorificè asservantur, ac publicæ Fidelium venerationi exponuntur, iisque à Sanctitate sua ad Sacram Rituum Congregationem remissis, Sacra eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Lercari, petitum Officium cum Missa propria sub ritu dupl. min., aliàs sub die 27. Maii 1734. Pro PP. Excalceatis Sancti Augustini approbatum, inposterum semel in anno pro die ab Ordinario assignanda, excepto die Dominico, à Religiosis Capucinis prædictæ Familiæ Tarasconensis recitari, ac Missam respectivè tantùm etiam à Sacerdotibus, ad eamdem Ecclesiam, eodem die confluentibus celebrari posse benignè indulsit, atque concessit die 16. Septembris 1747.

F. Card. Tamburinus Pref.

T. Patriarcha Hierosolymit. Secret.

Exemp. Auth. in Arch. Conventûs.

DECRE-

DECRETO

Sacræ Congregationis Indulgent.

Indulgentiæ centum annorum recitantibus Lytanias Omnium Sanctorum in Capella Sancta Tarasci in perpetuum conceduntur.

Beatissime Pater.

CUm in Ecclesia Capucinorum Civitatis Tarasci, Diœcesis Avenionensis ex parte Gallo=Provinciæ, augustissimum Sanctuarium, Sancta Capella vulgò nuncupatum reperiatur, ad quod undique confluunt devotionis causâ multi Christifideles: Ad augendam, & fovendam eorundem devotionem erga Sacras Reliquias ibi decenter collocatas, Frater Cherubinus à Noves, ejusdem Ordinis Definitor Generalis &c. ad pedes Sanctitatis Vestræ humillimè provolutus enisè supplicat, quatenus benignè concedere dignetur in perpetuum, & per Decretum, quasdam partiales Indulgentias adstantibus omnium Sanctorum Litaniis, à Sancta Sede Apostolica approbatis, quæ in dicta Sancta Capella prima feria sexta cujuslibet mensis recitantur. Et pro Gratia &c.

Die 22. Maji 1748.

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIV. audito Voto Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ, omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus, qui præfatæ Sacrarum Litaniarum recitationi, in assertâ Capella, primâ feria sexta cujuslibet mensis interfuerint, quâ Feriâ præfatarum id egerint, Indulgentiam centum dierum in perpetuum benignè concessit: voluitque hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari &c.

J. Card. Portocarrero Præfectus.

Autograph. in Arch. Conventûs Tarasci.

Fidelibus Scalam, prope Ecclesiam prædictam orationi tantùm destinatam, ascendentibus, quatuor vicibus per annum Indulgentiam plenariam concedit, & in reliquis anni diebus centum dies de injunctis, seu debitis pœnitentiis relaxat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris pia charitate intenti, omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Scalam prope Ecclesiam Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Tarasci, Avenionensis Diœcesis, sitam, & orationi tantùm destinatam, in quatuor anni diebus, per Ordinarium semel tantùm designandis devotè flexis genibus ascenderint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exhaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua die prædictorum id egerint, plenarium omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. In reliquis verò anni diebus Scalam hujusmodi, ut supra, ascendentibus, & ibidem orantibus, quo die pariter id egerint, centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consueta relaxamus. Præsentibus ad septennium tantùm valituris. Volumus autem, ut dicta Scala aliis usibus non inserviat, utque, si pro impetratione, admissione, vel publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut spontè oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub Annulo Piscatoris die x. Iunii MDCCXLVIII. Pontificatûs nostri Anno octavo.

NOTA

NE hasce Indulgentias unquam deficere contingat, illarum valor redditus ast perpetuus, instantiis, & Rescripto sequentibus:

BEA-

BEATISSIME PATER.

P. F. Cherubinus de Noves, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, Definitor Generalis, ac Missionum exterarum Capucinorum sub ditione Regis Christianissimi degentium in Curiâ Procurator, Sanctitati Vestræ humillimè exponit, quatenus prope Ecclesiam Conventûs Capucinorum Civitatis Tarasci, Diœcesis Avenionensis, ex parte Gallo-Provinciæ, nuper de licentia Ordinarii, & eleemosynis quarumdam Nobilium Personarum, ac cura ejusdem Patris Cherubini, constructa est Capella, & intus Scala Sancta, quæ cum sit unica publica intra limites totius Regni, Christifideles undique magna cum devotione ad illam confluunt, ut lucrentur Indulgentias ibidem à Sanctitate Vestra ad septennium concessas. Cum autem ob nimiam illius loci ab Urbe distantiam maximè timendum sit, ne imposterùm dictarum Indulgentiarum renovationem singulis septenniis procurare præfati Conventûs Superiores negligant, ac proinde tam eximia devotio penitus decidat, ideo Orator ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus enixè supplicat, prædictas Indulgentias in perpetuum extendere benignè dignetur. Et pro Gratia &c.

Ex Audientia Sanctissimi die 26. Augusti 1748.

Sanctissimus benignè annuendo pro gratia, Indulgentias, de quibus in precibus, in perpetuum, juxta petita extendit, & gratiam hujusmodi per hoc præsens Rescriptum suffragari voluit, perinde, ac si super eodem Apostolicæ litteræ in forma Brevis expeditæ fuissent.

Joseph Levizzani Secretarius.

Exemplar Auth. in Archivo Conventûs.

Præter indulgentias perpetuas hucusque & sparsim recensitas in hac eadem Ecclesia reperiuntur & aliæ temporaneæ, videlicet pro qualibet Feria Sexta mensis Martii, pro Novena ante festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi celebrari solita &c.

Gaudet quoque per litteras Reverendissimi D. Joannis Ipsi à Venetiis, inclyti Ordinis Camaldulensis Abbatis Generalis, Faventiæ sub 13. Kal. Februarii 1748. expeditas, Superior Conventûs pro tempore existens facultate erigendi in ea Confraternitatem sub titulo Passionis D. N. J. Christi, nec non benedicendi cum solitis indulgentiis Coronas, Camaldulenses nuncupatas. Novissimè fuit & in ea instituta Confraternitas sub titulo Compassionis B. V. Mariæ vigore diplomatis impressi, & à Reverendissimo P. Procuratore Generali inclyti pariter Ordinis Servorum ejusdem B. V. Mariæ subscripti, quod cum prædictis Camaldulensis Abbatis litteris in Archivo Conventûs asservatur &c.

Ecclesiam denique, quam intus uber gratiarum, & Reliquiarum thesaurus decorat, foràs & in fronte illustrant Emin. D. Cardinalis de Richelieu insignia, & nomen cum inscriptione sequenti:

D. O. M.

Hæc sunt Insignia Emin. D. D. Armandi Joannis du Plessis, *S. R. E. Cardinalis, Ducis de Richelieu, & de Fansac, qui commorans in hac Regia Civitate Tarasc. ob infirmitatem anno Domini MDCXLII. propter benevolentiam in FF. Minores S. Francisci Capucinos, & amorem S. Armandi, ejus Patroni, hanc Ecclesiam procuravit consecrari in honorem & gloriam Dei sub invocatione S. Armandi, illamque voluit sub ejus patrocinio perpetuò conservari.*

PROVINCIA LOTHARINGIÆ.

CAtegoriam hujus Provinciæ dum ſtruere cogito, felici declivio ad excurſum in præconia Sereniſſimæ & Regiæ Domûs Lotharingiæ abducor; nec enim illius ſtatum recenſere poſſum, quin munificam hujus pietatem commemorem, cum inter utramque vigeat gratiarum collatarum, & relatarum ratio, vigeat mutua ſummæ beneficentiæ, & ſummæ recognitionis relatio. Rupit Carolus Cardinalis à Lotharingia Pontificium, quo propapo noſtri Ordinis ad partes Ultramontanas inhibita fuit, repagulum, & ſtrenuâ operâ ſuâ (uti ſupra folium 23. refert.) Fratres Pariſios vocavit, ibique ſtabilivit. Ludovica à Lotharingia, Franciæ & Poloniæ Regina, nomen Capucinum in ſexu fœmineo dilatavit, & primum ultra montes Capucinarum domicilium ære ſuo Pariſiis fundavit. Carolus Cardinalis alteſatus, Religioſam Fratrum modeſtiam, ſeverioriſque vitæ rationem admirans, eos & ad Lotharingiæ partes anno 1584. ablegari petiit, quibus & extemplo Sereniſſimi Principes ſuccedaneâ pietate Domos conſtruxêre. Unus & idem alteſatus Cardinalis Carolus, Barroducenſem, Muſſipontanam, Nancejenſem &c. Ædes è fundamentis erexit, ſitumque Abbatialis Eccleſiæ S. Blaſii in Oppido S. Michaëlis, redditibus prius Monaſterio S. Benedicti ibidem unitis, pro fabrica Conventûs, authoritate, quâ ceu Nuntius Apoſtolicus pollebat, conceſſit, quem & Catharina à Lotharingia, Duciſſa de Alba mala, vulgò *d' Aumal* Conventu, in cujus Eccleſiâ cordaFiliorum Principum tumulari juſſit, ornavit.

Conventus duos Margarita Gonzaga à Mantua, ſecunda Henrici Lotharingiæ Ducis Conjux, ædificavit, Albimontenſem videlicet, & Spinallenſem: Henricus, Epiſcopus Virdunenſis, Nicolai à Lotharingia, Comitis à Vademonte Filius, unum & illum in Oppido S. Nicolai, R. D. Joanne d' Ourch, celebris Prioratûs S.Gorgonii Varangevillæ Priore Commendatario, fundum libenter concedente, & alium in Civitate Romarici Montis Sereniſſima Princeps Catharina Chriſtianiſſimi Regis Neptis, inſignis Collegii prænobilium Domicellarum inibi Abbatiſſa extruxerunt. Clamant & lapides Walloniæ, Campaniæ &c. ac Lotharingo ære ſe ad religioſas Fratrum ædes aptatos fuiſſe teſtantur.

Incitavit hoc Ducalis devotionis exemplum alios Lotharingiæ Proceres ad glorioſæ ſequelæ certamen, iiſque Deo & Capucinis in terris ſuis Domos conſtruendi conſilium ſuggeſſit, ita, ut plebi & Comunitatibus libertatem paris benevo-

nevolentiæ erga Fratres exercendæ quasi ademerint. Incitavit, inquam, gentis ſplendore, ſtirpis antiquitate & ampla Heroum ſylloge illuſtrem Luxemburgicam Domum: præterquam enim, quod Margaritha à Sabaudia, Principis Antonii à Luxemburgo Vidua, & Comitatûs Lineenſis Dotaria, primum Linei & Provinciæ Conventum ſuis expenſis erexerit, Margaritha Magdalena de Clermont, Duciſſa Luxemburgi, & Franciſci à Montmerantio, Franciæ Marechalli &c. Coniux, dato ad novam ibi Domum ſitu, avitum Luxemburgenſium erga nos affectum innovavit. Incitavit, inquam, Chriſtinam de Croy, Principiſſam de Salm, ut Carpinenſem, *vulgò Charmes*, Conventum condi juberet, Barbarâ de Bernecour, celebri ſæculi Heroinâ, ac Domini Albimontis ſeu *de Blamont* Vidua, ac Claudio Tomaſin, loci Parocho, inſignem operam præſtantibus. Surrexit & Lunevillæ Fratrum Domus ex æmula virtute Nicolai Priguey, Eccleſiæ Collegiatæ, & Ducalis Sancti Georgy Cantoris, & Canonici, nobili fœminâ Suſannâ de Cuſtines, Viduâ Domini d' Haracourt, Comitis de Damnataſols, & Baronis de Chamblay coadjuvante. Fundârunt alii & quidem Mirecurienſem Dominus de Marcoſſay, à Domino de Rouſſay ampliatum;cujus utriuſque cadavera in Eccleſia ibi requieſcunt: Rambervillanam nobilis mulier Claudia d' Hardigy, ſive d'Adigny, Vidua Baronis de Billiſtein, ſuppetitas ferentibus Nobili Domina Comitiſſa de Martel, Collegii Romarici montis alumna, & Domina Nicolina &c. San Deodatenſem Domina Eliſabeth Baupart, Baroniſsa de Clivomonte, Comitiſſa de Creange &c. Stannenſem D.Simon Sallet, utriuſque Ducatûs Lotharingiæ & Barri Theſaurarius Generalis: Vicenſem Carolus Bovette, Ordinis S. Stephani in Tuſcia Eques, Dominus de Domemont, de Turre &c. Vizelienſem Domina Claudia de Granmont, coadiuvantibus Dominabus de Forbac, & de Pirigot de Romecour. Neocaſtrenſi fundum, Eccleſiæ ſupellectilem, Bibliothecæ libros, & Fratribus continua dedit beneficia prædictus Dominus Sallet Theſaurarius, cujus uxor & in Capella S. Antonii ibidem ſonum ultimæ tubæ in quiete expectat. Pro Fontanecenſi fundum & prædia pro habitatione dedit Dominus de Mitry, ex antiquiſſima Lotharingiæ ſtirpe, in locum commodiorem eam tranſtulit D. Simon Gamian, fabricam ampliavit D. Joannes Chevalier, & perfecit D. N. de Poirat. Tullenſem fabricam inſigni terræ petio cum prædiis cœmeterio Hoſpitalis S. Petri contiguis Joannes de Porcelet de Maillane, Abbatiæ S. Manſueti Coadiutor, & poſtmodum Epiſcopus Tullenſis acceleravit, & pro ejus forma amplianda D. Fleuri, Eccleſiæ Cathedralis Tullenſis Canonicus, ampliſſimam ſtipem contulit &c.

Non ſuſpendit tamen hæc aliena æmulatio Sereniſſimorum Principum affectum; ubi enim aliorum devotio muros erexit, hi erectos miræ artis picturis, copioſa ſupellectile &c. exornaverunt; vel, ubi muri fatiſcebant ad ruinam, eos reſtaurârunt, vel, ubi anguſtia incolatui Fratrum eos minus aptos reddidit, ampliârunt: in omnibus autem Fratribus benefecerunt, & inopiam profeſſionis, fixæ charitatis ſubſidio ſublevârunt. Uſque ad familiaritatem crevit benevolentia, dum Fratrum conſortium ſibi voluêre commune, & cum his ad menſam ſedere, ciboque refici geſtivêre. Habitum Religionis ita æſtimârunt, ut Henricus Alteſatus, rejecto Virdunenſis Mytræ ſplendore, illo indui, Fratrum exercitiis commiſceri, inter hos mori, & cum Habitu in Eccleſia S. Nicolai ſepeliri voluerit. Habitûs & quietis ſocium in eadem Eccleſia habet piiſſimus Antiſtes Nepotem, Henricum, Comitem de Chaligny, Marchionem de Moy &c. qui ſicuti vivens vitam Viro Capucino parem duxit, ita pari ferali amictu inter Capucinos requiem æternam expectat.

Qui plures auguſtos Lotharingicæ Domûs manes, vel Capucini Habitu contectos, vel in Capucina Eccleſia humatos ſcire cupit, regrediatur ad hujus tomi folium 43. & ſequentia, ac in iis propenſum erga Capucinum nomen affectum miretur.

Quaſi terra Sereniſſimæ huic Domui non ſufficeret, elevavit ſe uſque ad cælos, &, ut in terris, Capucinis Dei Servis cæleſtes honores decernerentur, variè allaboravit.

Primus Capucini Ordinis Sanctus, Felix à Cantalicio, Ei debet beatos honores potiſſimùm: debet eos Carolo, & Franciſco Ducibus, nec non Catharinæ, Duciſſæ Alteſatæ, cum non ſolùm expenſas ſacri honoris, pluries Romam miſſo amplo arcæ ſuæ ſubſidio ſublevârint, ſed etiam prece ſuâ, inſtantiis Bavariæ unitâ, vota Religionis juxta ipſum Apoſtolicarum litterarum tenorem, tom. 1. fol. 75. legendum, feliciter compleverint.

Correſpondit tam propenſæ Principum pietati grata Fratrum operatio, &, dum ad ſacros labores, ac Dominicæ Vineæ cultum ſe ſe vocatos, & ſelectos noſcunt, indeſeſſo zelo à primis Provinciæ incunabulis uſque ad præſens tempus animarum ſaluti ſe ſe impenderunt; Verbum Dei, in primis etiam Provinciæ Cathedris, prædicando, Confeſſiones Sæcularium indiſtinctè excipiendo, ægrotis & moribundis aſſiſtendo, rudes Chriſtianis præceptis imbuendo, Miſsionarios ad opus Evangelii mittendo &c. Ex magno horum acervo opportunè mihi hìc Fr. Gabrielem à Neocaſtro ingerit viva adhuc fama de mira illius virtute, qua corda Auditorum ad uberes pœnitentiæ lachrymas ſolvit, & quam Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus N. de Camilli, de Eccleſia Tullenſi ad Archiepiſcopatum Turonenſem tranſlatus, ocularis olim teſtis juſtâ æſtimatione perpendit, & uſque ad mortem laudavit.

Nec tamen, dum ita colligunt, regularis vitæ cultum diſpergunt, ita vitæ activæ ſudores cum Monaſticæ obſervantiæ quiete concordant, ut non ſolùm inclinum erga eos populi, Procerumque affectum conſervent, ſed & primæ nobilitatis Filios in odorem ſuæ & Capucinæ ſuavitatis ſemper traxerint. Prænomino inter hos Fr. Antonium ex Familia de Lenoncourt, purpurâ Eccleſiæ, & Marchallatu Franciæ, Marchionatu de Coupvray &c. inſigni: Fr. Agathangelum ex notiſſima progenie Dominorum de Stainville, & Comitum de Cupedonia &c. Fratrem Antonii Comitis, & Barri Gubernatoris &c. ſecundùm carnem Germanum: Fr. Joſephum de Buſey, jugi erga Euchariſticum Sacramentum devotione celebrem; F. Antonium de Beaufort; Colonellum in caſtris, antequam eſſet Capucinus in clauſtris. Præterea alios ex Marchionum, Comitum, & Baronum Stemmate natos, aut aliàs Equeſtris & togatæ Nobilitatis Filios &c. &c.

Provincia tanto Ducum, Procerumque amore ſota, tot Conventuum numero aucta, & operariis conſpicua variè fuit jactata: A' Pariſienſibus Fratribus fundata, Lugdunenſi Provinciæ fuit unita, ab hac ſecta manſit unius moris & gubernii cum Campania; fuit tandem & ab hac plenè ſegregata anno 1662. Inſtrumento ſequenti,

In Nomine Domini Amen.

Cum in Capitulo Generali in alma Urbe celebrato hoc anno 1662. RR. PP. Provincialis & Cuſtodes Provinciæ Lotharingiæ, & Campaniæ Nobis expoſuerint, quod jam à pluribus annis dicta Provincia in duas fuerit diſtincta Cuſtodias, quarum una Lotharingiæ, altera Campaniæ nuncupatur, quæ ſuos habent Diffinitores & Guar-

Guardianos ejusdem Nationis, ac instanter postulaverint, ut earum divisio Decreto Deffinitionis Generalis stabiliatur, cum conditionibus sibi benevisis. Nos infrascripti Generalis & Diffinitores Generales post maturam deliberationem, auditis prædictis RR. PP. Provinciali, & Custodibus, visis eorum memorialibus & scripturis, & consideratis omnibus considerandis, justis de causis animum nostrum moventibus, hoc præsenti Decreto dicimus & statuimus, quod inposterùm Custodia Campaniæ cum omnibus, quos nunc possidet, Conventibus, eorum limitibus, & quæsturis, manebit separata à Provincia Lotharingiæ, nec subdita erit gubernio & visitationi Provincialis dictæ Provinciæ, sed dependebit immediatè ab Admodum R. P. Generali pro tempore existente, qui illam gubernabit per Commissarium permanentem à se deputatum, juxta commissionem ipsi dandam. Singulis annis celebrabitur Capitulum Custodiale, in quo eligentur à Guardianis & Discretis dictæ Custodiæ duo Diffinitores, qui cum R. P. Commissario instituent Guardianos pro singulis ejus Conventibus, & alia omnia præstabunt, quæ Deffinitoribus Provincialibus competunt, juxta nostras constitutiones: & unus ex illis poterit eligi, & continuari in Capitulo sequenti, sicut in Provinciis duo tantùm possint eligi Deffinitores præcedentis Capituli. Et quia dicta Provincia Lotharingiæ jam à pluribus annis misit unum tantùm Custodem ad Capitulum generale, & Custodia Campaniæ alterum, eodem præsenti Decreto statuimus, & ordinamus, quod in Capitulis Provinciali & Custodiali, immediatè ante Capitulum generale celebrandis, Provincia Lotharingiæ eligat tantùm unum Custodem de corpore dictæ Provinciæ, qui unà cum R. P. Provinciali veniet ad Capitulum generale, & Custodia Campaniæ etiam unum de corpore dictæ Custodiæ, in qua electione R. P. Commissarius Generalis habebit vocem activam & passivam. Poterit tamen Provincia Lotharingiæ in suis Capitulis Provincialibus eligere quatuor Deffinitores, ut faciunt aliæ Provinciæ. Volumus autem, ut post publicationem, & executionem præsentis Decreti Fratres, qui sunt in Custodia Campaniæ, non possint amplius transire in Provinciam Lotharingiæ, & vicissim, qui sunt de corpore Lotharingiæ, ut sic separatæ, non poterunt transire in Custodiam Campaniæ sine obedientia Admodum R. P. Generalis. Ita dicimus, decernimus, declaramus, & statuimus hoc & omni meliori modo.

Datum Romæ in loco nostro Immaculatæ Conceptionis die 13. Junii 1662.

F. Marcus Antonius, Minister Generalis.
F. Fortunatus à Cadoro, Procurator, & Commissarius Generalis.
F. Samuel à Pilsenburg, Diffinitor Generalis.
F. Aloysius à Verona, Diffinitor Generalis.
F. Bonaventura à Recineto, Diffinitor Generalis.
F. Claudius Bituricus, Diffinitor Generalis.

In florido suo circuitu post iteratas scissiones retinet

Conventus Fratrum	XXVII.
Hospitia	II
Monasterium Monialium	I.

Ad instantias Margaritæ à Sabaudia, Comitissæ à Lineyo, omnibus Christifidelibus confessis, & communicatis in Ecclesia Fratrum loci de Lineyo in Dominica Palmarum, ac festivitate Assumptionis B. V. Mariæ indulgentias plenarias, nec non ad pulsum Campanæ ejusdem Ecclesiæ vespertinum, Salutationem angelicam flexis genibus recitantibus 40. annos, totidemque quadragenas &c. in perpetuum impertitur.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SAlvator noster Jesus Christus Dei Filius, summo Patri consubstantialis, & coæternus, ut humanum genus, Adæ primi Parentis prævaricatione, æternâ morte damnatum, salvum faceret, & ipsi Patri reconciliaret, de ejusdem Patris sinu ad hujus mundi infima descendere, ex virgineo utero carnem humanam assumere, & tandem post habitam salutiferam inter homines conversationem, nobisque per eum ad æternam capessendam salutem, datam plenam instructionem, Crucis patibulo affigi, & temporalem mortem subire dignatus est; Unde Nos piè considerantes humana merita, ad salutem ipsam consequendam fore penitus imparia, fideles quoslibet ad visitandum Ecclesias, & alia regularia pia loca, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut per hoc, & aliarum sanctarum operationum exercitium, æternam beatitudinem valeant feliciter adipisci. Cum itaque, sicut accepimus, dilecta in Christo Filia, Nobilis mulier, Margarita à Sabaudia, Comitissa, de Lineyo, Tullensis Diœcesis, bonæ memoriæ, Antonii à Luxemburgo, dum viveret, de Brienna, & dicto Lineyo Comitis relicta, ac dilecti Filii, Nobilis Viri Francisci, etiam à Luxemburgo, Ducis Pinei, ad Nos, & Sedem Apostolicam, pro præstanda obedientia charissimi in Christo Nostri, & ejusdem Sedis Filii, Henrici III. Francorum Regis Christianissimi nomine, Oratoris destinati Mater, Religionis zelo, ac summâ erga Ordinem Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum devotione accensa, prope Oppidum de Lineyo hujusmodi, unam dicti Ordinis Domum cum Ecclesia, dormitorio, refectorio, cellulis, hortis, & aliis officinis necessariis construi, & ædificari fecerit; cupientes igitur, ut Ecclesia dictæ Domûs, quæ, ut etiam accepimus, ad honorem Sancti Nicolai, & Sanctæ Barbaræ dicata existit, in debita veneratione habeatur, & à Christifidelibus prædictis, congruis frequentetur honoribus, ipsorumque fidelium devotio ad illam augeatur, ac eorum animarum saluti fructuosiùs consulatur, quò exinde dono cœlestis gratiæ conspexerint se uberiùs esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam prædictam in Dominica in Palmis, ac festivitate Assumptionis gloriosæ Virginis Mariæ, diebus, à primis illorum vesperis, usque ad occasum Solis eorumdem Dominicæ, ac Festivitatis dierum, annuatim devotè visitaverint, & inibi pro salubri statu militantis Ecclesiæ, Reipublicæque Christianæ tranquillitate, & pacis inter illos Principes, & alios fideles conservatione, ac hæresum in Ecclesia Dei grassantium extirpatione, humiles preces Altissimo effuderint, quoties id fecerint, si his diebus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & elargimur. Et insuper omnibus Christifidelibus præfatis, qui quolibet die, tempore, quo sub nocte in eadem Ecclesia pulsantur illius campanæ, ad Angelicam salutationem recitandam, eam genibus flexis devotè recitaverint, quoties id egerint, quadraginta annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis, aut aliis quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino eisdem auctoritate, & tenore relaxamus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si eidem Ecclesiæ aliqua alia indulgentia fuerit per Nos concessa, præsentes litteræ nullius sint roboris, vel momenti.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, nono Octobris, Pontificatûs nostri Anno secundo.

Bulla firmata in Arch. Conventûs.

Curam

Curam Spiritualem Monialium Capucinarum Civitatis Nancei à Fratribus suscipi, sub præcepto obedientiæ mandat.

Dilectis Filiis, Guardiano, & Fratribus Domûs Ordinis Fratrum Minor. Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Nancei, Tullensis Diœcesis.

PAULUS PAPA V.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm, sicut accepimus, in Oppido Nancei Tullensis Diœcesis, unum Monialium, sub prima S. Claræ Regula Capucinarum Monasterium, ad Omnipotentis Dei, & ejus Matris Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium laudem, & gloriam, ac mulierum illarum partium, sub suavi Religionis jugo Altissimo famulari desiderantium, specialem fructum prævia Sedis Apostolicæ licentia, fundandum, & erigendum sit, Nos pro nostro pastoralis Officii debito, prospero dicti Monasterii regimini, & administrationi prospicere volentes, ac sperantes, si regimen, & administratio dicti Monasterii vobis, saltem ad aliquod tempus committatur, illud in spiritualibus, & temporalibus incrementa susceptorum esse. Idcirco auctoritate Apostolica, tenore præsentium Vobis in virtute Sanctæ Obedientiæ committimus, & mandamus, ut, postquam dictum Monasterium canonicè erectum, ac debita clausura munitum, suisque rebus necessariis instructum, & Moniales in eo introductæ fuerint, ejusdem Monasterii, illiusque Monialium, ac personarum in illo pro tempore degentium, in spiritualibus curam, gubernium, regimen, moderationem, & institutionem ad quinquennium, & deinde ad nostrum beneplacitum, suscipiatis, & geratis, in eumque finem talem ex vestro Conventu designetis, & deputetis Sacerdotem, ad nutum Superiorum amovibilem, qui verbo, & exemplo vitæ, dictas Moniales in Constitutionum regularium dicti Ordinis observantia instruere, ac juxta easdem Constitutiones, & instituta regere, & gubernare possit, & valeat. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ Priorissæ, & Monialibus dicti Monasterii, pro tempore existentibus, ut Vobis pareant, & obediant, ac vestra salubria monita recipiant. Nō obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die xx. Octobris MDCXIV. Pontificatûs nostri anno decimo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni præd. fol. 234.

Domos, seu Conventus in Dominio Regis Christianissimi sitos, à Provincia separari approbat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Minister Generalis, Ordinis minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod nonnullæ Domus Regulares dicti Ordinis, in Dominio charissimi in Christo Filii nostri, Lodovici, Francorum Regis Christianissimi sitæ sunt, Provinciæque nihilominus Lotharingiæ ipsorum Fratrum unitæ, & incorporatæ reperiuntur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, diversis ex causis, quæ tum ab ipso Ministro Generali, tum etiam Diffinitorio Generali Fratrum hujusmodi admissæ, & approbatæ fuerunt, Minister Generalis prædictus, plurimùm cupiat Domos prædictas, ab eadem Provincia dividere, & separare posse, Nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, ut sibi de opportuna ad hoc facultate providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos Domorum præfatarum prospero statui, fœlicique directioni consultum esse cupientes, præfati Ministri Generalis votis hujusmodi annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, Eidem Ministro Generali, quòd ex causis prædictis, & juxta resolutionem in Diffinitorio Generali dicti Ordinis novissimè celebrati captam, Domos Regulares hujusmodi, à præfata Provincia Lotharingiæ, illiusque Ministri Provincialis curâ, gubernio, visitatione, correctione, & & superioritate separare, & dismembrare, illasque sic separatas, & dismembratas Visitatoris à prædicto Diffinitorio Generali deputandi, vel deputati curæ, gubernio, & correctioni supponere, aliaque desuper necessaria, & opportuna facere, & exequi libere,

berè, & licitè valeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes præsentes litteras, & illarum vigore faciendam separationem, & dismembrationem, ac unionem, & incorporationem præfatas, postquam factæ fuerint, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, quos concernunt in omnibus, & per omnia pleniffimè suffragari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. record. Nicolai Papæ IV. prædecessoris nostri desuper edita, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Domorum, Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissarum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenoribus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Aprilis MDCXXXIV. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Breve formal. in Arch. Gener. Ord. Armario Provincia Lotharingiæ.

Provinciâ bello turbatâ, Guardianos extra tempus Capituli eligi concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Minister Generalis, & Procurator Generalis, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod Capitulum Provinciale Lotharingiæ ejusdem Ordinis inibi, ob præsentes bellorum motus convocari, & celebrari nequit; quoniam verò pro felici ejusdem Provinciæ statu, atque gubernio, nonnulli Domorum Regularium, Ordinis, & Provinciæ prædictorum Guardiani, in locum eorum, qui ad tempus hujusmodi munere funguntur, subrogandi, & constituendi sunt, nec id, absque speciali nostra, & Sedis Apostolicæ licentiâ, fieri potest, Nobis Minister, & Procurator Generales præfati, humiliter supplicari fecerunt, ut de opportuna in præmissis licentiâ providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, dictorum Ministri, & Procuratoris Generalium votis, quantùm cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas, à quibusvis &c. & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum consilio, dilectis Filiis, Ministro Provinciali, & Definitoribus dictæ Provinciæ, ut tot Domorum Regularium Ordinis, & Provinciæ hujusmodi Guardianos, quot opus esse duxerint, in locum modernorum Guardianorum substituere, subrogare, ac deputare liberè, & licitè possint, & valeant, licentiam, & facultatem, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Martii MDCXXXV. Pontificatûs nostri Anno duodecimo.

Autogr. in Arch. Secret. Brevium Apostol. Reg. mensis & anni præd. fol. 40.

Fr. Antonio de Reling, Ducissæ Viduæ, ejusq; Natorum Confessario, commodum itineris, sicut & Socio indulget.

A' tergo: *Dilecto Filio, Antonio de Reling, Ord. FF. Min. S. Francisci Capucin. nuncupatorum Professori.*

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

RElígionis Zelus, vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & vir-

& virtutis merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut Te ſpecialibus ſavoribus, & gratiis proſequamur. Cum itaque, ſicut nuper Nobis eaponi feciſti, Tu, qui, ut aſſeris, Miniſter Provincialis Provinciæ Lotharingiæ, Ordiois Fratrum Minorum S. Franciſci Capncinorum nuncupatorum, & ad excipiendas Sacramentales Confeſſiones dilectæ io Chriſto Filiæ, Nobilis Mulieris, modernæ Duciſſæ Barri, & Lotharingiæ ſtatuum Regentis, illiuſque Natorum Confeſſarius deputatus exiſtis, aliquoties ad muous Confeſſarii bujnſmodi obeundum, de loco ad locum, eos comitari teoearis, Tu verò pedibus iter agere nequeas, nec rhedâ vebi Tibi liceat, propter expreſſam Conſtitutionum dicti Ordinis probibitionem; Nobis propterea ſupplicari feciſti, ut Tibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de beoignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, Te ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & à quibuſvis eacommuoicatioois &c. abſolveotes, & abſolutum fore cenſentes, bujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi, ac pro tempore exiſtenti ſocio tuo, Ordinis prædicti profeſſori, ut de Superiorum veſtrorum licentiâ, memoratam Duciſſam Regentem, illiuſque Natos comitandi gratiâ, dum iter ſecerint, quoties opus fuerit, rhedâ, ſeu alio vehiculo, vehi liberè, ac licitè, ac abſque ullius pœoæ, per Conſtitutiones præſatas quomodolibet impoſitæ incurſu, poſſitis, ac valeatis, ac veſtrûm quilibet poſſit, & valeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Cooſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec oon dicti Ordinis, etiam jurameoto, confirmatione Apoſtolica &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, ac litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, ac innovatis. Quibus omoibus, & ſingulis illorum tenores, præſentibus pro plenè, ac ſufficienter eapreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis babentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dnmtaaat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris dio XXI. Auguſti MDCCXXXIII. Pontificatûs noſtri Anno quarto.

Autograph. In Archivo Secret. Brevium Apoſtol. Regeſt. menſis, & anni prædict. fol. 5.

PROVINCIA CAMPANIÆ

Diversam subiit sortem, & acquisivit titulos: egit Filiam, evasit Soror, fuit Custodia, floruit, & floret Provincia. Filiam se noscit Provinciæ Parisiensis, per constructum anno millesimo quingentesimo octuagesimo quinto Virodunensem Conventum, juri dictæ Provinciæ subjectum, usque dum ab ea dissecta, cum Conventibus Lotharingiæ, in Custodiam fuit erecta. Aucto Conventuum numero, nomen Provinciæ unitim cum Lotharingiæ Conventibus sortita, indivisumque gubernium cum his partita est, usque ad annum millesimum sexcentesimum sexagesimum secundum, quo, instante Regio Lotharingiæ Duce, Carolo IV., Conventus Lotharingiæ, retento Provinciæ titulo, Mirecurii fuerunt separati, Campania proprii juris remansit Custodia, & dum illa Provincialem cum Custode uno, ad Comitia Ordinis Generalia ablegavit, hæc miserat secundum. Elevavit tandem eam annus millesimus sexcentesimus octuagesimus quartus, in Capitulo San-Manechildensi, cui nomine Regis & Ordinis, Fr. Ludovicus à Tullio præfuit, in Provinciam, in qua, aliis postmodum Conventibus adaucta, Fratres commoda, quæ Jacobus Vitriacus, de Minorum Ordine, communi elogio recenset, Ecclesiæ impensa, speciali promovent zelo: sunt Fratres Campaniæ ii, *qui lectulum Salomonis, tanquam fortes Christi milites, ambiunt de porta ad portam, cum gladiis transeundo — diebus ac noctibus à divinis laudibus, ac sanctis exhortationibus non cessant, vocem suam quasi tubam in fortitudine exaltant, facientes vindictam in Nationibus, increpationes in populis — circumeuntes Civitates, famem patientes, qui tanquam sal terræ, cibos suavitatis & salutis condientes, carnes desiccant, vermium putredinem & vitiorum fætorem amoventes; tanquam lux mundi, multos ad scientiam veritatis illuminant, & ad fervorem charitatis accendunt, & inflammant.*

Possidet Calvomontana hujus Provinciæ Domus nobile & venerabile Depositum, exuvias videlicet Servi Dei Fr. Honorati Champiniensis, de quo supra fol. 26. particula laudis antecessit. Defuncti Cadaver humârunt Fratres in solito suo Cœmeterio, mansitque in eo, usque ad annum 1696., quo, peste Civitatem desolante, jussu Episcopi, & Cive instante, panno serico involutum, plumbeæque arcæ inclusum, in meditullio Ecclesiæ sub marmore albo, cui sequens incisum est epitaphium, fuit reconditum.

Hic jacet R. P. Fr. Honoratus Parisinus Capucinus, Definitor Generalis, octavus Fran-

Franciæ, & primus Lotharingiæ Provincialis, ac in diversis Provinciis sæpe Commissarius Generalis, qui sicut in vita amabilis valde, & multùm tam à suis, quàm ab exteris honoratus, sic in morte, & maximè in funeribus supra modum fuit honoratus: obiit, in æternum honorandus in hoc Conventu anno 1624. die 26. Septembris.

Sic honorabitur, quemcunque Rex honorare voluerit.

Memoriâ antiquitatis dignum est numisma, quod tempore, quo fundamenta Domûs Lingonensis jacta sunt, in ipso erigendæ summæ aræ loco fuit inventum, cum inscriptione, *hîc sacrificabitur Altissimo.*

In San-Manechildensi hujus Provinciæ Ecclesiâ, Magnus Ludovicus XIV. Civitate juri suo Regio per Principem Condæum subactâ, votum, à Ludovico XIII. Patre editum, renovavit, ditionem suam Reginæ Cœli protectioni dicavit, & in festo tutelaris Patronæ ad Cœlos Assumptæ, in toto Regno memoriam hujus anathematis, annuo Religionis officio, & solemni processione renovari sancivit.

Complectitur hæc Provincia, intra se, Hiberniæ Provinciam, in duos Conventus clausam, & præter hos numerat.

Conventus Fratrum	XV.
Missionem extra Provinciam	I.

Documentum Apostolicum, quod hanc afficiat Provinciam, aliud hucusque reperire non licuit, quàm illud, quod suprà fol. 123. & 149. est positum, & quo in hypothesi unionis Provinciæ Burgundiæ cum Lugdunensi, nonnulli hujus Conventûs, Campaniæ aggregari debuissent. Sicut autem unio Provinciæ fuit impedita, ita & Conventuum aggregatio suspensa, eapropter & litteras Apostolicas effectu destitutas, tertiâ vice, in hoc eodem tomo extendi supervacaneum judicatum est.

PROVINCIA TOLOSANA.

SI memoriam Stephani Duranti, tum ingenii acumen, quo in ponderandis rerum momentis polluit, tum comitas virtutis, qua de Capitolino Tolosæ gradu, ad fastigium primæ Sedis in Parlamento sibi viam stravit, tum infelix mors, quam tenacior Regis sui defensio ei attulit, reddant posteris singularem, eam in nostris Provinciæ Tolosanæ Fratribus conservat venerandam charitas, qua D. Rochettum Presbyterum, Ecclesiæ S. Stephani Præbendatium, Romam cum litteris ad Ill. D. Fuxum, Archiepiscopum Tolosanum, & Regis Henrici III. apud S. Sedem Oratorem datis, ablegavit, Fratresque nostros Tolosam, ab Ausonio *Civitatem Palladis*, ab aliis *Romam Garonum*, & à Balzac à *Cælo prædilectam* vocitatam, pro fundando ibi domicilio mitti sollicitavit.

Lubenti animo Gregorius XIII., tunc Ecclesiæ Romanæ clavum tenens, admisit preces, & vocato in partes, tum altefati Oratoris, tum Patrum Ordinis consilio, Fr. Thomas Taurinensis, Conventûs Lugdunensis Guardianus, anno 1581. ex Comitiis, quæ tunc Romæ agebantur, generalibus, Tolosam destinatus est. Recepêre eum Præses Durantus, & Cives, festivo lætoque amplexu, ac charitate peculiari, in dies erga ipsum ob Apostolicum zelum, quem in eo concionante universim stupebant, adauctâ, eousque, ut pro fundanda regulari Domo, certatim situm offerrent. Prætulit ille locum, quem *Collegium Verdale* nuncupabant, tunc à RR. PP. Minimis S. Francisci de Paula, per civilis belli furorem à proprio Monasterio expulsis, inhabitatum, & illico publico mille aureorum nummo emptum. Rediit his actis Fr. Thomas Lugdunum, &, ut major Fratrum turba Tolosam mitteretur, ab Ordinis Superioribus requisivit. Gessêre hi morem instantiis, & sub Duce, & Commissario Generali, Fr. Casparo Papiensi, Romani Conventûs Guardiano, horum 14. terram promissionis an. 1582. feliciter attigerunt, & in ædificio designato, ad arctiorem mensuram redacto, & econtra angusto sacello, in quo Sacræ Reliquiæ SS. Hyppoliti, & Cassiani colebantur, ad augustius vas dilatato, primam sedem fixerunt, exemplum præbentes bonorum operum in doctrina, in integritate, & gravitate. Traxit hæc novæ vitæ ratio plures alumnos in sequelam; non enim duntaxat prædictus Rochettus, substantiâ suâ in ædificium Conventûs conversâ, semetipsum hujus lapidem probatum effecit, sed etiam tot ex RR. PP. Observantibus, purioris

disci-

disciplinæ ſtudio allecti, noſtratibus ſe junxerunt, ita, ut illorum Superiores ſe ab omnibus, quaſi deſeri videntes, de Decreto Parlamenti, quo ſuis ad Capucinos tranſitus interdiceretur, ſibi provideri inſtarent. Auctâ inde Religionis prole, & domicilia augeri neceſſum erat; benignè quoque Henricus Montmorancii Dux, & Occitaniæ Pro-Rex conſilio acceſſit, dum in Civitatibus Beterrenſi, & S. Agathæ Domos conſtrui conceſſit, ac utriuſque fabricam liberali ſtipendio coadjuvit. Subſequa tandem Albienſis Conventûs fundatio, P. Commiſſarium induxit, ut primum Capitulum, in quo Vocales ad Capitulum Generale anni 1587. eligerentur, convocaret. Ægriùs quidem Præſes Durantus neglectum Decretum ſupra ſatum, & ad R. P. Obſervantium favorem emanatum tulit, conciliavit tamen ipſius animum charitas à Fratribus exhibita, dum ſævior peſtis Toloſam agitavit,& ii,quibus opitulandi cura & debitum inhæſerat,turmatim mortis periculum vitârunt: Fratres enim noſtri ad ſolamen ſpirituale ſelecti, & charitate, quæ forâs mittit timorem, animati, per vicos & plateas diſcurrentes, ſe omnibus omnia fecerunt, ita ut Toloſani eos ad Conventum reduces, ceu charitatis triumpho celebres, in effuſa gratiarum actione receperint, & ſparſa ſama & aliis Civitatibus conſilium fundandi Conventus dictaverit. Objecit quidem ſe progreſſui Calviniſtarum livor, ita quidem, ut non ſolùm in Civitate Montis Peſſulani vulgò *Montpellier*, plantatæ Crucis cæremoniam, tormentorum exploſione turbare, Crucemque erectam noctu abducere præſumpſerit, & conſtantem Petri Fenovillet Epiſcopi animum â fundationis propoſito,blanditiis æquè ac minis abducere (fruſtra licèt) ſategerit, verùm etiam eaſdem vexas in cepta Milliarii, & Miſſionis Lunenſis &c. fabrica renovârit, & de inſultibus, in fundatione Granatenſi proceſſerit ad facta violentiæ, quâ Fratres ſacrilega manu de Conventu eductos, diutius carceri mancipavit, & tandem ex Urbe expulit, Quemadmodum tamen conſilium non eſt contra Dominum, & vana ſunt humani furoris molimina, ubi potentia Domini, propoſita pietatis ſuffulcit, ita ſtetit in virore Capucini nominis flos, & excrevit in Provinciam conſpicuam, ex Aquitaniæ & Toloſæ Conventibus, ita amplè compoſitam, ut anno 1640. eas in diſtinctas Provincias erigi concluſum fuerit, primâ etymon Aquitaniæ aſſumente, & alterâ Toloſanæ, ex primi Conventûs fundatione, retinente.

Gloriam hujus non parum probat alteſati Sereniſſimi Henrici Montmorancii Ducis, primi Baronis, Paris, Marechalli, & Comitis Stabilis Franciæ, Ordinis S. Spiritûs Equitis, Occitaniæ Gubernatoris, Comitis Dammartini &c. pius ad Fratres noſtros receſſus, conſumpta ſub eorum directione vita, & ſelecta in concredita iis Eccleſia cadaveris ſui ſepultura:cum enim hic æviterni nominis Princeps dies antiquos, in quibus Chriſtianæ pietatis principia, liberioris vitæ ratione, inter Regiæ Aulæ obſequia, variumque fortunæ luſum non parum laxaverat, ſerio animo recogitaſſet, & annos æternos in canæ ætatis mente habuiſſet, authoritatem potentiæ privato lari poſtponere, tumultum Aulæ generoſo faſtidio vitare, ac in Domo, intra ſepta Conventûs S. Agathæ conſtructa, & Sacello B. V. Mariæ de Gradu vicina, diem mortis operiri ſtatuit. Capto in hoc incolatu, peccata ſua eleemoſynis, pauperibus largiter per codicillum aſſignatis, redimere, damna Eccleſiis illata, ære per Summum Pontificem taxando compenſare, & confeſſione generali conſcientiam, pro cujus examine dietim duas impendebat horas, purgare cœpit, P. Archangelo Provinciale in Directorem, & rerum arbitrum conſtituto, & more ſacram ſynaxim diebus dominicis ſumendi non amplius interrupto, uſquedum ultimus vitæ dies, quo inter P. Archangeli manus animam exhalavit, illuxerat. Amorem, quo vivus Fratres eſt proſecutus, mortuus ſecum portavit in terram cum eorum Habitu, quo in prædicto B. Virginis Sacello, curæ Fra-

trum

trum commissio humari, et cujus humilitate vanitatem Mausolæi suppleri voluit.

Magni Principis hoc est factum; Jungamus ei et aliud virtutis exemplum, quod sicut Fratrum nostrorum operâ potissimùm fuit formatum, ita et Provinciæ merita dignè exaltat. Jungamus Montmorancio Jacobeam de Bachellier Biterensem, ut, ubi peccantis hæc secuta est exemplum, â virtute pœnitentis non separetur. Usque ad annum 25. mundanæ vanitatis cucurrit semitam, et sicut puellas alias ancillantis fortunæ fastu, et vultûs decore longè anteibat, ita et liberioris vitæ ratione nulli fuit secunda. Arcano impulsu periculum, in quo hæsit, edocta, quæ Domini sunt, cogitavit, eumque vitæ ordinem sibi fixit, quem mirari faciliùs, quàm imitari possumus. Calcato, quo implicabatur, vestium luxu, Habitum Capucinum induit, opiparam Fratris in Curia Montis-pessulana Præsidis mensam neglexit, solâ offâ inter pauperum turmam ad Conventûs nostri portam sumptâ contenta, et ad exemplum Annæ Prophetissæ, de nostro Templo per diem vix aliter quàm coacta recessit. Fessa ab oratione membra in vilis cubilis palea deposuit, ignem nunquam, hyemante licèt tempore, adhibuit, nec aliud lumen, quàm quod in Ecclesia arsit, vidit; eousque arcta erat illius paupertas, ut substantiâ per Curatores malè impensâ, alia quæcunque defuerint. Cives duntaxat mansit in amore Dei, quo ita extra se rapiebatur, ut sæpius per sex integras horas, alia verba formare haud potuerit, quàm *Misericordia*, *Alleluja*, *Gloria Patri &c.* Redundavit in corpus amoris æstus, ita, ut hoc frigeret nunquam, caleret semper. Os suum aperiens sapientiæ, dedit consilia salutis, prædixit ventura, & cordium secreta patefecit: amore dum introducta in cellaria sponsi sæpius languit, visio cœlestis eam malis dulcedinis stipavit. Illam dum sponsus probavit in tribulationibus, invênit virginem in patientia multa vigilantem; dum & caro, jejuniis & annis licèt contrita, concupivit adversùs spiritum, & ipse quoque avernus, crebriore tentatione, solatia contemplationis turbavit, innixa super Dilectum suum, & fidei galeâ munita, illam & hunc superavit. Duravit pugna usque ad annum 1635., quo exuvias mortalitatis deposuit, die Conversioni Sancti Pauli dicata, ut eo ipso die, quo Habitum pœnitentiæ induta, stadium conversæ vitæ incepit, constantiæ præmium reciperet. Eam autem populi multitudinem, sparsa mortis fama ad cubile compulit, ut Fratres pii tumultûs vix possent arctare chaos. Adivit illud & ipse Episcopus, stupuit carnem mollem, & 80. annorum senio nullatenus rugatam, psalmoque propitiationis dicto, velum capitis sibi dari petiit. Acta sunt postero die præsente Magistratu, nobili Civitatis cœtu, ac infinito propemodum populo, sacra piacularia, quæ Oratio funebris â Fr. Simeone â Monte Marsano, ex themate & Davidico versu: *sicut umbra cum declinat, ablatus sum, genua mea infirmata sunt â jejunio, & caro mea immutata est propter oleum*, deducta conclusit. Constans autem manet devotionis memoria, & dum linteamina, Habitûs petia &c. morbos in aliis sanant, alii, per Missas in Capella cadaveris dictas, gratias implorant.

Ulteriora decora, quæ Provinciam hanc commendant, extra ejus claustra non mutuo, hæc ipsa ex interno virtutis suæ seminario desumo, Viros producens, quorum virtus ad generale Ordinis Definitorium penetravit; producens Fr. Bonaventuram Tolosanum, Virum in omnes mitem, in se severum, dotibus naturæ et gratiæ insignem; Fr. Angelicum Albiensem, qui doctrinam et prudentiam, pietate mirè commiscuit, et conspicuum vitæ fulgorem, arte humilitatis semper celare studuit: et Fr. Justinum Biterrensem, ævi nostri Virum,

et

et ea religiosa, ac docta virtute dotatum, ut longè plus, quàm ipsi datum sit, meruerit.

Provincia hæc etiam gloriæ, quæ de Fr. Josephi à Josa virtute promanat, dignè particeps excurrit ad

Conventus Fratrum xxxix.

Donationem Capellæ S. Lupi, ad mensam Archiepiscopalem Narbonensem spectantis, pro Domo Fratrum construenda, à Francisco Cardinale Jojosæo factam, ratihaberi committit.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam,

Ad ea libenter intendimus, quæ Regularium personarum commoditatem respiciunt, ut hi divinis obsequiis fructuosiùs insistere possint. Cum igitur, sicut recepimus nuper, dilectus Filius noster, Franciscus, tituli Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis de Jojosa nuncupatus, Ecclesiæ Tolosanæ, dispensatione Apostolica Præsul, nec non fructuum, redditiuum, & proventuum mensæ Archiepiscopalis Narbonensis reservator, cupiens quàm multos dignos, & utiles in Vinea Domini Operarios reperire, ac votis dilectorum Filiorum Communitatis, & Hominum Civitatis Narbonensis, precibusque Ministri Provincialis Fratrum Capucinorum Provinciæ Aquitaniæ annuere, Oratorium, seu Capellam S. Lupi, prope, & extra muros dictæ Civitatis situm, ad mensam Archiepiscopalem prædictam legitimè spectantem, & pertinentem, unà cum Oratorio, seu Capella, horto, aliisque juribus, & pertinentiis suis Ordini dictorum Fratrum Capucinorum, etiam de consensu Capituli, & Canonicorum Ecclesiæ Narbonensis ad laudem Dei, & Christianæ Religionis augmentum, perpetuò concessit, prout in publicis dictæ concessionis scripturis, pleniùs dicitur contineri. Cumque dicta Communitas, & Homines pro eorum devotione summoperè cupiant, apud Capellam, seu Oratorium hujusmodi unam Domum Regularem dicti Ordinis Fratrum Capucinorum erigi, & institui, propterea dilectus Filius, Bonaventura de Monreale, Frater, & Procurator Generalis ejusdem Ordinis, Nobis, ipsius Ordinis nomine, humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui Ordinis prædicti, qui uberes quotidie in Ecclesia Dei fructus producit, incrementum summopere desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dicti Oratorii, seu Capellæ, ac scripturas desuper confectas, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, ac inde secuta quæcumque, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque plenariæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, & singulos tam juris, quàm facti, & solemnitatum forsan requisitarum defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Præterea eidem Bonaventuræ, & aliis dicti Ordinis Superioribus, & Fratribus apud Oratorium, seu Capellam hujusmodi, unam Domum ejusdem Ordinis Fratrum Capucinorum, cum Ecclesia dicti Sancti Lupi, vel alterius nuncupationis, nec non campanili humili, campanis, cœmeterio, dormitorio, refectorio, claustro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis necessariis quibusvis, etiam loci Ordinarii licentiâ desuper minimè requisitâ, construi, & ædificari faciendi, licentiam concedimus, illamque, postquam constructa, & ædificata fuerit, in Domum Regularem dicti Ordinis, sub hujusmodi invocatione pro perpetuo usu, & habitatione Guardiani, & Fratrum ipsius Ordinis illuc introducendorum, & permansurorum, qui ibi sub regulari observantia Deo famulentur, ad instar aliarum similium Regularium Domorum, etiam perpetuò erigimus, ac instituimus: nec non pro tempore in eadem Domo commorantibus Guardiano, & Fratribus dicti Ordinis, ut tam in Civitate, quàm in tota Diœcesi Narbonensi, sine tamen præjudicio Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, seu quorumvis locorum piorum, eleemosynam ostiatim à Christifidelibus petere, & exigere: & insuper, si in constructione dictæ Domûs Regularis, & illius membrorum contigerit novam Ecclesiam ibi fabricari,

cari, quod dictum Oratorium, seu Capellam Sancti Lupi, illiusque circuitum, prophanato loco, & ad prophanos, non tamen sordidos usus, redacto, erectum ibi ad quoddam Altare, seu Capellam Ecclesiæ fabricandæ hujusmodi transferre, seu per eos, ad quos spectat, transferri facere, ac postremò tam illis, quàm Domui Regulari hujusmodi, quod omnibus, & singulis immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, gratiis, concessionibus, indulgentiis, favoribus, & indultis, quibus aliæ Domus Regulares Ordinis prædicti, illorumque personæ utuntur, potiuntur, & gaudent, pariformiter uti, potiri, & gaudere possint, & valeant, concedimus, & indulgemus: ac præsentes litteras de subreptiunis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari non posse, sed illas semper, & perpetuò validas, & firmas existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, sublata eis, & eorum cuilibet, aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Tolosano, & Episcopo Narbonensi, ac dilecto Filio, Archiepiscopo Ecclesiæ Narbonnæ per præsentes committimus, & mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus, eorum per se, vel alium, sive alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, solemniter publicantes, eidem Guardiano, & Fratribus, aliisque personis prædictis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos eorumdem præmissorum effectu frui, & gaudere; non permittentes, eos desuper à quoquam quomodolibet, quavis auctoritate, indebitè molestari: Contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus, fel. record. Pauli II. prædecessoris nostri, de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quâ interdicitur Fratribus Ordinum Mendicantium, ne Domos ad inhabitandum absque speciali Sedis Apostolicæ licentia recipiant, nec non Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, aliisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die decima Septembris MDLXXXXI. Pontificatûs nostri Anno primo.

Exemplar cum minuta originali in Arch. Gener. Ord. Armario Provincia Tolosana.

N O T A.

INstrumentum, quod in anteriore Brevi Apostolico memoratur, & quo Cardinalis Jojosæus donationem firmavit, fuit tenoris sequentis:

Nos Franciscus de Jojosa, Sanctæ Narbonensis Ecclesiæ, tituli Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Tolosanus, ac fructuum Ecclesiæ Narbonensis Apostolicus reservator.

Nihil aliud quàm multos dignos, & admodum utiles in vinea Domini Operarios optantes, piis populi dictæ Civitatis Narbonensis votis, diebus proximè elapsis Nobis proprio ore illic expositis, precibus quoque Oratoris, suæ Religionis nomine, bona voluntate annuentes, Oratorium Sancti Lupi, unà cum ipsius domibus, horto, aliisque juribus, & pertinentibus prope dictam Civitatem, meridiem versùs, ad jus præfatæ Ecclesiæ Narbonensis pertinens, authoritate, qua in ea fungimur, prædicto Ordini ac Religioni Capucinorum, ad laudem Dei, & Christianæ Religionis augmentum incorporamus, annectimus, atque perpetuò unimus, facultatemque ibidem ædificandi Ecclesiam, atque Conventum construendi, ac divinum Officium diu noctuque celebrandi, & eleemosynas à Christifidelibus, per dictam Civitatem, & illius Diœcesim petendi non negamus, absque tamen præjudicio jurium præfatæ Narbonensis, & Parochialium Ecclesiarum, nec non beneplacito Sanctæ Sedis Apostolicæ reservato; rogantes insuper omnes præfatos Religiosos, ibidem pro tempore commorantes, ut in die Dedicationis illius loci per illos habendæ, piam nostri commemorationem, in sacrosancto Altaris Sacrificio perpetuò faciant; & in fidem præmissorum has litteras concessio-

cessionis & facultatis ad perpetuam rei memoriam, per infrascriptum Secretarium nostrum fieri fecimus, manu nostra subscriptas, ac consueti sigilli impressione munitas.

Datum Tolosæ in Palatio nostro Archiepiscopali, die vigesima Januarii 1591., Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Gregorii Papæ XIV. anno primo.

Consensum autem Reverendissimi Capituli, à P. Provinciale requisitum, & pariter suprà allegatum, continet sequens Apografum.

Religiosissimis, ac vigilantissimis, Venerabilis Capituli Narbonensis Ecclesiæ Patribus, Fr. Hieronymus ab Agro Piceno, Ordinis Sancti Francisci Capucinorum in Provincia Aquitaniæ, indignus Provincialis &c.

Cum omni humilitate exponit, nuper Reverendissimo ac Illustrissimo Cardinali de Jojosa, tum zelo proprio erga Christianæ Religionis cultum permoto, tum, ut pietati, ac Narbonensium Civium Religiosæ devotioni indulgeret, placuisse, prælibato Capucinorum Ordini Sacellum quoddam, sub Divi Lupi dicatum nomine, unà cum ipsius ædificio, horto, & pertinentiis aliis, juxta &c. extra Civitatis muros concedere, ad Templum & Cœnobium eidem Ordini ibidem construendum, quo in perpetuum diu noctuque Deum religioso cultu venerentur inposterùm, & insuper præfati Ordinis Fratribus indulsisse, ut per universam hanc Diœcesim, sub Sanctissimæ tamen Sedis Apostolicæ beneplacito, sicuti ex litteris hac de re hic infrà insertis patet, eleemosynam ad sui sustentationem à Christifidelibus possint petere. Et quia Civium multi, Christianâ charitate ducti, summopere cupiant huic negotio bona facultatum suarum erogare, nec tamen illud audent, nisi per vestram liceat veniam: tum, quod vacante Sede Domini Archiepiscopi, jure ad vos spectet, tum, quod perpetua vestrûm omnium, totiusque Capituli authoritas reverentiam hanc requirat, ideo, ne dicti Reverendissimi Cardinalis sententia, dictorumque Civium Religiosa devotio irrita fiat, antedicti Ordinis Fratres supplicant pro loco commodo, ubi hospitari, sacra facere, & pro sua, benefactorumque omnium salute fidelium, sicuti tenentur, preces possint Deo fundere: supplicant pariter cum omni humilitate Patribus Religiosissimis, ut dictam concessionem, unionem, donationem, seu scriptionem juxta dictas litteras, quantum res postulabit, approbent, ratamque habeant; Ipsi autem pro Catholica, Apostolica, nec non Romana Ecclesia, pro vestra, dictorumque Civium, aliorumque incolumitate Deum se deprecaturos pollicentur &c.

Nos Capitulum Ecclesiæ Sanctæ, & Metropolitanæ Narbonensis, attenta concessione prælibati Illustrissimi Cardinalis de Jojosa manu sua propria signata, data Tolosæ die 20. Mensis Januarii proximè elapsi hic alligatâ: visis item & consideratis causis in præsenti supplicatione R. P. Hieronymi ab Agro Piceno Ord. S. Francisci Capucinorum in Provincia Aquitaniæ Provincialis, nec non obtenta sententia ejusdem concessionis, incorporationis, unionis, eam, in quantum de jure possumus, & debemus, sub beneplacito tamen Summi Pontificis confirmamus. In quorum fidem & testimonium præsentes per Secretarium nostrum fieri & signari, & sigillum nostrum apponi jussimus.

Datum Narbonæ in Capitulo nostro novo & rotundo, die undecima mensis Maii anno Domini 1591.

Concessionem Ecclesiæ à Capitulo, & Canonicis Civitatis Carcassonensis, & donationem Domûs, & horti eisdem Capitulo, et Canonicis per Bernardum Moreum Consiliarium Regium, titulo permutationis, pro constituenda ibi Fratrum Domo factas; confirmat.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EA nostræ confirmationis robore libenter communire solemus, quæ ad Religiosorum propagationem, & commoditatem pertinent, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Sanè cum, sicut dilectus Filius, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Capucinorum Nobis nuper exponi fecit, aliàs dilecti Filii Capitulum, & Canonici Ecclesiæ Carcassonensis pro construendo Conventu eorumdem Fratrum Capucinorum in eadem Civitate, Ecclesiam Sanctæ Mariæ Abbatiæ Thesaurariæ, membrum ejusdem Capituli, sitam in Suburbiis ejusdem Civitatis, eisdem Fratribus concesserint, & in ejusdem Ecclesiæ compensationem quamdam domum cum horto, sitam prope plateam ejusdem Civitatis à dilecto Filio Bernardo Moreo, Consiliario Regio, titulo permutationis acceperint, prout in Instrumento desuper per dilectum Filium Ioannem Fabrum publicum Notarium, sub die x. Martii MDLXXXXIII. rogato, ad quod relatio habeatur, contineri dicitur; Ipsi verò Fratres in Ecclesia Sanctæ Mariæ supradicta, eorum Conventum extruxerint, & ibidem inhabitent; Cumque, sicut eadem, expositio subjungebat, Fratres prædicti pro præmissorum se-

securitate cupiant eadem omnia per Nos Apostolica auctoritate confirmari, Nobisque propterea humiliter supplicari fecerint, ut eisdem in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos Ordinem prædictum paterna dilectione prosequentes, ejusque Religiosorum propagationi, & commoditati, quantùm cum Domino possumus, prospicere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictæ Ecclesiæ à prædictis Capitulo & Canonicis, dictis Fratribus Capucinis, nec non donationem Domûs, & horti eisdem Capitulo, & Canonicis per dictum Bernardum nomine permutationis, ut præfertur, aut aliàs factas, cum inde secutis quibuscumque, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ confirmationis robur adjicimus, omnesque & singulos tam juris, quàm facti, ac solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, ipsisque Fratribus Capucinis, ut in Conventu apud prædictam Ecclesiam extructo inhabitare, secundùm ejusdem Ordinis Institutum liberè, & licitè valeant, concedimus, & indulgemus. Non obstantibus fel. record. Pauli II. & aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ Carcassonensis, nec non Ordinis prædictorum, etiam &c. statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annolo Piscatoris die VII. Julii MDXCV. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Regesto mens. & ann. prædict. fol.48.

Confirmatio Concessionis Hospitalis per Laicos regi soliti factæ per eosdem Ordini Capucinorū cum erectione Domûs.

Donationem Ecclesiæ, et Hospitalis S. Rochi Oppidi Castronaudarii pro construenda Domo Fratribus à Communitate factam confirmat.

SANCTI PAPULI.

Beatissime Pater.

Aliàs devoti vestri Universitas, & Homines Oppidi Castrinovi Bartii, Sancti Papuli Diœcesis, pro spirituali eorum consolatione, & animarum fructu, moti bona fama, & piis exercitiis Fratrum Capucinorum, nonnullos ex ordine Fratrum præfatorum in eorum Oppidum receperunt, & pro ipsorum habitatione eisdem Fratribus Capucinis Capellam, & Hospitale Sancti Rochi dicti Oppidi, quæ sine redditibus, & provisione sunt, in quo Hospitali aliàs Personæ peste infectæ recipiebantur, & curabantur, quibus tamen alius locus magis commodus assignatus, & ædificatus existit, nec ulterius in dicta Capella seu Hospitali Hospitalitas exercetur, cum contiguo ei horto, suisque pertinentiis universis, quorum dicti Universitas, & Homines perpetui Administratores, & Rectores existebant, perpetuò donârunt, quantùm in eis fuit, prout in publico desuper confecto Instrumento continetur, cujus quidem Donationis vigore Capellæ, & Hospitalis, ac aliorum hujusmodi possessiones per dictos Fratres captæ existunt, ibique spiritualia eorum exercitia facere inceperunt.

Cum autem, Pater Sancte, Guardianus, & Conventus Fratrum dicti Ordinis in eodem Oppido existentium, devoti Sanctitatis Vestræ Oratores cupiant donationem hujusmodi per Sedem Apostolicam confirmari, & approbari; Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestræ dicti Oratores, quatenus in præmissis opportunè providere, ipsosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi, donationem hujusmodi, & inde secuta quæcumque, Apostolica auctoritate perpetuò confirmare, & approbare; illisque plenariæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicere; nec non omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, in eisdem supplere, & nihilominus Hospitale, & Ecclesiam hujusmodi, eidem Ordini perpetuò concedere & assignare; nec non apud dictum Hospitale & illius Capellam hujusmodi, unam Domum Ordinis præfati cum illius Ecclesia, sub Sancti Rochi, seu alia Invocatione, ipsis Oratoribus benevisa, & campanili humili, cum claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliisque suis officinis necessariis, & opportunis pro usu, & habitatione unius Guardiani, & adminus duodecim ipsius Ordinis Fratrum, perpetuis, qui ibi sub regulari disciplina, eorumque Institutis vivant, & perpetuò famulentur, adinstar aliarum Ordinis præfati Domorum Regularium, Apostolicâ auctoritate, sine alicujus præjudicio, perpetuò erigere, & instituere; ac Domui erectæ hujusmodi, & institutæ, nec non ibi pro tempore existentibus Guardiano, & Fratribus, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, & gratiis tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliæ Ordinis præfati Domus, il-

la-

larumque personæ de jure, statuto, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, similiter uti, frui, potiri, & gaudere, nec non pro felici regimine, & directione dictæ Domûs, & illius Ecclesiæ quæcumque statuta, ordinationes, & capitula licita, & honesta, & Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, nec non Constitutionibus Apostolicis minimè contraria edere, facere, & condere, & deinde illa pro rerum, temporum, & personarum qualitate mutare, & alterare, ac etiam in totum abrogare, aliaque de novo illorum loco edere, quæ, postquam facta, edita, mutata, alterata, & de novo edita extiterint, eò ipso, Apostolica auctoritate confirmata existant, liberè, & licitè possint, & valeant, concedere, & indulgere, ac præsentes, & desuper conficiendas litteras de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut quopiam alio defectu notari, vel impugnari non posse, sed illas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscumque Judices &c. sublatâ &c. irritumque &c. decernere dignemini, de gratia speciali. Non obstantibus, si opus sit, felicis recordationis Pauli Papæ II., Sanctitatis Vestræ prædecessoris, *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis statutis, etiam juramento &c. roboratis, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis; ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis &c. quibus omnibus &c. etiamsi de illis &c. latissimè hac vice derogare placeat, cæterisque contrariis quibuscumque cum Clausulis opportunis.

Fiat, ut petitur H. (*id est* Hippolytus, quod nomen, ceu Cardinalis gessit, Papa Clemens VIII.)

Et cum absolutione à censuris ad effectum &c. & quod dictæ Capellæ, seu Hospitalis hujusmodi cum suis pertinentiis, situationes, confines, vocabula, denominationes, habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint. Et de confirmatione, approbatione, roboris adjectione, defectuum suppletione, derogatione, institutione, concessione, indulto, decreto, derogatione, aliisque præmissis, ut supra, perpetuò in forma gratiosa latissimè extendatur, & quod præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationes, qualitates, nuncupationes, innovationes, annexiones, aliorumque necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit ex litteris expediendis, & committatur Ordinario.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Kalendas Iunii Anno octavo.

Originale in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Tolosana.

N O T A.

Actum conciliarem, quo nostra receptio, Hospitalique ad novam fabricam donatio fuit conclusa, & à Syndico denominato possessio apprehensa fuit, sequens notat scriptura:

In nomine Dei Sancti, Præsentibus et futuris etc.

Anno gratiæ millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, Dominicâ, vigesimo primo mensis Decembris post meridiem, in majore triclinio Concilii Domûs communis Civitatis Castronandarii, Diœcesis S. Papuli, & Senescaliæ, seu juris secundarii Lauracii agri, regnante Christianissimo Principe Henrico, Dei gratiâ, Franciæ & Navarræ Rege, coram honorabili Viro, Domino D. Bartholomæo Regour, Juris Doctore, Locum-tenente, & Judice generali in dicta Curia, Assistente D. Raymundo Sarrazin, pariter juris Doctore, Procuratore Regis in dicta Curia, congregatis in Concilio dictæ Civitatis Castronandarii modo solito D. D. Guillielmo Druithe, juris Doctore & Advocato, Joanne Geruais, Georgio Martin, & Joanne Æstadien Civibus, & dictæ Civitatis Consulibus, assistentibus D. Joanne Lave, juris Doctore, illorum Accessore, ac venerandis Viris D. D. Joanne d'Auriol, juris Doctore, Prothonotario Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Michaelem enunciatæ Civitatis Decano, Carolo Fonguarnaud, dictæ Ecclesiæ Canonico, & pro hujus Capitulo ad memoratum Concilium Deputato, Blasio de la Salle, Joanne Bris, Joanne Druthe, Arnalde Simeon, Balthasare Aymeric, Blasio d'Alchas, & Bernardo Bories, juris Doctoribus, & Advocatis &c. Claudio Boniour, Joanne Brunel, Vitale Roland, Petro Biscard, Jacobo Lussin, Georgio Bonal, & Antonio Fabre Civibus, D. D. Arnalde Delabia Procuratore in dicta Curia, Joanne Doux Pharmacopola, Antonio Cassin, Stephano Delaindt, Joanne Malbuisson Mercatoribus, Joanne Paulo Biscamby Mercatore, & Æditue Hospitalium S. Jacobi,

hi, & S. Rochi dictæ Civitatis, Petro Boisson Capitaneo, Joanne Carolo, & Dominico Vaissiers Curiæ Procuratoribus, Joanne Martino Buriix Pauli filio, Joanne Chamion, Paulo la Roche, Paulo Sasson, Jacobo du Breilh, Joanne Roland, & Thoma Dupiere Mercatoribus, cunctis in dicta Civitate habitantibus, omnibusque, qui dicto Concilio assistere, & in eo arbitrari solent, ac præsentibus D. Joanne de la Salle, Juris licentiato, & Advocato, nec non Joanne Lobub Procuratore, ac in dicta Curia Civitatis Syndico, prædicti D. D. Consules per organum pariter dicti Druithe eorum primi exposuerunt, quod majores Civitatis se per bona & sancta exempla, pro cultu & servitio Dei in Religione Catholica, Apostolica, & Romana plurimùm studiosos exhibuerint, & non obstantibus miseriis belli, & calamitatibus temporis, quibus vexabantur, Civitatem pluribus Ecclesiis, & in specie duobus Conventibus, uno videlicet, Fratrum Conventualium Cordigerorum Ordinis S. Francisci, & alio B. Virginis Carmelitarum decorârint, qui ordinarias preces pro statu & conservatione Civitatis, haud aliter ac in dicta Collegiata S. Michaelis Ecclesia dictæ Civitatis, fundere solent, ex quo & credendum est, quod durante ærumnâ præterita, Civitas per bonitatem & misericordiam Dei, ex parte, à furore & violentiis hæreticorum fuerit liberata, & integrè conservatum depositum dictæ Religionis Catholicæ à majoribus relictum, ad quorum exemplum quilibet pro cultu & servitio Dei in hac dicta Civitate, & Religione Catholica, Apostolica Romana, magis ac magis ampliando æmulari debet, cum pro hujus splendore & conservatione divina Bonitas ordinariè Viros suscitet, qui tum vita probitate, exemplis, & doctrina, cursum malitiæ illorum, qui à dicta Religione declinârunt, firmant, tum precibus suis ac oratione remissionem peccatorum nostrorum à Deo impetrant, iramque ejus & flagella avertunt. Inter hos impræsentiarùm Religiosi PP. Capucini, qui ad strictiorem & austeriorem S. Francisci regulam reformati, quasi Stellæ & lumina pietatis, sanctitatis, & virtutis micant, numerari debent. Ex quo motivo, sicut & ex probata eorum Doctrina, plures Civitates vicinæ, iis Conventus construxerunt, quarum exemplo motæ plures hujus Civitatis Personæ, dictis PP. Capucinis in ea pariter Conventum ædificari cupiunt, quatenus officio & cultu divino ita adaucto, magis magisque pietas & devotio in ea fructificet.

Desiderio horum accedit & illud D. Ducis à Jojosa Mareschalli Franciæ, & Locum-tenentis Generalis Regis in hac Provincia Occitaniæ, qui id dictis D. D. Consulibus vivâ voce patefecit. Ob quam causam hoc Concilium convocârunt, in quo id, quod supra relatum est, proponunt, nec non, si gratum bonumque judicetur, ut locus ad dicti Conventûs ædificationem commodus Patribus Capucinis concedatur, & consequenter ad id, quod in simili casu fieri solet, in eorum Patres spirituales, Viri honoris & probitatis necessariæ nominentur. Et ex illorum arbitrio & opinione tenuerunt, & concluserunt, quod dictus PP. Capucinorum Conventus in hac præsenti Civitate Castronaudarii fundari, institui & stabiliri, & ad hunc effectum Capella & Domus Hospitalis S. Rochi ejusdem Civitatis cum horto, omnibusque in hujus circuitu, & clausura existentibus dari debeat, quatenus in perpetuum officia divina juxta illorum regulæ tenorem ibi celebrare queant, & pro hujus confirmatione, in quantùm illa ex parte Sanctissimi Domini nostri Papæ necessaria est, necessarii Procuratores nomine Civitatis prædictæ constitui debeant. In Patres autem spirituales dicti Conventûs nominârunt D. D. Carolum Fongarnaud, dictæ Ecclesiæ Collegiatæ & Parochialis Castronaudarii Canonicum, Antonium à S. Sernino juris Doctorem, ac dictæ Curiæ Advocatum, nec non Petrum Gerard dictæ Civitatis Civem. D. d'Oriol Decanus, opinioni D. D. Consulum accessit, sicut & Dominus Canonicus Fongernaud, exceptâ solâ, quæ eum concernebat, nominatione, circa quam, ut D. D. Consules eum desuper excusent, rogavit: prædicti Domini de la Salle, Boit, Druithe, Pincon, Americ, Daiias, Bories, juris Doctores & Advocati fuerunt & ejusdem cum D. D. Consulibus sensûs; sicut & D. D. Bonjour, Brunel, Roland, & Biscard Cives, excepto dicto Biscard circa id, quod illius nominationem tangit, circa quam pariter D. D. Consules, ut eum sensûs sui excusent, rogavit. Memorati Boisson, Fabre, Dalabia, Roux, Lassaiu, Delevra, & Malbuisson D. D. Consulum opinioni pariter adhæserunt: uti & dictus Biscamby, prædicti Hospitalis Æditnus, ita tamen, ut per D. D. Consules Civitas expensis communibus de alio loco & Domo, pro Hospitali tempore pestis, pro quo dicta Domus & Hospitale S. Rochi hucusque serviebat, provideret. Dicti Boisson, Charles, Bessurs Martin, Chamion, la Roche, Sasson, de Breills, Joannes Roland. & Dupiere abierunt in D. D. Consulum sententiam. Ex quo fuit decretum, quod fundatio dicti Conventûs PP. Capucinorum sit facienda, & de facto instituenda in Domo dicti Hospitalis S. Rochi, & ad hunc effectum tum dicta Domus, tum hortus cum clausura, & circuitu muris clauso, dictis PP. Capucinis dari debeant, quatenus in iis Ecclesiam & Conventum ædificent, ac officiis divinis, & regulari observantia ad Dei, Deiparæ, ac eorum P. S. Francisci honorem incumbant; & ea propter in realem, actualem, & corporalem possessionem, modo in hujusmodi casibus requisito, & consueto inducantur, & D. D. Consulibus plena facultas data est per necessarias procurationes confirmationem à Sancta Sede obtinendi. Insuper prædicti Fongarnaud Canonicus, S. Sernin, juris Doctor, & Biscard, in PP. Spirituales dictorum Patrum Capucinorum pro Conventu, cujus fundatio impræsentiarùm committitur, eliguntur, creantur, ac instituuntur, quatenus juxta hoc officium, functiones in hujusmodi casu requisitas, exerceant &c.

Hoc arresto per dictos Syndicos intellecto, & audito, quod illius tenor, sit res pia, sancta, devotione plena, & ad Religionis Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ decorem tendens, prædictum Judicem pro authorizanda dicta deliberatione, & decreto judiciali, arresto jungendo requisiverunt: Dictus D. Sarrasin, Procurator Regis, in tantum per enuntiatam deliberationem Domûs memorati Hospitalis Sancti Rochi ad sanctiorem usum transfertur, & Conventus prædictorum PP. Capucinorum, cum sint pauperes voluntarii, sit æquè ac Xenodochium, asylus & refugium pauperum, requisitioni dictorum Syndicorum adhærens declaravit, quod non solùm non impedire intendat, sed, quantum opus esset, authorizationi prædictæ deliberationis consentiat. Quapropter D. Judex dictam deliberationem Concilii, quatenus in futurum juxta suam vim & tenorem manuteneretur, & observaretur, authorizari jussit, decreto suo judiciali apposito. Postmodum superveniente die Martis, sexto Januarii die, & festo SS. Regum anni 1598. congregatis in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Castronaudarii D. D. Decano, & Canonicis dictæ Ecclesiæ, ac aliis Beneficiatis ibi habitantibus post Missam, à P. Magistro Petro Solan, memoratæ Ecclesiæ Præsentatore, ac Regio in Curia Domini Senescalchi & Sedis Præsidialis Lauracii Agri Consiliario celebratam, Concionem à R. P. Stephano Aquensi, Ordinis Capucinorum Concionatore habitam, Crucemque

ad

ad dictos fines benedictam, Clerus processionaliter è dicta Ecclesia portans dictam Crucem, exivit, quem Confratres Pœnitentes de S. Cruce, PP. Conventuales, & Carmelitani dictæ Civitatis præcedebant, D. D. Consules autem, Judex major, aliique Iustitiæ Ministri, Cives, Populusque Civitatis sequebantur, & cum hymnis & canticis ad dictum Hospitale processerunt, ibi ad honorem Dei, Deiparæ, ac S. Francisci, & in Processionis signum, prædictam Crucem ante portam dictæ Domûs & Hospitalis plantaverunt, ac in hanc R. P. Bernardinum de la Poste Provincialem PP. Capucinorum in Provincia Occitaniæ, ac prædictum P. Stephanum Concionatorem cum Fratribus illuminato & Socia, Italis, Dominico, & Andrea Gallis, Ordinis S. Francisci Capucinorum induxerunt. Quo facto, P. Provincialis Missâ in dicta Capella S. Rochi celebrata, functionem conclusit &c.

In quorum fidem ego Patrus Combes Notarius Regius, & D. D. Consulibus Castronaudarii à Secretis, & dictorum D. D. Consulum mandato, & ad requisitionem D. D. Patrum Spiritualium &c. actum hunc expedivi in præsentia Domini Raymundi de Monars Consiliarii Regii &c. & me subscripsi.

Combes Notarius Regius.

Episcopo Bajonensi, & alteri ex Provincialibus Fratrum nostrorum Provinciæ Turonensis, vel Tolosanæ, aut iis impeditis, Guardiano subrogando, Capitulum RR. PP. Recollectorum Burdigalæ celebratum annullare, & novos Superiores eligere committit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, sicut dilecti Filii nonnulli Fratres Provinciæ Conceptionis Immaculatæ Virginis Fratrum Recollectorum Ordinis Sancti Francisci in Gallia Nobis nuper exponi fecerunt, in controversia exorta super prætensa nullitate Capituli Provincialis dictæ Provinciæ, ex eo quia fuerit nuper celebratum die ultimâ Januarii præsentis anni 1632. in Domo Regulari Beatæ Mariæ de Gratia nuncupata, Burdigalensi, non vocatis, & sine interventu Fratrum Discretorum cujuslibet Conventûs dictæ Provinciæ, rebusque aliis in actis controversiæ hujusmodi latiùs deductis, Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, negotiis Regularium præpositi, partibus citatis & auditis, censuerunt, ut infrà continetur in Decreto desuper emanato tenoris subsequentis, videlicet: in controversia exorta super prætensa nullitate Capituli Provincialis Provinciæ nuncupatæ Conceptionis Immaculatæ Virginis Fratrum Recollectorum, Ordinis S. Francisci in Gallia, ex eo, quia fuerit nuper celebratum die ultimâ Januarii præsentis anni 1632. in Conventu Beatæ Mariæ de Gratia Burdigalensi, non vocatis, & sine interventu Fratrum Discretorum cujuslibet Conventûs prædictæ Provinciæ, rebusque aliis &c., Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præposita, Eminentissimo Bentivolo referente, partibus citatis, & auditis censuit, si Sanctissimus Dominus Noster annuat, declarandum esse Capitulum Provinciale prædictum irritum, & penitus nullum unà cum electionibus Ministri Provincialis, Custodia, & Definitorum, ac Guardianorum, aliorumque Superiorum, & Officialium, & cum cæteris actibus in eo factis, & inde secutis; nec non inhibendum, ne in futurum Capitula hujusmodi fiant, non vocatis Discretis supradictis, & sine illorum præsentia, & votis, atque aliter facta ex nunc declaranda esse irrita, & nulla, nec valere; Cæterùm ad tollendas Conventuum expensas, & incommoda Fratrum, & ex aliis rationabilibus causis Sacram Congregationem moventibus, eadem Sacra Congregstio censuit ex officio, & non ad alterius ex partibus requisitionem committendum esse, si eidem Sanctissimo Domino Nostro placuerit, Episcopo Bajonensi, Provinciali Fratrum Capucinorum Provinciæ Tolosæ, vel Provinciali eorumdem Capucinorum Provinciæ Turoniæ, aut iis absentibus, Commissariis Provinciæ, pro commoditate & arbitrio ejusdem Episcopi, qui conjunctim procedant, & Sanctitatis Suæ auctoritate de novo eligant Ministrum Provincialem, Custodem, ac Definitores ex Fratribus antedictæ Provinciæ Conceptionis Immaculatæ Virginis, quos ad munera hujusmodi obeunda idoneos judicaverint; dummodo non sint iidem, qui fuerunt electi in eodem Capitulo, ut suprà, nulliter celebrato; ita tamen, ut quoad Guardianos, & alios Superiores, & Officiales inferiores, licèt nulliter in eodem Capitulo electos, possint iidem Episcopus, & alter ex Provincialibus, sive Commissariis Capucinorum prædictis, aliquos confirmare, & alios de novo eligere pro eorum arbitrio, & prudentia, & prout magis è re esse cognoverint;

verint; ac denique eum facultate concedenda dictis Provincialibus Capucinorum, seu Commissariis Provinciæ, ut aliquo impedimento detenti, in eorum locum subrogare valeant aliquem Guardianum ejusdem Ordinis Capucinorum ad prædicta, ut suprà, cum Episcopo Bajonensi peragenda. Ministro autem Provinciali, cæterisque Superioribus, & Officialibus, ut præfertur, per dictum Episcopum, & alterum ex Provincialibus Capucinorum, seu Commissariis, vel ab eis, ut suprà, Deputatum, electis, Fratres Recollecti dictæ Provinciæ, debitam obedientiam præstare, illosque in superiores recognoscere omnino teneantur, atque ad id, omni appellatione, & oppositione remotâ, cogi possint, & debeant per censuras, & pœnas eisdem Delegatis benè visas, &c, si fortè prænominatus Episcopus Bajonensis, ante præmissorum executionem decederet, ex nunc, & eo casu adveniente, eadem Sacra Congregatio censuit committendum esse Nuntio Apostolico in Gallia, ut in dicti Episcopi locum, alium Episcopum cum omnibus facultatibus superiùs expressis subroget, ac deputet. Romæ die 27. Augusti 1632.

Nos Decreti hujusmodi inviolabili observationi, quantùm cum Domino possumus, consulere volentes, & dictorum Exponentium singulares personas, à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem Exponentium nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum Apostolica auctoritate approbantes, & confirmantes, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplentes, Capitulum Provinciale prædictum irritum, & penitus nullum, unà cum electionibus Ministri Provincialis, Custodis, & Definitorum, ac Guardianorum, aliorumque Superiorum, & Officialium, ac cum cæteris actibus in eo factis, & inde secutis, auctoritate prædicta, tenore præsentium declaramus; nec non inhibemus, ne in futurum Capitula hujusmodi fiant, non vocatis Discretis supradictis, & sine illorum præsentia, & votis; alioquin aliter facta, ex nunc irrita, & nulla, nec valere similiter declaramus. Cæterum ad tollendas Conventuum expensas, & incommoda Fratrum, & ex aliis rationabilibus causis dictos Cardinales moventibus, ex officio, & non ad alterius ex partibus requisitionem Venerabili Fratri Episcopo Bajonensi, ac Provinciali Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Tolosæ, vel Provinciæ Turoniæ, aut iis absentibus, Commissariis Provinciæ pro commoditate, & arbitrio ejusdem Episcopi per præsentes committimus, ut conjunctim procedentes auctoritate nostra de novo eligant Ministrum Provincialem, Custodem, ac Definitores ex Fratribus antedictæ Provinciæ Conceptionis Immaculatæ Virginis, quos ad munera hujusmodi obeunda idoneos judicaverint, dummodo non sint iidem, qui fuerunt electi in prædicto Capitulo, ut suprà, nulliter celebrato; ita tamen, ut quoad Guardianos, & alios Superiores, ac Officiales inferiores, licèt nulliter in eodem Capitulo electos, possint iidem Episcopus, & alter ex Provincialibus, sive Commissariis Fratrum Capucinorum prædictis, aliquos confirmare, & alios de novo eligere pro eorum arbitrio, & prudentia, & prout magis è re esse cognoverint. Insuper dictis Provincialibus Capucinorum, seu Commissariis Provinciæ facultatem damus, ut aliquo impedimento detenti, in eorum locum subrogare valeant aliquem Guardianum ejusdem Ordinis Fratrum Capucinorum ad prædicta, ut suprà, cum Episcopo Bajonensi peragenda. Præterea, si forte dictus Episcopus Bajonensis ante præmissorum executionem decederet, ex nunc, & eo casu adveniente, dilecto Filio nostro, & Sedis Apostolicæ, apud Charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum, Francorum Regem Christianissimum commoranti, Nuntio, per easdem præsentes committimus, ut in dicti Episcopi locum, alium Episcopum cum omnibus facultatibus superiùs expressis subroget, & deputet. Denique volumus, ut Ministro Provinciali, cæterisque Superioribus, & Officialibus, ut præfertur, per dictum Episcopum, & alterum ex Provincialibus Fratrum Capucinorum, seu Commissariis, vel ab eis, ut suprà, Deputatum electis, Fratres Recollecti dictæ Provinciæ Conceptionis Immaculatæ Virginis debitam obedientiam præstare, illosque in Superiores recognoscere omnino teneantur, atque ad id omni appellatione, & oppositione remotâ, cogi possint, & debeant per censuras, & pœnas eisdem Delegatis benevisas; Decernentes præsentes litteras, & earum vigore facienda, valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate robora-

tia

tis, ftatutis, & confuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & fingulis illorum tenores, præfentibus pro fufficienter expreffis habentes illis aliàs in fuo robore permanfuris, hac vice dumtaxat fpecialiter, & exprefsè derogamus, cæterifque contrariis quibufcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem fub Annulo Pifcatoris die XXIII. Septembris MDCXXXIII. Pontificatûs noftri anno decimo.

Exemplar impreffum, & authenticum in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Tolofana.

Hortum Domui Fratrum Perpiniani confinem, commutata Teftatoris voluntate, iifdem Fratribus applicari, & ab his mille Miffas femel celebrari committit.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio, Venerabili Fratri noftro Epifcopo Elnenfi falutem, & Apoftolicam Benedictionem.

HOneftis Chriftifidelium quorumlibet, præfertim Religioforum fub fuavi Religionis jugo altiffimo famulantium votis libenter annuimus, eofque, teftantium voluntates quandocumque commutando, favoribus profequimur opportunis. Siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Fratrum, & Conventûs Domûs regularis Fratrum Minorum Sancti Francifci Capucinorum nuncupatorum, extra muros Oppidi Perpiniani, Elnenfis Diœcefis, petitio continebat, quod aliàs quondam Jacobus N. N. Laicus, dum vixit, dictæ Diœcefis, juris utriufque Doctor, ac Concilii Regii in principatu Catalauniæ Auditor, in teftamento per eum condito, fub cujus difpofitione deceffit ab humanis, pofthumum ex dilecta in Chrifto filia Monica N. N. uxore fua, quatenus gravida effet, nafciturum, hæredem fibi univerfalem inftituit, &, fi dictus Pofthumus ad lucem non perveoerit, vel, fi perveniret, in pupillari ætate, vel quandocumque abfque filiis moreretur, in tali cafu etiam Monicam ufufructuariam, etiam ejus vita naturali durante, omnium bonorum fuorum, dummodo tamen caftitatem Vidualem fervaret, & ad fecunda vota minimè tranfiret, ac nomen Mariti retineret, facto primò omnium bonorum inventario, cum prohibitione detractionis quartæ Trebellianicæ, & falcidiæ inftituit, eamque, ut de dicto ufufructu quafdam pecuniarum fummas, certis perfonis tunc defignatis folveret, obligavit, & eidem, ne pecuniæ, quæ tempore dicti Teftatoris in Banchis publicis Civitatis Barcinonenfis, vel alibi reperirentur, levare, vel exigere poffet, nifi quod illas in locis tutis inveftire poffet tantùm, juxta voluntatem executorum prædicti teftamenti, prohibuit: & cafu, quo dicta Monica nuberet, vel caftè non viveret, ei in dicto ufufructu dilectam in Chrifto filiam, Aonam Billa, ipfius Teftatoris Sororem cum eifdem decretis, & prohibitionibus fubftituit; poft ipfarum verò Monicæ, & Annæ obitum, animam fuam hæredem univerfalem inftituit, difponens, ut univerfalis ejus hæreditas, & bona quæcumque per executores prædictos, ultimò per Syndicos, & Majores Communitatis Ecclefiæ Sancti Joannis dicti Oppidi, & dilectos filios Guardianum Sancti Francifci, & Priorem Sancti Auguftini, Domorum Regularium ejufdem Oppidi, nec non per Confoles, Mariæ nuncupatos, dicti Oppidi, pro tempore exiftentes, vel majorem fuorum parentum partem inventariari, ac gubernari, & adminiftrari deberent, cum facultate, quod ipfi executores eorundem bonorum redditus annuos in maritandis pauperibus puellis de genere dicti Teftatoris, fi adfuerint, in Miffis celebrandis, & in pauperibus pueris de dicto genere oriondis, fi etiam adfuerint, & in eorum defectu, in aliis etiam pueris pauperibus orfanis oriundis, eorum arbitrio diftribuere, & dimidiam etiam partem pro alendis pauperibus peregrinis in ipfo Oppido pro tempore exiftentibus, vel pro fubventione Seminarii, vel Collegii, in eodem Oppido ad erudiendos pauperes pueros, quatenus adeffent, erecti, vel erigendi, applicare poffent, præmiffaque omnia eorum arbitrio reliquit; & in recompenfationem hujufmodi adminiftrationis prædictis executoribus, & eorum cuilibet fingulis annis unum fcutum auri affignavit. Et quia tunc major pars hæreditatis, & bonorum hujufmodi in Civitate Barenfi, & aliis dicti Principatûs partibus exiftebat, Idem Teftator ad eorumdem bonorum hæreditariorum redditus, & emolumenta exigenda, & fervanda, Priorem Domûs Fratrum Ordinis ejufdem Sancti Auguftini, & Priores Collegii Notariorum, & Rectorem Parochialis Ecclefiæ Beatæ Mariæ de Penzi nuncupatæ, dictæ Civitatis, pro tempore exi-

existentes nominavit, tribuens illis facultatem, ut ipsorum redditum, & emolumentorum debitores, ad redditus & emolumenta hujusmodi singulis annis debita solvenda, illosque, & illa in tabula, vel in banco dictæ Civitatis deponi facienda cogere, & compellere possent; voluitque, & ordinavit, ut tertia pars eorumdem redditum, & emolumentorum, singulis annis per eosdem Priorem, & Rectorem inter Monasteria pauperum Monialium, & Generale, & misericordiæ hospitalia, ejusdem Civitatis, distribui deberet: Reliquas verò duas partes executoribus testamentariis dicti Oppidi, ut de illis, sicut præmissum est, disponant, remitti voluit; ipsis Priori, & Rectori, & eorum cuilibet in recompensationem administrationis etiam unum scutum auri, singulis annis distribuit, disponens, quod casu, quo ipsi dicta bona administrare nollent, vel non possent, tunc executores testamentarii prædicti Oppidi, alios ad hunc effectum in dicta Civitate pro eorum arbitrio nominare possent: & aliàs, prout in dicto testamento pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, institutus Posthumus, qui natus non est, non subsistat, & usufructui in favorem dictæ Monicæ locus factus fuerit, & Annæ superveniente obitu, piis legatis prædictis locus esse debeat, ex forma verò dicti testamenti clarè, & manifestè appareat, expressam intentionem prædicti Testatoris fuisse, eumque principaliter optasse, ut ex redditibus bonorum prædictæ hæreditatis, pauperes in dicto Oppido existentes alerentur, & Missæ pro ejus anima celebrarentur, quo nihil magis pium esse potest; & in dicto Oppido, unde dictus Testator oriundus erat, primodicta Domus, ut præfertur, extructa reperiatur, in qua ad minus triginta Religiosi residere solent, qui pro benefactorum, maximè defunctorum, animabus Divina officia, ac Missas jugiter celebrare curant: Sed cum inter alia bona hæreditatis prædicti testatoris, quæ in proprietate ad valorem sexdecim millium ducatorum auri de Camera, ususfructûs verò ultra mille ducatos similes ascendunt, quidam hortus reperiatur, valoris, ut dicitur, in proprietate centum, & quinquaginta ducatorum, parum plus, aut minus, juxta primodictam Domum Regularem, & cum ejusdem Domûs hortulo confinans, ita, & taliter, quod subjectus, & suppositus sit fenestris cellarum primodictæ Domûs Regularis, ita, ut dicti Fratres Capucini nequeant illas aperire, neque per eas perspicere, quin videant in eo existentes mulieres, & ab ipsis videantur; ex quo multùm gravantur, maximè, quia interdum eò convenire solent personæ minus honestæ. Si autem prædictus hortus per Nos primodictæ Domui applicaretur, & appropriaretur, procul dubio, & necessitatum sublevationi primodictæ Domûs, & fenestrarum prædictarum aspectui esset consultum. Quare pro parte dictorum Fratrum Capucinorum, & Conventûs Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos Fratres Capucinos, ac dictæ Domûs S. Francisci singulares personas, à quibusvis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, nec non dicti testamenti tenores, præmissis tamen minimè contrarios, bonorumque dictæ hæreditatis, & horti prædicti situationes, confines, vocabula, denominationes, verosque, & annuos valores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ex nunc, prout ex tunc, postquam uterque ususfructûs quomodolibet cessaverit, dictum hortum, unà cum juribus, & pertinentiis suis eidem Domui S. Francisci, eò quod liceat illis Fratribus Capucinis, nunc & pro tempore existentibus, corporalem, realem, & actualem dicti horti possessionem apprehendere, & apprehensam retinere, fructus quoque, & emolumenta ex eo provenientia quæcunque, postquam ambo ususfructus prædicti cessaverint, percipere, levare in dictæ Domûs S. Francisci, & inea residentium Fratrum usus, & necessitatum sublevationem, Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentiâ, desuper minimè requisita, celebratis tamen per dictos Fratres Capucinos unica vice mille Missis in tota Provincia, authoritate nostra perpetuò applices, & appropries, dictique Testatoris voluntates quoad omnia, & singula præmissa sufficienter, & expressè commutes. Non obstantibus voluntate, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo sexto Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno quarto.

Exemplar in Arch. gen. Ord. Arm. Provinciæ Tolosanæ.

Fr. Joan-

Fr. Joannem Pessulanensem de rebus Ordinis locuturum, à Rege Christianissimo benignè recipi postulat.

Charissimo in Christo Filio nostro, Ludovico, Francorum Regi Christianissimo

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mittimus ad Majestatem Tuam dilectum Filium Joannem Pessulanensem ex Ordine Capucinorum, spectatæ probitatis, ac prudentiæ Virum, qui de quibusdam ad ejusdem Ordinis bonum, atque incolumitatem pertinentibus, nomine nostro tecum agat. Pergratum Nobis erit, si ipsum benevolè excipies, eaque maturè perpendas, quæ Tibi accuratè significabit. Sanè quicquid à tua auctoritate ad religiosæ illius Familiæ quietem promanabit, eximia pietate, ac virtute tua dignum erit. Id igitur Nobis non dubiè pollicentes, Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Decembris MDCXXXVI. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Julius Rospigliosius Secret.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes Regesto ann. & mens. prædict. fol. 318.

Concessionem, & Donationem sitûs à Præceptoria Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Oppidi Milhaudensis dependentis, à Commendatario Francisco de Mars Livier pro Fabrica Domûs, & Ecclesiæ inibi factam ratihabet, omnesque defectus supplet.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs finito bello, quod claræ memoriæ Ludovicus XIII. Francorum Rex Christianissimus, dum viveret, contra hæreticos Regni Franciæ gessit, quædam Missio eorumdem Fratrum Capucinorum in Oppido de Milbao, Ruthenensis Diœcesis, auctoritate Apostolica ad eorumdem hæreticorum, qui in eodem Oppido, & locis illi circumvicinis numerosi erant, conversionem, ipsorumque Christifidelium spiritualem fructum, ac firmitatem instituta, stabilitaque fuit: quam Missionem, ut ipsi Fratres Capucini commodiùs, fructuosiùsque prosequi, & continuare possent, suorum Superiorum jussu, unum dicti Ordinis Conventum cum Ecclesia sub invocatione Sancti Jo: Baptistæ fabricârunt extra Muros dicti Oppidi in quodam situ, & terreno spectante, & dependente à Præceptoria, seu Commenda Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani dicti Oppidi, & aliàs eisdem Fratribus Capucinis per dilectum Filium Franciscum de Mars Livier Præceptorem, seu Commendatarium dictæ Præceptoriæ, seu Commendæ concesso, cum approbatione Capituli Provincialis ejusdem Hospitalis, cui priùs plenè relatum fuerat à Visitatoribus desuper deputatis præmissa expedire, & è re, & servitio ipsius Hospitalis, & Præceptoriæ, seu Commendæ hujusmodi existere, & fore, attento, quod super eodem situ, & terreno antiquitùs excitatæ fuerant una Capella, & Sacristia, quæ ab eisdem hæreticis demolitæ fuerunt, & postmodum dictæ Præceptoriæ, seu Commendæ Præceptores, seu Commendatarii pro tempore, qui fuerunt, ex eodem situ, seu terreno annuum dumtaxat redditum quatuor librarum monetæ illarum partium percepêrunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dubitetur ad præsens, quod nec dictus Franciscus, nec Capitulum Provinciale hujusmodi concessionem sitûs, seu terreni hujusmodi eisdem Fratribus Capucinis facere potuerint, concessiones hujusmodi absque nostro, & Sedis Apostolicæ, ipsorumque Magni Magistri, & Conventûs ejusdem Hospitalis beneplacito, fieri prohibentibus ejusdem Hospitalis statutis, seu stabilimentis, ac ordinationibus Capitularibus, dicta auctoritate Apostolica confirmatis. Nobis propterea, dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut concessionem dicti sitûs, seu terreni, ut suprà, factam confirmare de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eumdem Exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatam dicti sitûs, seu terreni concessionem, aliàs eisdem Fratribus Capucinis, ut præfertur, factam, cum omnibus inde secutis

Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper intervenerint quomodolibet, supplemus. Decernentes concessionem hujusmodi perinde, ac si illa à principio cum beneplacito supradicto facta fuisset, præsentesque litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac propterea, & aliàs ex causa tractatûs admissi, & consensûs super dicta concessione præstiti, nullum dicti Hospitalis Fratrem militem, ex iis, qui dicto Capitulo Provinciali interfuerunt, minusve dictum Franciscum ullo unquam tempore quovis modo molestari posse, nec intelligi debere aliquam incapacitatis, aut alias pœnas ab eisdem statutis, seu stabilimentis, ac ordinationibus hujusmodi, aut à jure cummuni inflictas incurrisse, non secus, ac si concessio situs, seu terreni præfata cum omnibus, & singulis solemnitatibus, consensibus, & requisitis necessariis, juxta dispositionem tam ipsius juris communis, quàm stabilimentorum, & ordinationum earumdem facta fuisset; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non ipsum Magnum Magistrum, & Conventum dicti Hospitalis judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac ipsius Hospitalis, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac Ordinibus prædictis respectivè, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Februarii MDCXLV. Pontificatûs nostri Anno primo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædictor. fol. 1.

Antiquam Ecclesiam cum agello contiguo, in loco B. M. Virginis de Oriente, aliàs ab Æditimis Ecclesiæ S. Saturnini dependentem, ad favorem Fratrum vendi committit, ita tamen, ut centum scuta monetæ Franciæ in loco securo ad annuum prædictorum Æditimorum fructum deponantur.

Venerabili Fratri Episcopo Vabrensi.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Ministri Provincialis, & Diffinitorum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Tolosanæ, Nobis expositum fuit, quod usque de anno 1644. de Tua, seu tunc existentis Episcopi Vabrensis licentia, fabrica Conventûs nuncupati Beatæ Mariæ de Oriente, dicti Ordinis, quia inibi Ecclesia antiqua consimilis denominationis reperitur, inchoata, deinde etiam benedicente Domino sat brevi tempore perfecta, & ab aliquot jam annis Familia dicti Ordinis cum Custode, seu Guardiano in eundem Conventum introducta respectivè fuerunt. Quoniam autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicta antiqua Ecclesia cum agello illi contiguo, quas ipsi Fratres Capucini usi sunt, dependebat, dependetque ab Æditimis pro tempore Ecclesiæ S. Saturnini, Vabrensis Diœcesis, inibi contiguæ, qui aliàs inde aliquod emolumentum percipiebant, licèt illud rarò illis præstaretur, à dilectis etiam Filiis, Fratribus Minoribus Ordinis prædicti, Conventualibus nuncupatis, qui inibi duo, aut tres habitare consueverant; quique postmodum ob situs penuriam, aut aliàs, secundò dictam Ecclesiam hujusmodi deseruerunt: nihilominus dilectus pariter Filius Albertus Costa jamdudum pro tempore secundò dictæ Ecclesiæ Æditimus consensit, & ad præsens suo, & successorum suorum nominibus consentit venditioni situs secundodictæ Ecclesiæ, quæ aliunde deserta facilè remaneret, & agelli eisdem Fratribus Capucinis faciendæ, eâ tamen lege, ut ipsi Fratres Capucini teneantur curare, & facere deponi scuta centum monetæ Regni Franciæ penes aliquem locum cautum, & securum, quorum deinceps annuo fructu dictus Albertus, suique successores Æditimi hujusmodi gaudere debeant

beant, ex conventione sic inita per compositionem, seu interpositionem communium amicorum, qui habitâ ratione debita bonorum ejusdem secundodictæ Ecclesiæ judicârunt, & judicant præmissa, si fiant, in evidentem ipsius Alberti, suorumque successorum hujusmodi, cessura esse, & cedere utilitatem, & commodum, si nostra desuper & Sedis Apostolicæ licentia accedat, & facultas. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eosdem Exponentes, & Albertum specialibus &c. volentes, & eorum singulares personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut, si prænarrata veritate niti repereris, & præsertim, quod venditio hujusmodi, si fiat, non in damnum, sed potiùs in dicti Alberti, suorumque successorum Æditimorum hujusmodi cessura sit utilitatem, eidem Alberto venditionem hujusmodi, ut suprà, faciendi licentiam auctoritate nostra Apostolica concedas: Non obstantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod venditio, & pecuniarum inde redigendarum conversio, unico contextu, in emptionem aliquorum bonorum stabilium ad favorem, & commodum ipsius Alberti, suorumque successorum fiant, vel saltem pecuniæ hujusmodi penes Montem Pietatis, vel personam fide, & facultatibus idoneam cautè deponantur, inde non amovendæ, nisi ad effectum illas, ut præfertur, convertendi.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Aprilis MDCCLVII. Pontificatûs nostri anno secundo.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apostol. Reg. mens. & ann. prædictor. fol. 18.

D E C R E T O

Sacræ Congregationis Concilii.

Missis perpetuis, quibus nonnulli Provinciæ Conventus, gravati reperiebantur, numero Missarum à Cardinale, & Archiepiscopo Narbonensi determinandarum, satisfieri indulgetur.

N A R B O N E N S I S.

PRovincialis Capucinorum Provinciæ Tolosanæ exponit, quod nonnulli ejus Conventus in dicta Diœcesi existentes gravati reperiuntur diversis perpetuis Missarum oneribus, pro quibus 3300. libras gallicas receperunt, quæ consumptæ fuerunt in fabricandis Conventibus; ideo supplicat sibi indulgeri, ut satisfieri possit eisdem oneribus celebrando Missarum numerum, unica vice tantùm, pro intranti quantitate capitalium legatorum juxta morem regionis.

Die 22. Septembris 1691. Sacra Congregatio Concilii benevolè commisit Eminentissimo Domino Cardinali Bonsio, Archiepiscopo Narbonensi, ut veris existentibus narratis, & imposita Oratoribus Conventuum, in quibus eadem onera Missarum adimplenda sunt, aliqua salutari pœnitentiâ, pro beneficio, & suffragio animarum Benefactorum, prævia illorum absolutione à censuris & pœnis, ob consumptionem capitalium pro Missarum oneribus relictorum incursis, cum eisdem super irregularitatibus ob celebrationem postea contractis, pro suo arbitrio, & prudentia misericorditer dispenset, & successive petitam facultatem unica vice pro intranti quantitate capitalium legatorum celebrandi, seu celebrari faciendi certum Missarum numerum, inspecto ad rationem eleemosynæ regionis more consueto, pro suo itidem arbitrio, & prudentiâ Oratori gratis impertiatur.

R. Paulutius Secr.

Autog. lib. 41. in Arch. Secret Congr. mens. & anni præd. fol. 184.

In causa Domûs Regularis à RR. PP. Carmelitis antiquæ observantiæ in Oppido Cereti construendæ, alios Judices subrogat, & illam ab his terminari committit.

Venerabilibus Fratribus Narbonensi, & Biterrensi, & Mirapicensi Episcopis, sive dil. Filiis, eorum Officialibus, & eorum cuilibet &c.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabiles Fratres, seu Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Jurati & incolæ Oppidi, seu loci Cereti, Elnensis Diœcesis, nec non Carmelitæ Calceati antiquæ Regularis observantiæ ejusdem Oppidi, seu loci, quod causa inter ipsos Exponentes ex una, & dilectos Filios Presbyteros dicti Oppidi seu loci, aliosque forsan litis consortes adversarios partibus ex altera, de & super licentia ædificandi Monasterium in dicto Oppido seu loco Cereti, diversis judicibus ventilata & agitata; tandem authoritate Apostolica delegata fuit dilectis Filiis Judicibus in Synodo Diocœsana Barchinonensi, vel Gerundensi, vel Vicensi deputatis, litteræque desuper in simili forma Brevis espeditæ, præsentatæ fuerunt uni ex Synodalibus Gerundensibus, quodque causa ratione belli terminari non potuit: Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes & adversarii subsunt jurisdictioni Regis Christianissimi, & sic dicta causa, ut asseritur, à Judicibus Regni Franciæ cognosci & terminari debet, ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt Exponentes prædicti, ut eis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur statum, & merita causæ & causarum hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ipsosque Exponentes, & eorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, Vosque, & unomquemlibet in locorum dictorum Barchinonensium, & Gerundensium, & Vicensium Synodalium, quoad causam, vel ad causas prędictas, in statu ac terminis, quibus reperiuntur, subrogantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati vestræ, Fratres Episcopi, seu Discretioni vestræ, Filii Officiales, per præsentes committimus & mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus vestrûm, vocatis ad id, qui fuerint evocandi causam, & causas prædictas, ad quam & quas dicti Exponentes super præmissis, contra prædictos adversarios, omnesque alios sua interesse putantes, habent & movent, habereque & movere volunt, & intendunt, cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali authoritate nostra audiatis, cognoscatis, fineque debito terminetis, Nos enim Vobis & cuilibet vestrûm citandi & inhibendi, quos, quibus, & quoties opus fuerit, ac attenta, & innovata, quæcumque, prout de jure, revocandi, fatalia, quatenus durent, vestro, & cuilibet vestrûm arbitrio prorogandi, quatenus verò lapsa sint, dictos Exponentes adversus eorum lapsum, rem judicatam, & alia quæcumque præjudicialia in integrum, prout de jure, etiam restituendi, cæteraque necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, exequendi plenam & liberam, Apostolica authoritate tenore præsentium concedimus facultatem, non obstantibus præmissis, & Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, sub Annulo Piscatoris die XXVI. Octobris MDCLXV. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Autograph. in Archivo gen. Ord. Armario Provincia Tolosana.

Causam eandem, ad instantiam Joannis de la Nuca, Domini temporalia Cereti, Incolarum, Cleri, & Fratrum nostrorum denuo ex integro examinari committit.

Venerabilibus Fratribus, Elnensi, Carcassonensi, ac Vabrensi Episcopis, seu dilectis Filiis eorum Officialibus, & eorum cuilibet.

CLEMENS PAPA XI.

Venerabiles Fratres, seu dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Joannes de la Nuca, modernus Dominus temporalis Oppidi Cereti, Elnensis Diœcesis, & PP. Capucini, nec non Rectores, cæterique Ecclesiastici, & habitatores ejusdem Oppidi; Quod, licèt aliàs san. mem. Clemens PP. VIII. aliique Romani Pontifices Prædecessores nostri, necessitati Conventuum Religiosorum Mendicantium, ut commodè sustentari valerent opportunè providentes, decreverint, ne novi Conventus præter jam erectos Religiosorum Mendicantium hujusmodi, sine expressa Ordinariorum locorum, aliorumque, quorum de jure, licentia, ac servatis servandis erigantur: Nihilominus dilecti Filii Religiosi, Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo adversarii, à sexaginta circiter annis in quamdam Domum dicti Oppidi, quam paulò ante sibi dona-

natam prætendebant, absque Ordinarii, Ecclesiasticorum, aliorumque Religiosorum, nec non ejusdem Oppidi Domini temporalis licentia se intrudere, illamque inhabitare non dubitârunt: quapropter ortâ inter ipsos ex una, nec non Ecclesiasticos, & PP. Capucinos dicti Oppidi partibus ex alterâ, lite, & controversia coram Ordinario Elnensi, iste inter cætera declaravit, prædictos Carmelitas dictam Domum, ne quidem per modum Hospitii inhabitare posse, nec illis pro re spirituali in dicto loco indigere, quæ sententia deinde fuit per quemdam Vincentium Candiosum Judicem, ad instantiam Capucinorum, Apostolicâ auctoritate delegatum confirmata, superaddito tantùm, quod Carmelitæ Domum tempore recollectionis fructuum inhabitare poterant, uti viatores, non autem ut habitatores; Sed postmodum Carmelitæ denuo causam committi curârunt eidem Candioso, qui cum falsis suppositis à suâ priori sententiâ recedendo, concessit Carmelitis facultatem ibi permanendi, eorum fundationem seu intrusionem approbando, sub certis clausulis latiùs in actis seu sententia specificatis. PP. verò Capucini, aliique consortes ab hujusmodi iniqua sententia appellârunt, & causam committi fecerunt Judicibus Synodalibus Barchinon., Vicen., Gerunden., sed causa, pro parte Carmelitarum post septemdecim circiter annos avocata, illaque commissa tunc existenti Episcopo Biterensi, sive illius Officiali, hic pariter ultimam sententiam Candiosi confirmavit, cum certis similiter clausulis, per aliam sententiam diffinitivam, à qua iterum per Capucinos & Ecclesiasticos Cereti, appellato ad Sedem Apostolicam, ibique causâ introductâ coram tunc in humanis agente Magistro Fano, iste ob illius non prosecutionem suam moderavit, seu moderatus fuit inhibitionem. Verùm, sicut eadem expositio subjungebat, quia ob notoria bella, quæ tunc temporis inter utriusque Coronæ subditos vigebat, causa hujusmodi prosequi non poterat, nec æquum videtur, quod propter revocationem, seu moderationem dictæ inhibitionis, bonum jus Capucinorum, & litia consortium pereat, eò magis, cum dictus Joannes de la Nuca declarationem nullitatis dictæ assertæ fundationis, seu erectionis Conventûs PP. Carmelitis factam, per alias nostras in simili forma Brevis desuper expeditas litteras Vobis committi obtinuit: Ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt Exponentes prædicti, quatenus causam, & causas appellationis, & appellationum à prædicta sententia dicti Episcopi Biterensis, sive ejus Officialis, ac nullitatis ex tribus iniquitatis, & injustitiæ attentatorum, & innovatorum quorumcumque, nec non restitutionis in integrum, prout de jure adversus quæcumque præjudicialia, saltem ex clausula generali, si qua inibi justa causâ videbitur, ac quam, & quas dicti Exponentes super præmissis contra prædictos Adversarios, omnesq; alios suum interesse putantes habent & movent, habereque & movere volunt, & intendunt, cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, totoque negotio principali Vobis audiendo, & decidendo committere, aliasque eis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur statum, & merita causæ, & causarum hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ipsosq; Exponentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Vestræ, Fratres Episcopi, sive Discretioni Vestræ, Filii Officiales, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus vestrûm vocatis ad id, qui fuerint evocandi, causam, & causas restitutionis in integrum, auctoritate nostra audiatis, cognoscatis, decidatis, fineque debito summariè, prout in causis beneficialibus procedi consuevit, terminetis. Nos enim Vobis, & cuilibet vestrûm, etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, dictos Adversarios, omnesque alios, quos opus fuerit citandi, illisque, & quibus videbitur, sub sententiis, censuris, & pœnis inhibendi, ac inobedientes in illas incidisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii sæcularis, si opus fuerit, invocandi, nec non attentata, & innovata quæcumque, prout de jure, revocandi, cæteraque in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Februar. MDCCIII. Pontificatûs nostri anno tertio.

Card. Pro-Dat.

Exemplar in Arch. Gener. Ord. Armario Provincia Tolosana.

PRO-

PROVINCIA AQUITANIÆ

Repetit ab ipsa præposita Tolosana Provincia suam basin, cum qua Conventuum suorum fundationes commiscuit, usque ad annum millesimum sexcentesimum quadragesimum, ac unam eandemque Provinciam indiviso regimine constituit. Factâ autem eo anno divisione, effusam per varias terras Conventuum suorum congeriem, in unitatem propriæ Provinciæ congregavit, nomenque Aquitaniæ ex ditione, in quam extenditur, & quæ ex armoricorum parte conflatur, selegit. Secundùm nomen, ita & est laus ejus: Sicut enim Ditio illa, jam à Romanis ob aquas *Aquitania*, à corrupto verbo *Armor* regio maris, & aquarum nuncupata, ita & ipsa Fratrum Provincia, regioni aquarum dignè assimilatur, à qua ceu loco voluptatis, ad oras & decursus Aquarum plantata, *egreditur fluvius, qui inde dividitur in quatuor capita*, seu ditiones, videlicet Guiennam, Vascoviam, Quercium, & Roverque, quibus Fratres aquas de fontibus Salvatoris haustas, per Sacras Missiones, exceptas confessiones, & salutis consilia communicant, & quas Apostolicâ prædicatione, tanquam cœlesti pluviâ irrigant, ita ut nova virtutum germina in specioso Ecclesiæ campo in dies pullulare videantur.

Tanquam cedri libani circa has *aquas* floruêre primæ Nobilitatis Filii, & effuso super eorum semen spiritu, *germinârunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas*: Floruêre, Fr. Archangelus de Monpené, ex stirpe regia, de quo forti egressa est dulcedo vitæ bonæ, & in Conventu Mellis dulcis anno 1611. secuta est mors suavis: Fr. Archangelus de Maignos, ex præcelsa Ducum d'Epernon parentela, & Familia, quæ Ecclesiæ Cardinalem, Tolosæ Archiepiscopum, Reipublicæ Venetæ Generalem, Franciæ Marechallos, & Pares &c., ac Religioni nostræ, ut infra refertur, insignes dedit Benefactores. Fr. Josephus, laicus, Frater Marchionis de Jasses, qui humilis factus, mansit sublimis. Floruêre alii ex Familiis, *du Bernet, de Gascq, de Soulon à Raymundis, de Ferron, de Castleja, de l'Estange, de Dieusse de Chrissau, de Portal, de Pichard, de la Bernardiere le Franc, de Lauture, de Mirat, de Bedecham, de Mons de la Caussade, de Dufour &c.*

Nobi-

Nobilitatis Stirpi si sociare velimus Fratres eos, qui biberunt aquas de cisterna virtutis, prætmemorare oportet Fr. Innocentium ab Assarico, qui jam ætatem innocentiæ in spiritu pœnitentiæ exercuit, & fune in nodos deducto lumbos ita constrinxit, ut à cute tumefacta aliquoties ægrè divelli potuerit. In sortem Domini & Divi Francisci relatus, funem in ferream laminam commutavit, ac jejuniis, xerophagiis, aliisque rigoris exercitiis corpus in officiis tenuit: in cultu Dei assiduus, erga omnes comis, omnium cultum religiosa sua modestia in se concitavit. *Vir Dei* in vita dictus, in morte, quæ anno 1700. contigit, Vir Sanctus creditus; hinc cadaveris in Ecclesia positi pedes osculari, barbæ pilos scindere, Habitûs frusta carpere, aliquam de paupere ejus supellectile partem petere, populus turmatim visus est.

Fr. Ægidii à Bazato conversatio fuit in cælis; non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, continuò contemplabatur, habuitque Ludovicum Regem XIII., & Reginam Agini præsentes extatici raptûs testes, & Cives Aginos pretiosæ mortis 1621. præcones.

In Fr. Alexio de Martel, Sacræ Theologiæ Lectore visa sunt omnia mira; ætatem floridæ juventutis magnarum rerum agendarum prudentiâ transtulit in formam senectutis, innocentiam cum primo lavacro tractam ita servavit, ut in carne ambulans, non secundùm carnem militaret: terram sibi convertit in cælum, ita ut ex consortio Domini, jugis in ejus vultu radiaret species sanctitatis. Consumatus in brevi explevit tempora multa, & ex ipsa morte elicuit vitam, quam acquisivit, ut piè credimus, in cœlis, & quam habet in animis Civium, & Fratrum.

Cum autem hi et alii inter aquas contemplationis deliciabantur, derivârunt fontes aliorum Fratrum foràs, dum in plateis aquas charitatis juxta scripturæ verba diviserunt, et ad frangendum desolatis in valle lachrymarum, panem consolationis properârunt, quoties ira Dei se se effudit super filios hominum, et lues aëris implevit Civitates fœtore cadaverum; mirari inde non debet, qui Aquitanam Provinciam, Principum beneficiis distinctè irrigatam fuisse legit. Qui legit à Maria Anna à Neoburgo, Hispaniarum Regina, tempore, quo Bajonæ cunctabatur, in Ecclesia Fratrum Pali Capellam Divi Antonii Paduani, et Bajonæ aliam Sancti Caroli Borromæi in memoriam nominis, quod Regius Conjux gesserat, erectas, et in harum ultima quolibet die Sabbathi populo cum Eucharistiæ Sacramento benedici, perpetuâ fundatione sancitum.

Joannes Ludovicus de Nogaret, de la Valette, Dux d'Epernon, Comes Montforti, Marchio Astaraci, Par, et Architalassus Franciæ etc. torrentes charitatis in Fratres effudit, Cadillacensem Conventum asse suo construxit, eique pro suo recessu Cellas, quæ adhuc Dormitorium *d'Epernon* dicuntur, junxit. Pro fabrica Conventûs Gimontensis obstacula ex parte Episcopi, et RR. PP. Cisterciensium interposita, fortiter et suaviter sustulit: Lingonensem fabricam 300. thalerorum subsidio adjuvit: in illam Conventûs Portûs Sanctæ Mariæ, diversis vicibus sex millia librarum, et totidem in fabricam Montis Albani erogavit.

Fridericus Mauritius de la Tour, primus Bullionii Dux, Princeps Sedani, Jametz, et Raucourt, Vice-Comes Turenæ etc. sicut se in admirabile fidei Catholicæ lumen, consilio nostri P. Caroli ab Aremberga ductum agnovit, ita gratum erga Ordinem conceptum benevolentiæ affectum, non solùm duplici Conventu, Sedani, et Turenæ constructo, sed et continuo beneficiorum fluxu probavit.

Ausci-

Auſcitanorum Archiepiſcopo, Leonardo de Trapes, ſat non erat ſub Pontificia veſte Habitum Ordinis noſtri portâſſe: etiam profeſſione inter manus Patris Leonardi de Limoges emiſsâ, vitam Capucinam ſectari voluit. Hinc & ſæpius Conventum acceſſit, per integras ſeptimanas in cubili, inter Sacriſtiam, & B. Virginis Capellam, ex parte Aræ majoris conſtructo, ſolitudini incubuit, ſoleis, cordâ indutus & Habitu, in quo & in Capella ſubterranea Eccleſiæ Metropolitanæ ſepultus quieſcit.

Numerat Conventus Fratrum	XL.
Reſidentias	I V.

Tranſitum Fratris N. N. ad RR. PP. Obſervantes ſine debita licentia nullum declarat, ac invalidum.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Procurator Generalis Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd aliàs quidam Fr. N. Provinciæ Aquitaniæ in Regno Franciæ, ſuſcepto per eum Habitu per Fratres Clericos dicti Ordinis geſtari ſolito, & emiſſa profeſſione Regulari per eoſdem emitti conſueta, ſuſceptiſque etiam in eodem Ordine ſacris, etiam Preſbyteratûs, Ordinibus, multos poſt annos ab ipſa profeſſionis hujuſmodi emiſſione, clanculum, & furtivè è Domo Regulari loci de Nogaro dicti Ordinis exiit, & ad Conventum Montis Marſani dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum ſe contulit, à quibus receptus, & poſtmodum ad Conventum eorumdem Fratrum Obſervantium Aquenſium miſſus, Habitum per ipſos Fratres Obſervantes geſtari ſolitum inibi ſuſcepit, & ab excommunicationis ſententia ob clancularem fugam hujuſmodi per eum incurſa, à Venerabili Fratri Epiſcopo Aquenſi abſolutus, & ab eo ſub ſua protectione receptus fuit. Quod cum dilectus Filius, Guardianus dictæ Domûs Regularis de Nogaro reſciviſſet, in forma authentica, & legitimè penes ipſos Fratres Obſervantes inſtitit, ut illi eumdem Fratrem N. dictis Fratribus Capucinis reſtituerent: apud verò eumdem Epiſcopum, ut ipſe ab ejuſdem Fr. protectione deſiſteret; prædicti tamen Fratres Obſervantes, nec eumdem Fr. N. reſtituere, nec dictus Epiſcopus ab ipſius protectione deſiſtere voluerunt, unde etiam nunc idem N. inter ipſos Fratres Obſervantes, non ſine Regularium & Sæcularium ſtupore, & offendiculo degit.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, tranſitus ejuſdem N. ab ipſis Fratribus Capucinis ad eoſdem Fratres Obſervantes, uti ſecutus abſque debitis licentiis Superiorum Capucinorum, & aliorum majorum, ad quos ſpectat, nedum à Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſed etiam per quaſdam in ſimili forma Brevis literas, ſeu Conſtitutionem à ſel. rec. Urbano Papa Octavo Prædeceſſore noſtro emanatas: *Injuncti Nobis &c.* quibus inter alia interdicitur, ne extunc de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus dicti Ordinis Capucinorum Religioſus, ad laxiorem, abſque ſpeciali Sua & Sedis Apoſtolicæ, ad Cartbuſienſium verò, ſeu alium quemcunque Ordinem, vel Congregationem, niſi de Miniſtri Generalis pro tempore exiſtentis dicti Ordinis licentia in ſcriptis obtinenda, quovis prætextu, ſeu cauſa ſub apoſtaſiæ & infamiæ nota, ac excommunicationis, & vocis activæ, & paſſivæ privationis pœnis tranſire quoquomodo audeat, ſeu præſumat, prohibitus ſit. Nobis propterea, ac aliàs, quia quidam N. Converſus Capucinus, ejuſdem Provinciæ Aquitaniæ, exemplo dicti Fratris ductus, ad eoſdem Fratres Obſervantes paulò poſt tranſire auſus eſt, ab eiſque receptus, & à Venerabili etiam Fratre Epiſcopo N. ab excommunicatione abſolutus, ſubque ſua protectione receptus fuit, ſupplicatum eſt, ut de opportuno in præmiſſis remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, eumdem Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum

no-

nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, declaramus dicti Urbani Prædecessoris Constitutionem habere locum in Congregationibus ejusdem Ordinis Sancti Francisci Minorum de Observantia, seu Recollectorum, aut Reformatorum, seu aliorum Instituti mitigati, prænarratos eorumdem Fr.N.,&Fr.N.transitus, & receptiones fuisse nullos, & invalidos, eosdemque Fr.N., & Fr.N. incidisse in pœnas dictæ Constitutionis ejusdem Urbani Prædecessoris, ac ut apostatas reputandos, Apostolica auctoritate, tenore præsentium decernimus: Superioribus verò Provincialibus, Guardianis, Vicariis quibuscumque Congregationum hujusmodi, ne inposterùm Fratres Capucinos contra formam dictarum Constitutionum, seu literarum Urbani Prædecessoris, ac præsentis decreti recipere, admittere, seu retinere præsumant, ex quavis causa, & prætextu, sub excommunicationis latæ sententiæ, privationis officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad quoscunque actus legitimos exercendos pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis, auctoritate & tenore præmissis interdicimus, & prohibemus, facultate absolvendi, habilitandi, seu reintegrandi dumtaxat Sedi Apostolicæ reservatâ, salvaque semper in præmissis auctoritate eorumdem Cardinalium. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, & ab omnibus, quos illæ concernunt,in futurum inviolabiliter observari: sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane,quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, ac litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentibus, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum,hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVII.Julii MDCLIII. Pontificatûs nostri Anno nono.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol.Reg. mensis, & anni præd.fol.7. Tom.V.

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Capitulum, interjecta appellatione non obstante, validum declaratur.

PAtres N. N. & N.N. Concionatores, antiqui Definitores, & Custodes Ordinis FF. Min. Capucinorum Provinciæ Aquitaniæ, ad Sanctitatis Vestræ pedes provoluti humillimè exponunt, quod post habitum recursum jam à die 18. mensis Aprilis hujus anni 1707. ad supremum vestræ auctoritatis Tribunal per supplicem libellum huic junctum (licèt ab oculis Vestræ Sanctitatis, nescio quo casu ablatus fuerit)nunc non obstante lapsu temporis, qui in præjudicium nostrum verti nequit, eum ex culpa nostra non fuerit, ut Brancatius testabitur, iterum quasi eodem actu ad id supremum Vestræ auctoritatis Tribunal de novo recurrimus, humiliter repræsentantes, quod, cum P.Provinciali N. N. prædictæ Provinciæ Fratrum Capucinorum Aquitaniæ factæ fuissent oppositiones à majori parte Definitionis ejusdem Provinciæ (cui equidem majori parti Definitionis in omni controversia judicium ferre, juxta Ordinis constitutiones, convenit) ne Capitulum convocaret, donec Pater Generalis, cui querelæ graves, ac ipsæ etiam oppositiones delatæ fuerant, super his pronunciâsset: Imò, cum ex quasi denegata Nobis, per vim declaratam à dicto Patre Generali justitiâ,ad supremumVestræ auctoritatis Tribunal, ut patet ex primo supplici libello 18. Aprilis, appellatio interjecta fuisset, ac eodem die, scilicet 18.Aprilis, Patri Provinciali intimata; ille, inquam, P. Provincialis nullo habitu respectu nec ad Sanctam Sedem (ad quam ipso jure per appellationem, ita omnia statim devolvere, tam in accessorio, quàm in principali nemo nescit, ut pendent illâ aliquid, juxta Sacros Canones innovare nefas sit) Capitulum tot juribus prohibitum convocare non destitit in Conventum Cadillaci ad diem 27. Maji, ubi coacervatis, quos sibi paraverat, contra jus omnium ferè Conventuum Discretis cum turma Fratrum laicorum, ad tam evidens gravissimi mali periculum nos perduxit, ut factis priùs actibus nostri juris conservatoriis, ejus vi cedere, ac electionibus, quas voluit, quasi consentire ad evitanda damna majora coacti fuerimus.

Sed, cum certissimè constet tale Capitulum, ac omnia inde secuta, nulla omnino esse, vel ex eo solo, prætermissis aliis gravissimis, quod pendente appellatione ad San-

Sanctam Sedem attentata sunt, ut videre est, ex cap. *consideravimus &c.* Nos præfati Oratores tam nomine nostro, quàm omnium bonorum Religiosorum, qui per Provinciam dispersi gemunt sub misero statu hujusmet Provinciæ, ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provoluti suppliciter deprecamur, ut placeat justitiæ Sanctitatis Vestræ, declarare nullitatem evidentem dicti Capituli, vel ex eo solo, omissis aliis, quod pendente appellatione ad Sanctam Sedem, contumaciter attentatum est, præcipere Patri Generali, ut sine mora mittat in nostram Provinciam Commissarium vestrâ auctoritate munitum, unum ex quatuor, quos illi nominavimus ex vicinis Provinciis, exclusâ Lugdunensi, qui tam de nullitate Capituli (si de illa adhuc dubitare nefas est) quàm de aliis hujus Provinciæ causis &c. dijudicet.

Habito recursu ad Sanctissimum Dominum nostrum pro parte Fratrum N. N. & N. N. Concionatorum, nec non Ex-Diffinitorum, & Ex-Custodum Provinciæ Aquitaniæ Ordinis Capucinorum, pro declaratione nullitatis Capituli Provincialis celebrati sub die 17. Maji 1707.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam idem Sanctissimus Dominus noster prædictorum Fratrum preces remisit, referente Eminentissimo S. Clementis, censuit, & declaravit, præfatum Capitulum Provinciale sustineri, & non esse locum transmissioni Commissarii.

Romæ 15. *Junii* 1708.

C. Card. Carpineus.

Exemplar Authent. in Archivo Gener. Ordinis Armario Provincia Aquitaniæ.

PRO-

PROVINCIA ALSATIÆ.

QUANTUMVIS hæc in opimo, naturæque donis exuberante solo plantata Provincia, inter illas Regni Galliæ ultimum teneat locum, cum nonnisi anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo, validâ Excellentissimi Domini D. Leonori Mariæ Du-Maine, Comitis du Bourg, Franciæ Marechalli, Ordinis S. Spiritûs Equitis, Gubernatoris &c. operâ adjuta, hoc titulo, & prærogativâ fuerit insignita, nihilo secius, si illius cum Provincia Helvetica unionem perpendamus, ejus incunabula anno millesimo sexcentesimo tertio per Domûs Ensishemianæ fundationem fixa fuisse reperimus, Fratresque jam primo manè in vineam Domini missos rectè inferimus. Divisa est in duas Custodias, Argentinensem & Colmariensem, quarum prima Conventus inferioris Alsatiæ, altera verò superioris complectitur. Inter Conventus plures sunt, qui & historia, & notâ digna continent. Argentinensis ex ipsis lapidibus, quibus ex Monasterio, & Ecclesia RR. PP. Conventualium avulsis, Lutherani turrim, & fortalitium olim erexerant, ordine regio constructus traditur, ut, quod odium Fidei in dictorum Patrum fundo distractum prophanaverat, in psalmodia Capucinorum resanctificaretur. Blozhemensis administrat parum dissitam Capellam, quæ imaginem B. V. Mariæ *ad Quercum* dictam conservat, prodigiis, & antiquitate, nec non frequentato olim Patrum Concilii Basileensis accessu, jam verò continuo peregrini populi confluxu celebrem.

Hagenoensis elogium texunt tum RR. DD. Canonici Præmonstratenses, dum eorum in Civitate sitam S. Nicolai Parochiam, à contagio hæreseos Fratris Albani Ensishemiani Zelo, quem infra commemorabimus, præservatam fuisse, annuæ memoriæ penso fatentur, tum Monasteria Monialium extra Civitatem existentia; illud videlicet in Biblisheim, Ordinis S. Benedicti, & aliud *Pons Regius* vocitatum, Ordinis Cisterciensis, quorum primum, suæ Ecclesiæ cultum, Fratrum nostrorum curâ servatum, gratum noscit, & alterum muros suos à sævientis Sueci militis flammis, eorumdem Fratrum sagaci operâ exemptos fuisse, reposito in Archivo gratitudinis Documento commendat. Enarrat Oberenhemianus scelestæ manus facinus, quo in Altari Argentorati elaborato, maleficium ad formam serpentis in columna ad cornu Evangelii fuit collocatum, tum Sæculares, tum Fratres dictæ columnæ appropiantes variis morbis, & casibus mortis, usque dum detectum fuerat, infestans. Insignes exhibet Reliquias Thannensis, videlicet Caput S. Æmiliæ Virg. & Mart., Caput S. Mariæ Virg.

& Mart., & Caput S. Candidæ Virginis, quas in Monte S. Nicolai prope OEtingam, Civitatem Ducatûs Brunswicensis, Lutheranismo addictam feliciter repertas, Nobilis, & strenuus Dominus Henricus de Reinach, Catholici fœderis Colonellus, gloriosè Thannas transtulit, & in nostra ibi Ecclesia publico cultui exposuit, ubi & adhuc impræsentiarùm signis, & gratiis clarent.

Fulget in Sacello, Ecclesiæ nostræ Vinbachianæ contiguo, imago B. V. Mariæ *Auxiliatricis* ex contactu æquè; ac ex perfecta cum Archetypo Passaviensi similitudine conspicua, quam liber Baro Franciscus de Schwendi à Fratre suo Germano, Reverendissimo D. Marquardo de Schwendi, Ecclesiæ Passaviensis Administratore, Præposito in Heltrig &c. receptam aliis, in auxilium ibi posuit, in semetipsa postmodum miraculosam; dum enim anno 1674. impetuosa flamma Ecclesiam Monasterii invasit, & in pyram redegit, illa inter ignis furias illæsa permansit.

Proferunt omnes Conventus, & Residentiæ unitim prodigiosum Apostolici fructûs septennali labore collecti calculum, elapso anno Matriculæ Sacræ Congregationis de Propaganda Fide allatum, & consistentem in concionibus à Fratribus habitis 21012. in catechesibus 647., exceptis Confessionibus per annum 22080036., in Dominicis verò menstruæ Communionia 2021012. Proferunt ab hæresi per Fratres intra annos viginti absolutos 1399.: refert Weissenburgum, anno 1686., quo regio Decreto Monasterium RR. PP. Conventualium nostro incolatui fuit concessum, & loci Parochia concredita, tres dumtaxat ibi extitisse Romano-Catholicæ Religionis Familias, dum hodie ultra 1500. hujus professores numerantur: refert vicinum Weissenburgo Oppidum Alstadium, quod anno 1690., quo Fratres nostri Parochialem curam in se susceperunt, tota Catholici nominis professio ad septem familias fuerit restricta, dum jam ibi omnis exulat Lutheranus, omnis extorris manet Calvinista, & sola triumphat Romanæ fidei sanctitas. Referunt Tabernæ-Montium in Ducatu Bipontino, quod, cum ante Fratrum accessum, anno 1710. jussu, & gratia Serenissimi Principis Gustavi Neo-conversi concessum, 14. tantùm Catholicæ Familiæ per viciniam dispersæ numerarentur, conversorum numerus de facto ad Familias 204., & Personas ultra 1500. excrescat. Calculum prædictum ne ad gloriæ speciem magis, quàm ad veritatis commendationem adductum esse Lector arbitretur, meminisse eum oportet, quod Fratres non solùm regia Militum hospitalia Argentinæ, Colmariæ, in Fortalitio Ludovicæo, Hagenoæ, Neo-Brisaci, Selestadii, Weissenburgi parochiali potissimùm curâ administrent, sed & Colmariæ, Ensishemii, in dicto Fortalitio, Landavii, Molfishemii, Neo-Brisaci, Oberenhemii, Selestadii, Sulzii, Thannis, & Weissenburgi Cathedras Civitatum, & Parochiarum ordinariè, & privativè quoad alios, singulis Dominicis & festis conscendant: meminisse oportet, quod Fratres in sola Argentina quatuor pulpita administrent, in Orphanotrophio singulis diebus Dominicis catechizent, in carcere regio reis Sacramenta administrent, condemnatis ad mortem assistant, Domum laboris, seu correctionis dictam, spiritualiter dirigant, utrique Hospitali Gallico, & Germanico quotidiè inserviant, & intra trium mensium spatium in obsequio primi Hospitalis 16. Patres robustos, & juvenes anno 1735. consumptos, mixto gaudii, luctûsque sensu adhuc commemorent.

Transit & ad Sacrarum Virginum contubernia Fratrum Zelus; exercent enim Visitationis munus tum in Monasterio Tertiariarum Capucinarum Ensishemii, tum in Clarissarum Parthenone Alspachii, & præter utrumque hoc Monasterium, Confessiones excipiunt ordinariè Nobilium Domicellarum Principalis

palis Collegii Andlavii, nec non Nobilium Domicellarum Principalis itidem Collegii Mazopoli, ac Ottmarshemii, Monialium Annuntiatarum Hagenoæ, Monialium Ordinis S. M. Magdalenæ Argentinæ, & ibidem extraordinariè aliarum, quas Sorores Confraternitatis B. V. Mariæ ad S. Mariam Majorem vocant, nec non Monialium Visitationis B. V. ad S. Stephanum.

Eo quoque per Provinciæ districtum tertii Ordinis S. P. Francisci de Pœnitentia nuncupati incrementum, & gloriam quærunt studio, ut ultra duo millia Personarum distincti gradûs, & diversi sexûs sub spirituali eorum directione meliora christianæ vitæ charismata in hoc Ordine æmulentur &c.

Pii honoris memoriâ prosequitur Fr. Albanum Ensishemianum, qui pro gloria, & fide Domûs Dei stetit, ceu murus æneus in Concilio Civico perorans, supradictam S. Nicolai Parochiam Hagenoæ à lapsu non sine vitæ discrimine servavit, & sexennali labore coluit; hinc & in Archivo nostro Hagenoensi inter alia sequens reperitur periocha: *Hujus R. P. Albani memoria nunquam delenda ad hæc usque tempora apud Hagenoenses adhuc meritò viget; proinde tanquam secundarii Fundatoris, RR. PP. Pramonstratenses in perpetuum ingratitudinis tesseram quotannis anniversario solemni Defuncti reminiscuntur, & etiam Cathedram suam à Capucinis unà cum Ecclesia, uti dictum, conservatam, Nobis hucusque ordine alibi præsignato, conscendere permiserunt.*

Fr. Bonagratia Habsensis, veluti purum, & pietatis, & doctrinæ speculum inter Fratres splenduit, & dum primam Deus in eo signis illustravit, ille secundam vario librorum partu probavit.

Fr. Gervasius Brisacensis, quem ex conspicua Brunkorum Familia virtus, non solùm trinâ vice ad Magistratum Provinciæ, tunc *Helveticæ*, sed etiam ad Commissariatum Generalem in Flandria evexit, vulgavit Philosophiam & Theologiam, limatâ Doctrinâ eousque celebrem, ut non solùm in pluribus nostræ Religionis Provinciis, sed etiam extra hanc in Scholis studiosæ Juventuti publicè prælegatur. Expleto, quod in Aula Serenissimi Electoris Bavariæ Maximiliani, in Gallia dimorantis, diutius gessit, Confessarii & Theologi officio, Fr. Columbanus Ensishemianus, tenaci studio Regularis Observantiæ florem Guardianus, Custos, Definitor, & Commissarius Generalis coluit, & erectionem Provinciæ zelanter adjuvit.

Fr. Valentinus ex Altkirch, quod sumpsit ex præclaro Holdiorum genere, ornavit vera virtute, & spiritu dulcedinis, quo Guardianus pariter, Custos, & Definitor Fratres prævenit, & ambulavit usque ad perfectum diem.

Reliquerunt hi, & homines divites in virtute, qui pulchritudinis studium habentes, pacificantes in Domibus suis, gloriam gentis suæ feliciter propagant.

Quemadmodum Provincia hæc ultra centum annos Helveticæ unita mansit, ita & hujus indultis, tempore unionis concessis gaudet, & Provincia Mater de fecunda hac sua Filia dignè gloriatur, numerante

Conventus Fratrum	XIV.
Residentias	V.
Monasterium Monialium	I.

AUCTO-

AUCTORITATE APOSTOLICA.

Donatio areæ ab Abbate, & Monasterio Stivagiensi Ordinis Præmonstratensium, pro construenda Fratrum Regulari Domo in Keisersperg ratihabetur.

Nos Ladislaus de Aquino, Episcopus Venafranus, & Nuntius Apostolicus in partibus Germaniæ superioris.

Auctoritate Apostolicâ Nobis specialiter concessa, confirmamus omni meliori modo, & in perpetuum ratam, ac firmam esse volumus, ac mandamus donationem factam ab Admodum Reverendo, ac Religioso Abbate, & Conventu Stivagiensi Ordinis Præmonstratensium, de area tantæ capacitatis, & amplitudinis, quæ satis esse possit ad Monasterium Capucinorum extruendum, & suscitandum in bona, & decenti formâ pro more Religionis; pronunciantes id in augmentum divini cultûs tendere, & cum speciali Sanctæ Sedis Apostolicæ assensu dictam donationem celebratam esse: In cujus rei evidens testimonium, hæ nostræ patentes litteræ concessæ extiterunt.

Datæ Lugani die VIII. Junii MDCXII. Pontificatûs Sanctissimi Domini nostri Pauli Papæ V. anno octavo.

L. Episc. Venafr. Nuntius Apost.

N O T A.

Donatio enuntiata fuerat concepta terminis, qui sequuntur:

Reverende in Christo Pater.

Responsurus ego super quæsitis à vobis factis de prædiis ruralibus, ad quæ vestri ad Nos Nuncii causam dederunt, dubitante mente negotium pertractabam, nec quid in re ejusmodi ponderis resolvere volebam: Dubii tamen vapor abiit, & vester in Dei cultu animus præ oculis mihi est obversatus; quippe talis, cui absimilis esse sine gravi animi ingrati culpa non possum; feci igitur, ut potui, quod est, meos omnes Confratres in unum cogere, ex iisque, quid de tali à nostro bono communi alienatione sentirent, percunctari, quorum libens, ac voluntarius in id fuit assensus, sed conditionatus, scilicet, modò de Sedis Apostolicæ beneplacito ac voluntate res tota discernatur, ac corroboretur; siquidem Tridentinæ Synodi intelligentia hæc est, ut de bonis Ecclesiasticis soli loco affixis nil designatur, aut alienetur (quod, & nostro solemni pro vita Regulari Sacramento firmatum admisimus) quin Superiorum, ad quos de iis spectat judicare, consensus fiat propensus &c. Quod ubi evenerit, de iis, quæ intra nostrum posse continebuntur, haud difficiles erimus. In quorum fidem præsentes nostro, nostrique Capituli sigillo solito communivimus.

Datum in Monasterio nostro Stivagiensi die 22. Octobris 1611.

Habito postmodum superiùs posito Apostolico beneplacito, Stivagiensi consensui suam facultatem Illustrissimus, & Reverendissimus D. Episcopus Basileensis junxit litteris sequentibus:

Guilielmus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Basileensis

Reverendi, Pii, nobisque in Christo sincerè dilecti.

Non exiguo Nos effecit gaudio, quod in Diœcesi nostra propè Kaysersberg Monasterium vestri Ordinis excitare intendatis, ac jam pro extructione ejus, area ab Abbate, & Conventu Stivagiensi Ordinis Præmonstratensis liberaliter donati sitis, quod non solùm laudamus, sed auctoritate nostra ordinaria approbamus, & plura in nostra Diœcesi cuperemus summopere. Precibus vestris Nos in sempiternum commendantes, nec non Ordini vestro benevolentiam omnem pollicemur, & præstitam cupimus. Valete. Ex Arce nostra Bruntrutana 23. Augusti an. 1612.

Autogr. utriusque Documenti in Archivo Conventûs.

DECRE-

DECRETO

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ 30. Januarii 1626.

Executio Missionis à Fratribus in Urbe Colmariæ instituendæ P. Procuratori Generali committitur.

SAcra Congregatio censuit executionem Missionis Capucinorum in Urbem Colmariæ decretæ, committendam esse Procuratori Generali, qui pro sua prudentia Præfectum illius, cum sufficienti numero Fratrum, ad Missionis munus obeundum idoneorum, constituat; nomamque nominum illorum Secretario suo tradat, juxta Decreta aliàs edita sub fel. rec. Gregorio XV.

Card. Ludovisius Præfectus.

Autograph. in Archivo Secret. Sacr. Congregationis prædictæ.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Fratribus loci Vinbachii confessiones Monialium Ordinis Sanctæ Claræ in Alspach excipiendi facultas conceditur.

Beatissime Pater.

CUm humiles Oratrices, & Moniales Ordinis Sanctæ Claræ, Monasterii Alspacensis, Diœcesis Basileensis, bellorum injuria ex propriis earum Monasteriis fuissent expulsæ, & Mater Abbatissa cum aliquibus Sororibus Lucernam in Helvetia secessisset, ex hujusmodi infortunio Documenta, & privilegia Monasterii fuerunt distracta, & direpta, ac Oratrices spirituali consolatione PP. Capucinis, qui in illis partibus ex Summorum Pontificum, & suorum Superiorum permissione ob Confessariorum penuriam Confessiones excipiunt, confitendi privatæ existunt. Quapropter Sanctitati Vestræ humiliter prostratæ supplicant, ut amore salutis animarum eas solari dignetur, gratiam ab Antecessoribus Summis Pontificibus iis jam aliàs benignè concessam renovando. Quam Deus &c.

Ex Audientia Sanctissimi 11. Septembris 1645.

Sanctissimus annuit, non obstantibus contrariis quibuscumque, facto prius verbo cum P. Procuratore Generali Capucinorum.

B. Card. Spada.

Autograph. in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Alsatiæ.

Provinciam erigi, & prærogativis aliarum Provinciarum gaudere debere decernit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officii, quo Catholicæ Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusæ regimini divinâ dispositione præsidemus, sollicitudo Nos admonet, ut felici, prosperoque Religiosorum Virorum divinis obsequiis sub austerioris vitæ disciplina mancipatorum, suavique Christi odore de bona conversatione fragrantium statui, regimini, & progressui, interdum etiam per novarum Provinciarum institutionem, providere studeamus, sicut sublimium Principum de Ecclesia Dei optimè meritorum vota postulant, ac rerum temporum, locorum, & personarum qualitatibus maturè perpensis ad omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum, atque animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Nomine siquidem Charissimi in Christo Filii nostri Ludovici, Francorum Regis Christianissimi, Nobis nuper expositum fuit, quòd,cum Provincia Helvetica Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quæ Conventibus in variis Ditionibus sitis constabat, inter alios Conventus hujusmodi, etiam illos complecteretur, qui in Alsatia dominio ejusdem Ludovici Regis Christianissimi subsunt, multiplicia que incommoda, ac detrimenta præfatis Conventibus Alsatiæ, eorumque Fratribus inde emanata fuissent, ac proinde dicti Fratres, Diffinitorio Capituli Generalis ipsius Ordinis in alma Urbe nostrâ novissimè celebrati exposuissent, nullum aliud efficacius hujusmodi damnis sarciendis, aliisque inposterùm avertendis remedium suppetere, quàm quod prædicti eorum Conventus

Al-

Alsatiæ, non modò ab Helveticis plenè segregarentur, sed etiam in novam Provinciam erigerentur, Diffinitorium Capituli Generalis prædicti die 25. Junii 1725. censuit, atque decrevit, ut dicti Conventus Alsatiæ ab ipsa Provinciâ Helveticâ penitus, & totaliter separarentur, ac tanquam Custodia à præfata Provinciâ Helveticâ inposterùm independens, pro tunc, donec sufficientem ac necessarium Fratrum, & Conventnum numerum haberet, soli Ministro Generali ejusdem Ordinis immediatè subjacerent, & aliàs, prout in Decreto Diffinitorii Capituli Generalis hujusmodi desuper edito, cujus tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, per enarratam provisionem à Diffinitorio dicti Capituli Generalis, sicut præmittitur, captam, minimè statui, ac Religiosæ tranquillitati præfatorum Fratrum, & Conventuum Alsatiæ, usquequaque consultum sit; prædicta verò Custodia undecim ad præsens Conventus, & quatuor Hospitia, nec non singuli Conventus Religiosos Regulari observantiæ, & disciplinæ numero sufficientes habeant, ac in Ordine præfato plures reperiantur Provinciæ, quarum aliquæ minori, aliæ pari, & non multo majori, quàm præfito Conventuum numero constituuntur, duoque ex dictis Hospitiis, utpote in quibus sufficientes Religiosi sunt, in Conventus formales facilè erigi valeant, & si Fratres Helveti eam curam præfatorum Conventuum, in Ditione ejusdem Ludovici Regis Christianissimi existentium, ac in Helvetiâ positorum gessissent, etiam antehac erigi potuissent: hisque accedat, quod in Custodia præfata, & extra Novitiatum, ubi quatuordecim Novitii continuò retinentur, ac quorum numerus augeretur, si per Ministrum Provincialem regeretur, Philosophiæ, & Sacræ Theologiæ studia vigeant, quodque intra dictæ Custodiæ limites, illius Fratres ad victum, & vestitum necessaria abunde, nec magno labore ex quæstuatione, ac Fidelium liberalitate parent, & inveniant.

Quibus, aliisque gravibus rationibus consideratis plurimùm expedire videtur, Custodiam præfatam in Provinciam erigi: Nobis propterea ejusdem Ludovici Regis nomine fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur pro ipsius Ludovici Regis desiderio hàc in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac firmiori, solidiorique memoratorum Conventuum in Alsatiâ, prædicti Ludovici Regis dominio subjectâ, ut præfertur consistentium, statui, & quieti, prosperoque regimini salubriter prospicere cupientes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatam Custodiam in novam Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum Provinciam, Alsatiam nuncupandam, quæ à propriis Ministro Provinciali, ac Diffinitoribus, cæterisque Superioribus juxta ejusdem Ordinis statuta eligendis, nominandis, & deputandis regi, & gubernari debeat, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium erigimus, & instituimus, ac ipsi novæ Provinciæ sic erectæ, & institutæ, illiusque Conventibus, Hospitiis, Domibus, ac Ministro Provinciali, & Definitoribus, cæterisque Superioribus pro tempore existentibus, Fratribusque, & personis quibuslibet, ut omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, præeminentiis, indulgentiis, & indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Provinciæ, illarumque Conventus, Hospitia, Domus, Superiores, & Fratres, aliæque personæ, tam de jure, usu, & consuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, eadem auctoritate harum serie similiter perpetuò concedimus, & indulgemus.

Decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ, de non concedendis indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Custodiæ, & Provinciæ, ac Ordinis præfatorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis,

ac

ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. Decembris MDCCXXVIII. Pontificatûs nostri anno quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apost. Regest. mens. & ann. præd fol.7.

NOTA

Et executionem harum litterarum Apostolicarum vide tom. IV. fol.47.

DECRETO

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 9. Decembris 1748.

Circa usum pecuniarum tum in Parochiis, tum in Xenodochiis cum Patre Provinciale sub nonnullis conditionibus dispensatur, et dispensandi facultas datur.

Referente R. P. D. Nicolao Lercario Secretario, Sacra Congregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, dispensandum esse cum P. Provinciali pro tempore Provinciæ Alsatiæ Ordinis Capucinorum in casu defectûs fidelis Syndici circa pecuniæ usum, tam in Parochiis Conventûs Weissemburgi, Pagi Alstatt, ac Tabernarum Montium, Otterbach, & Tirrebach in Ducatu Bipontino, quàm in Xenodochiis Regiis Militum Colmariæ, Argentinæ, Neo-Brisaci, Selestadii, Hagenoæ, Weissemburgi, & Fortalitii Ludovicæi, additis conditionibus, videlicet, quando urget necessitas, ac invitat utilitas, doloque, ac fraude cessante eorum sinceritatem cupiditas non seducit; eidemque P. Provinciali concedendam esse facultatem eodem modo, & cum iisdem conditionibus dispensandi cum suis Religiosis ei benevisis in præfatis locis tantùm.

Quod Sacræ Congregationis decretum per eumdem R. P. D. Secretarium Sanctissimo Domino nostro Benedicto, Divina Providentia PP. XIV. relatum in Audientia habita die 13. ejusdem mensis, Sanctitas Sua benignè confirmando annuit pro gratia juxta petita quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum Romæ die 21. Decembris, anno, quo suprà.

S. Card. Valenti Præfectus.

Exemplar Auth. in Archivo Provinciæ.

PROVINCIA INSULENSIS.

BELLI æquè, ac pacis, pediſſequo tractatu ſtabilitæ is eſt plerumque effectus & exitus, ut Ditiones in partes ſcindant, &, quæ prius juri unius Principis obſequebantur, novi dominii conſortium ſuſcipiant; ex quo ſicut Religioſas Domos diſtrahi neceſſum eſt, ita & evenit, ut, quæ prius ſub uno eodemque capite habitârunt in unum, compage Ditionis laxatâ vel diviſâ, ſuperioritati novæ ſubdantur, & prærogativâ Provinciæ novæ aliquando decorentur. Belgium ſeu Flandria, quæ olim ſub unius Principis jure Civitates viginti octo, Oppida 1524., Abbatias 48. &c. Vice-Comitatus quinque, Principatus tres, Portus maritimos quatuor, Præfecturas plurimas complexa, felicis telluris deliciis gaudebat, bellorum motibus, & pactis pacis ita tandem agitata eſt, ut faſcibus unitatis ſolutis, illius ſtatus facti fuerint ſub Principum diverſorum tributo. Inſignis portio ſicut fuit armis, & pace à Rege Chriſtianiſſimo conquiſita, ita & ſub illius manſit jure. Suaſit & voluit inde politica ratio, ut & Conventus noſtri à priore obedientia eximerentur, & uniti Inſulenſi, in Cuſtodiam primò, & dein in Provinciam formarentur ſeparatam. Rejicit (uti infrà fuſiùs dicetur) ſua incunabula ad annum milleſimum quingenteſimum octuageſimum quintum, quo primus in Flandria & Belgio Conventus Antuerpiæ fuit conſtructus, & ab illo tempore fidam tenacemque antiquorum Ordinis uſuum ſe ſe exhibuit cuſtodem, novitatiſque inimica rigidiorem ubique ſervavit paupertatem. Coluit ſtudia doctrinæ ſemper attentiùs, & perennavit hujus monimenta *in floribus Theologicis* Fr. Eligii à Baſſæo, Inſulenſis Ditionis municipio, *in aurifodina* Fr. Roberti Cameracenſis, & *in ſpeculo abominationum* Fr. Ludovici Dunkerkani &c. ejuſdemque præcones pluries habuit Curias Epiſcopales. Tempore, quo infectus aër urbes & pagos depaſcebatur, intrepidum ſemper proximi juvandi monſtravit Zelum: parentatur adhuc piâ memoriâ quindecim Fratribus, qui contractâ in obſequio lue in Duacenſi Conventûs cœmeterio quieſcunt: Fr. Epiphanii Inſulenſis charitatem in ſimili caſu Ariæ, & Condati exercitam, ipſum Cœlum commendâſſe videtur, dum corpus illius in ſæculari cœmeterio conditum, à putredine intactum ſervavit: Tranſiit de vitæ ſuæ aſceſi ad parem charitatis arenam Fr. Ambroſius à Cyſonio, prius inclytæ Canoniæ ibi Canonicus, & in Civitate Inſulenſi peſte correptus, ſtadium

Ca-

Capucinæ vitæ & virtutis complevit. Dum & anno 1723. species pestis, *Suatte* vernaculè dicta, totam regionem, & anno 1740. præcipuè districtum Valencenensem tabes corripuit, Fratres communi zelo se afflictorum saluti consecrârunt. Ad infelicia tempora otiosum hunc non asservant, sed tempore quocunque, Majorum suorum exempla sectantes, animas quærunt, & institutâ communione Generali menstruâ, aliisque publicæ pietatis exercitiis, plurimas Christo lucrifaciunt.

Inter tribulos & spinas, quas hæresis amplè ibi radicavit, desudantes, gloriosos colligunt fructus: sunt loca, quæ, dum in primo Fratrum nostrorum accessu hæresi corrupta languerunt, horum operâ ita in virore veræ fidei firmata jam florent, ut vix hæreticus ibi jam reperiatur.

Tonant & continuo fructu contra vitia in pulpitis, & juxta visionem Esdræ *emittunt de ore suo sicut flatum ignis, & de labiis suis spiritum flammæ, & de lingua sua scintillas*, quibus indurata corda eliquant ad pœnitentiæ aquas, & tepescentia excitant ad virtutis fervorem; hinc & cathedras nobiliores, non solùm tempore quadragesimali, sed & ordinarias Dominicis diebus regulatim & passim conscendunt.

Cultum B. V. *Auxiliatricis*, institutâ Confraternitate, Monachii in Bavaria à nostratibus primò erecta, mirè propagant, & intra quinquennium ultra triginta mille Confratres ei inscriptos exhibent. Sinunt & parvulos ad se venire, eosque in Civitate Dunkerkana, Armentariensi, Orchiacensi &c. primis Christianæ vitæ regulis imbuunt. Turmam Juvenum, quæ sub Sancti Patris Francisci vexillo militare volebat, & ob copiam Alumnorum recipi non valebat, Fr. Angelus Nivellensis congregavit in unum Cœtum, seu perpetuam Confraternitatem, sub regula partim ex nostra, partim ex nostris Constitutionibus conflata, & sub nomine Bonorum Filiorum, seu gallicè *Bons-Fieux*, seu *Bons-Fils* ab Episcopis approbatam, quæ Armamentariæ primùm stabilita, & postmodum ad Civitatem Insulensem, Venantiopolim &c. extensa, pueros rudes instruit, mente captos custodit, insolentes coërcet, variisque charitatis & virtutis exercitiis, quæ Historia Ordinum Monasticorum gallicè conscripta tom.7. fol. mihi 327. describit, solerter incumbit.

Labori Provinciæ jungitur meritò pietas à suis asseclis culta. Fervuit hæc ita in Fr. Bonaventura Bethunensi, ut in exstases raptus non semel fuerit visus. Jacuit & ad triginta annos corpus ejus sub terra, quin tamen putredinem, aut corruptionem (capite excepto) contraxerit, imò ita flexibile repertum, ut pietatem Viri, prodigio probatam omnes assererent.

Hac nostra ætate Fr. Bonaventura, à Parentibus Bellemontanus, & à partu & Baptismo Tornacensis, innocentis pœnitentiæ rigorem cum vitæ asceticæ spiritu mirè commiscuit. Latêre tamen penitus non potuit; cum enim scientia Sanctorum polleret, non solùm ab Archiepiscopo, & Duce Cameracensi, Francisco de Fenelon, litterati sæculi splendore &c. Episcopo Attrebatensi, & doctæ notæ Viris, sed etiam à trivio perplexi populi ad consilia vocabatur. Tota quasi Civitas post eum abiit, & pro confessione accessit, omnibus indiscriminatim paratum. *Sicut in igne probatur aurum*, ita & Bonaventura agitatus est *in camino humiliationis*: Vi brachii sæcularis è Conventu ejicitur, & in opprobrio gaudet: munus Provincialatûs ex erronea hypothesi decurtatur, & silet: postponitur in electione discretali Religioso juveni, & gloriatur: virtutem autem casibus adversis nunquam fractam respexit Deus, et signis illustravit: masculum partum prædixit, sanitatem pluribus obtinuit, et pluribus annis post quietem, quam anno 1711. in Conventu Valence-

nensi captavit, in virenti adhuc lauto, et palmis, quibus cadaver erat otnatum, gloriosus comparuit.

Fr. Eugenius, in Hannonia licèt natus, Insulensis tamen dictus, illustre Familiæ Thienææ, seu Comitum de Los getmen, ut Christum lucrifaceret, omnia ut stercora arbitratus est. Primogenituræ jus strenuè neglexit, et cum paupertate Religiosa commutavit. Ita in sensu suo viluit, ut, quidquid gloriam vanitatis oleret, quasi impatiens nausearet. Ipsos quoque sermones, qui de illius agnatione cum Comitibus de la Moterie, de Launoy, de Romberg, et de Lens, nec non cum Marchionibus de Berke, ac Principibus de Croy etc. agebant, apertè fastidivit: nec laudate, nec laudari voluit, cum omnia in eo digna essent præconiis, dispendiumque vel periculum virtutis ratus ab homine esse laudatum. Glotificavit autem suum servum Deus, humilia sempet respiciens, et gratiis ad ejus orationem variè concessis, memoriam illius teddidit celebrem. Tantæ erat austetitatis, ut nec carnes, nec pisces, nec ova manducatet, et vinum biberet nunquam: à tetrenis avulsus, in oratione coram Sanctissimo Sacramento entheus sæpius mansit. *Spiritu magno* cum Ezechia *vidit ultima* anno 1716. in Utbe Insulensi, vitamque ibi finivit miseram, ut frueretur feliciſſima. Expositi Cadavetis partes, et vestes populus ne distraheret, Satellitium armatum ptæcavere debuit.

Hæc Zelo sociata virtus non solùm Nobiles Provinciæ Juvenes ædificavit, sed et consilium imitationis et Habitûs in iisdem accendit: ex multis Ducibus, Comitibus, Baronibus etc. sufficiat hic memorasse Fratrem Maximilianum de Recourt, ex illustrissimorum Dominotum de Liques, de Lens in Arthesia, primitus ex Ducibus Bullionii ortorum prosapia: Fr. Philippum Emanuelem d'Isenghien, ex nobilissima de Valrain de Gand, Principum de Masmines, et d'Isenghien Familia: Fr. Catolum de Andelot, ex hujus nominis Vice-Comitibus natum etc.

Colitur in Dunketkana hujus Provinciæ Ecclesia plurimo populi accessu Imago B. V. Mariæ, quam Capitaneus Navalis Georgius Cools spumantis Maris undis supetnatantem invênit, et in nova Fratrum Ecclesia collocavit. Est et dignum antiquitatis memoriâ id, quod in fabrica Conventûs Mervillensis contigit, et operariorum turba stupuit, dum plura cadavera incorrupta, et contecta Habitu Ordinis S. Benedicti coloris cineticii teperta conspexit.

Nullibi sanctiùs claret Capucinarum nomen, et nullibi major reperitur Monasteriotum illarum numerus, quàm in hac Ptovincia: Sacræ hujus Coloniæ incrementum Fr. Augustino Bethunensi meritò adscribo, cum in opere fundationis Venerabilem Sororem Franciscam Burburgensem ditexerit. Dijudicabit ipsemet Lector de austera harum vivendi ratione, si infrà leget Constitutiones illarum, Apostolica approbatione roboratas, et ex nostris ut plurimùm extractas.

Componitur Provincia

Ex Conventibus Fratrum	XIX.
Ex Monasteriis Monialium	VII.

FF. Cle-

FF. Clementi de Ligny, Ivoni Insulensi, ac Leonardo Laico Sepulchrum Domini, aliaque Loca Sancta transmarina visitandi facultatem largitur.

Dilectis Filiis Clementi de Ligny, ac Ivoni Insulensi Verbi Dei Prædicatori, nec non Leonardo Laico, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Professoribus.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecistis, quod Vos pia devotione ducti Sepulchrum Dominicum, & alia Sancta transmarina loca visitare plurimùm desideratis, si ad id Vobis nostra, & Apostolicæ Sedis licentia suffragetur, & facultas; ideo Nobis humiliter supplicari fecistis, ut pro vestro desiderio in præmissis annuere, & aliàs desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Vos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & vestrûm quemlibet à quibusvis excommunicationis &c. censentes, supplicationibus vestro nomini Nobis humiliter porrectis inclinati, Vobis, ut de Superiorum vestrorum licentia Sepulchrum Dominicum, aliaque Sancta transmarina loca hujusmodi visitare, & ibi, quamdiu volueritis, commorari, & degere, & ad hunc effectum tantum pecuniarum, aliaque necessaria Vobiscum habere, & deferre liberè, & licitè, absque alicujus pœnæ, vel censuræ Ecclesiasticæ incursu possitis, & valeatis, dummodo tamen prohibita ad partes Infidelium deferatis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium licentiam, & facultatem impertimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis prohibitionibus desuper quomodolibet factis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Augusti MDCXXIV. Pontificatûs nostri anno primo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni præd. fol. 487.

Monasteria Monialium Tertii Ordinis Capucinarum primum in Diœcesi S. Audomari, & postmodum per alias Diœceses erecta gubernio, & jurisdictioni Episcopali subjicit, & Nuntium Apostolicum eorum Protectorem, & Conservatorem constituit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX debito Pastoralis officii nostri, quo divina disponente clementia universalis Ecclesiæ regimini præsidemus, ad ea sedulò intendimus, per quæ sanctimoniales, quæ relictis mundi illecebris Divini Nominis obsequiis se mancipârunt, prosperè dirigantur, & gubernentur, ac felicioribus in dies proficiant incrementis. Hinc est, quod nos prospero felicique Monasteriorum Monialium Capucinarum, seu Pœnitentium nuncupatarum Tertii Ordinis Sancti Francisci, tum per bo: me: Jacobum Blazen, olim Episcopum Audomarensem in sua Diœcesi primum, tum ab aliis Episcopis postea per diversas Diœceses erectorum, quàm inposterùm servatis servandis erigendorum statui, ac regimini, & gubernio, quantùm cum Domino possumus, consulere volentes supplicationibus Venerabilis Fratris, Pauli, Episcopi Attrebatensis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnia & singula Monasteria prædicta superioritati, jurisdictioni, correctioni, curæ, & gubernio in spiritualibus, & temporalibus Ordinariorum locorum dumtaxat, non autem Regularium Ordinum Superiorum, absque expressa Sedis Apostolicæ licentia, subsint, & subesse debeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium volumus, & decernimus; nec non eisdem Monasteriis, illorumque pro tempore existentibus Superioribus, nuncupatis Monialibus, personis, rebus, & bonis quibuscumque, nec non Confessariis, & Capellanis omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, gratias, indulgentias, & indulta, quæ aliis dicti Ordinis Monasteriis, Monialium, illarumque Superioribus Matribus, Monialibus, Personis, rebus, & bonis hactenus quomodolibet concessa sunt, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, Sacris-ve Canonibus, & Concilii Tridentini decretis,

tis, aut Constitutionibus Apostolicis contraria existant, & concedentur in futurum, auctoritate, & tenore prædictis communicamus.

Præterea modernum, & pro tempore existentem Nostrum, & Apostolicæ Sedis Nuncium in Provinciis, ubi dicta Monasteria sita sunt, vel erunt, commorantem, in eorumdem Monasteriorum, illorumque rerum, & bonorum Conservatorem, & Vice-Protectorem cum auctoritate, facultatibus, honoribus, & oneribus, similibus Conservatoribus, & Vice-Protectoribus de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet competentibus, auctoritate, & tenore similibus constituimus, & deputamus. Decernentes præsentes litteras, & in eis contenta semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eisdem Monasteriis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque &c. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCXXIX. Pontificatûs nostri Anno septimo.

Autogr. in Arch. Secret. Brevium Apostol. Reg. mensis & anni præd. fol.417.

Decretum Sacræ Congregationis negotiis Regularium præpositæ de validitate Professionum Monialium Capucinarum prædictarum emanatum confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Paulus, Episcopus Attrebatensis, quod super infrascriptu negotio à Nobis ad Venerabiles Fratres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales negotiis Regularium præpositos rejecto, emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet: *Beatissime Pater, Paulus Baudot, Episcopus Attrebatensis, prostratus ad pedes Sanctitatis Vestræ humillimè exponit, quomodo Jacobus Blakaus bonæ memoriæ, & Ecclesiæ Audomarensis olim Episcopus in Diœcesin suam Institutum Monialium Capucinarum, seu Pœnitentium à plurimis jam annis introduxit, quibus tertiam Regulam Sancti Francisci tradidit, & nonnullas Constitutiones particulares præscripsit. Ut verò hoc Institutum reformatissimum foret, noluit præfatus Episcopus aliarum ex Tertio Ordine in illis Partibus Monialium operâ, & interventu uti, sed Viduam quamdam ex Oppido Burburgensi vocavit dicti Ordinis amplexandi cupidam, in eumque finem se suaque omnia offerentem, eam priùs in Canonicâ Clausurâ per aliquod tempus, eam, aliasque nonnullas Virgines inclusisset, & deinde ad Habitum Regularem publicè admisisset, tandem etiam post annum Probationis severiùs peractum, quàm si Moniales veteranæ Educatrices accersitæ fuissent, ad Professionem trium Votorum substantialium, nec non perpetuæ Clausuræ admisit; Quo etiam tempore ipsa Vidua Mater Ancilla constituta (sic enim hujus Congregationis Superiores vocantur) immediatè aliarum Vota ex præscripto Concilii Tridentini excepit: Et quia dicti Instituti Moniales ob bonum Sanctimoniæ odorem ab Episcopis & Principibus expetitæ, per alias etiam Diœceses propagatæ sunt, nonnulli tamen earum Professiones in dubium revocant; tum, quia ab initio nullæ Moniales veteranæ ad illas recipiendas, & instituendas accersitæ sunt, tum, quia primi Monasterii Burburgensis Mater Ancilla, Vidua fuit, quæ etiam aliis in locis idem postea officium gessit, hodieque gerit; de quo tamen Viduitatis impedimento in illis Partibus communis hactenus error exstitit, & Vidua prædicta Soror Francisca ab Audomaro nominata, communiter pro legitimâ Superiorissâ, seu Matre Ancilla habita fuit. Quapropter, ut scandala vitentur, & animorum tranquillitati consulatur, supradictus Episcopus Attrebatensis humillimè rogat Sanctitatem Vestram, ut dignetur declarare dictarum Monialium Professiones validas esse, præsertim cum in illis hactenus vigeat maxima disciplina, & vitæ austeritas, & deinceps, ut speratur, vigebit ad Ecclesiæ ædificationem, & ad summum solatium Sanctitatis Vestræ. Quam Deus &c. = Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita censuit, hujusmodi Professiones, secundùm ea, quæ proponuntur, esse validas. Romæ 22. Junii 1629.*

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Paulus Episcopus Decretum prædictum, pro illius validitate, & subsisten-

sistentiâ firmioribus Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summoperè desideret; Nos Pauli Episcopi præfati supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnibus, & singulis tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud, ac præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, & in universalibus Provincialibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, &, quatenus opus sit, Ordinis præfati, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xxv. Maji MDCXXX. Pontificatûs nostri anno septimo.

Autograph. in Archi. Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædict. fol.41.

N O T A.

FRancifcam in præpofito Apoftolico Brevi memoratam mundo dedit quartus Januarii dies anni millefimi quingentefimi octogefimi primi, videturque, quod ipfe ortûs locus futuræ fanctimoniæ prædixerit gloriam; cum in Civitate, quæ à S. Audomaro nomen accepit, fuerit nata, à Patre quidem Petro Taffin, Domino de Hocquet &c. Viro, cujus fidem Philippus II. Hifpaniarum Rex litteris commendavit, & Matre, Margarita Papin, nobilis & antiquæ in dicta Civitate profapiæ Muliere. Adjecit divina Providentia omini ortûs decus nominis Francifcæ in Baptifmo collati, quo jam tunc Francifcam non folùm Francifci Sancti & Seraphici imitatricem, fed & novæ Francifcanæ Prolis Matrem fore præfagiiffe videtur. Decorem dotefque corporis fuperavit longè fpiritus mentis, cujus ab infantia præclara dedit fpecimina, & quem maturæ femper virtutis exercitiis firmavit. Vidit in Francifcæ facie, quod intus latuit, pietatis femen, Epifcopus Nivarnenfis, dum Sacramentum Confirmationis ei conferens, præfago inftinctu illam ita allocutus eft: *Filia mea, det tibi Deus gratiam benè vivendi &c.* Vivam femper tenuit Epifcopalis precationis memoriam, ficut & devotæ cujufdam Matronæ monitum, quo, ut juxta Puellarum morem durante Miffæ Sacrificio lumen, ftatum divinæ voluntati conformem feligendi à Deo peteret, eam incitavit. Progredientem in virtute & ætate duodecim annorum Parentes in celebri Monafterio Monialium, Ordinis S. Benedicti, & Civitatis Burburgenfis Penfionariam collocàrunt, in quo Deus in corde ejus rigidioris paupertatis amorem ita excitavit, ut votum inter Clariffas fe divino obfequio mancipandi vix non emitteret. Refervavit autem Deus hujus fervoris effectum ad aliud tempus, dum interim Francifca in dicto Monafterio, ceu veræ virtutis fchola, folidioris devotionis collegit charifmata. Revocata poft duos annos ad paternas ædes gloriofa horum dedit exempla, facramenta pœnitentiæ & Euchariftiæ frequentans, Ecclefias, præfertim illam B. V. Mariæ Miraculorum in platea majore Civitatis fitam vifitans, & exemplo congeniæ modeftiæ Civitatem totam ædificans. Excitavit hic naturæ gratiæque donis mixtus decor in pluribus amorem, quo eam fibi in Sponfam felegerant. Puellam juvenem jugo Matrimonii fubdi Pater tunc noluit; defunctâ autem ejus Matre, fexdennem Alexandro Maes, juris licentiato, Penfionario Civitatis & Præfecturæ Burburgenfis Confiliario, quem à tempore & mutuo incolatu optimæ indolis Virum noverat, in fidem dedit. Durum quidem à Patre feparari, Francifcæ vifum fuit, facri tamen ligaminis debitum nofcens, fpiritu magno Burburgum ad Sponfi ædes fe contulit, eafque eò hilarior incoluit, eum in iis virtutem inquilinam, & hac veluti pretiofo ornatu Sponfi Parentes amictos invenerit. Benedixit Deus connubio timentium eum duplicis Filiæ partu, & amorem, qui moras in domo fecit jucundas, & inhabitantium corda indiffolubili nodo in unum connexuit, variæ felicitatis acceffu adauxit. Illum tamen Francifcæ ut fibi acquireret integrum, rapuit è vivis Socerum, cum quo in librorum fpiritualium lectione jucundari confuevarat. Afflixit quidem jactura Nurum, fecit autem amor in Deum ex ea lucrum, cum Francifca liberiore jam ufu tempus & dictæ lectioni, & virtutis exercitio impendere poffet. Mirè cor ejus incendit liber de divino amore, quem de Seraphico Bonaventura compofitum à noftris acceperat Fratribus. Quantumque enim hi tunc Burburgi domicilium non haberent, cum tamen id crebrius accedere deberent, ad fpiritualia obfequia tum à celebri Monialium Ordinis S. Benedicti Monafterio, tum à DD. Parochis vocati, in domo Francifcæ eos hofpitari confuetum erat, communi, teneroque affectu, quo Familia tota Ordinem noftrum complectebatur, & quo Ordini Filium natu minorem, inter noftrates Burburgenfium primum dederat, aliud diverticulum illis non permittente. Opportuna fuit Francifcæ hæc occafio cum iis de ftatûs conjugalis perfectione colloquendi, ficut & Fratribus optata fors jaciendi femen in terram, quam ad producendos fructus honoris & virtutis optimè difpofitam cernebant. Audiens femel delicias orationis mentalis à Capucino in Concione ad Moniales Ordinis S. Benedicti de pulpito extolli, ita eam facræ hujus artis cupido inceffit, ut ab eo defuper inftrui enixiùs rogavit. Annuit Pater, & ore & fcripto eam reliquit inftructam. Gavifa de forte exercere cœpit, quod didicit, & viæ fpiritualis illicia eâ menfurâ guftavit, ut mundus plenè infipere cœperit, & fe totam Deo confecrare refolverit. Mutuo confilio arbiter ejus confcientiæ, & Capucini propofitum approbârunt, illudque Conjugi aperiri fuaferunt. Hinc Francifca librum de Sanctis, qui divino inftinctu Hymenæum ligameo folverunt, mutuo confenfu Deo foli fe devoventes, agentem, fupra menfam apertum reliquit, quatenus Alexan-

der

det in cubilis ingressu, notatos ibi articulos videret & legeret. Hoc & factum esse Francisca sicut non dubitavit, ita & postea liberè desiderium, se corpore & spiritu in Religiosa domo Deo consecrandi ei patefecit, consensumque voce singultibus intermixta poposcit. Stupuit diutius Sponsus,& dum,quid replicaret, morosè hæsit, verba repulsæ amor iratus tandem expressit. Animum Mariti ulteriùs non turbatura, patiens quievit, semper tamen propositum ardentioris orationis spiritu fovit, & quotiescumque Alexandrum dociliorem credidit, instantias repetiit. Effecit & semel, quæ Marito visa fuit, importunitas, ut hic votum castitatis ad dies vitæ servandum præsente Episcopo emittere promiserit, si hoc petitioni illius sufficeret, cum officia, quæ gereret, & cura filiarum, quæ Patri ex naturæ & rationis dictamine incumberet, Sacerdotium aut Religionis ingressum dissuaderent. Læta hæc suis retulit Directoribus, qui rei exin consultum non esse, reposuère, eamque, ut se divinæ Providentiæ consilio conformaret, monuère. Acquievit monito, ita tamen, ut media religiosæ vitæ sibi non defutura, interna spe semper crediderit. Pertæsa semel moræ, quæ incensa desideria impedivit, votum Religiosę vitæ die S. Andreæ Apostolo sacrâ, cum conditione, si vitam Conjugis excederet, emisit. Interim, ut Deo majore, quâ posset, perfectione serviret, & religiosæ vitæ munia honorabilis connubii parergis sociaret, peculiariore zelo & spiritu orationi mentali, & mortificationi se impendit: illi, ut rore gratiæ & benedictionis abundantiùs irrigaretur, huic, ut in se succideret passionum prædominium: illi, ut cor ad suaves divini amoris prægustus recipiendos disponeret, hanc, ut corpus in vas mundum, animamque ad sequelam vitæ Jesu Christi crucifixi aptaret: illi adjunxit frequentioris confessionis, ac communionis quotidianæ devotionem, impugnatam quidem à rudi populo, probatam autem à Viris doctrinæ, & Episcopi Audomarensis, tunc Blasii Blazæi, authoritate: mortificatione denique quærebat sequi Sponsum sanguinum, & se Crucis & passionis ejus participem reddere; hinc sub veste vanitatis gessit cilicium, corpus domuit quotidianis flagris: jejunium fuit ei cibus, &, quantumvis delicati corporis complexio aliquando moderamen rigoris suaderet, fortior tamen spiritus hunc continuari impulit, imò absentia Mariti duplicavit. Convivas si hic ad ædes duxit, benigno hos respexit oculo, & mensæ assidens ficto appetitu jejunii morem occuluit.

Duriùs dum & Maritus ob colericam naturam, & sinistros casus illam respexit, modesto silentio excessum zeli confudit, jugumque Matrimonii ea patientia portavit, quin apud amicas vel verbo desuper quereretur: clarum desuper testimonium reliquit R. P. Theodorus Rosuer Societatis Jesu in litterarum post mortem Franciscæ, ad ejus Filiam natu majorem, Sororem Agnetem datarum articulo sequenti: *Quantùm ad vestram bina vice Matrem, Sororem Franciscam, per plures annos animam illius direxi, agnovique in ea solidam virtutem orationis & mortificationis ea cum patientia, quam satis mirari non potui: tota Civitas Burburgensis & ego tenebamus illam Sanctam, videntes tam patienter tum tædiosos aliquando Mariti humores, tum onera Matrimonio connexa ab ea supportari: opera devotionis & mortificationis faciebat nunquam, quin prævie mihi ea communicaret; sæpius quoque, an verè esset resignata; aut virtus ejus solida, & non aliud pluris quàm obedientiam æstimaret, probavi, & semper illam eousque obedientem reperi, ut plus ab ea desiderare non potuerim. Gubernium Domûs & Filiarum examinavi, & ab ipso Domino Patre vestro indagavi, an in aliqua re, ad quam aliàs proba Materfamilias tenetur, deficeret, & semper nullatenus respondit: cilicia, disciplinæ, & jejunia fuerunt continua, nec de aliorum loquebatur defectibus, & loquentes audiens, vel excusavit, vel discursum interrupit, aut talem sibi displicere monstravit. Alias particularitates elapsum 35. annorum spatium, & memoria senis 72. annorum addere non sinunt, & compellunt hasce finire &c.* Firmat hanc Franciscæ erga Maritum submissionem actus publicus præsente Notario factus, quo Soror Francisca à S. Alexio, Monialis Monasterii S. Audomari, quæ per quinque annos illius cubiculariam egit, hæc inter alia deposuit: *ipsa in omnibus, & per omnia promptam se exhibuit ad jussa Mariti executioni danda, ita, ut nunquam contradiceret, & semper eâ obediret lætitiâ, ac si vox ejus, vox esset Dei. Dum accidit, vestitam illam non fuisse modo, quem voluit Maritus, ad primum verbum se spoliavit, & aliis, quibus placeret, vestibus se induit, fuitque hoc factum eâ lenitate & humilitate, quæ me in admirationem rapuit.*

In educatione & cura Filiarum piæ prudentiæ adhibuit regulas: vix eas sibi & mundo peperit, cœlo restituit, & Dei consecravit cultui: ætate proficientes ad celebre B. V. Mariæ de Boulizelle Sanctuarium, S. Audomari Civitati vicinum conduxit, ibique clientelæ Mariæ commisit: innocentiam in iis ut servaret, timorem Domini instillavit; & à juventute curvavit cervices earum, ne ad malum inclinarentur, vel indurarentur: Usus Sacramentorum, Ecclesiarum accessus, & alia quæque Christianæ pietatis exercitia fuerunt tum maternæ vigilantiæ stimulus, tum bonæ Filiarum indolis voluptas. Quæ, ut Filia natu major liberiùs, & frequentiùs ageret, exacto 13. ætatis anno, vitam Monasticam in Monasterio Ordinis S. Benedicti, & Civitatis Duacensis amplecti statuit. Parentes quidem morem gesserunt, eam Pensionariam usque ad ætatem congruam in illo collocando, aliter autem disposuit Deus, dum graviora morbo illam afflixit, & reducem in ædibus paternis ad suæ Providentiæ finem asservari voluit.

Amor, qui in Francisca Filias per vias rectas deduxit, fuit & ille ipse, qui & Domesticorum mores regulavit: Vitium inter hos noluit, &, quos infectos novit, extemplo de Domo dimisit, ne horum labe & macula aliorum inficeretur innocentia. Discreto labore illos æquè exercuit, ac verbo & exemplo in virtute erudivit. Tam altas hæc in tribus Ancillis jecit radices, ut eam una inter Sorores Franciscanas Burburgi, altera in Monasterio S. Catharinæ Civitatis S. Audomari, & tertia inter Moniales Brugenses Ordinis S. Dominici arctè custoditam ad uberes pietatis fructus maturârint.

De domesticis laribus, virtus Franciscæ penetravit in publicum, & processit sicut Sol; nam sicut hic Planetarum Princeps lucis majestate omnes replet, & beneficium suæ naturæ in quoslibet dispergit angulos, ita & virtus Franciscæ non solùm Civitatem Burburgensem lucis suæ candore recreavit, sed etiam in totam viciniam suæ pietatis splendorem extendit. Suavi quoque violentiâ ad se omnes attraxit, ac in sui veneratione suspendit, cum comis esset erga omnes, humilis ubique, verborum semper parca, & in iis ita circumspecta, ut lingua auderet nihil, quod non limâsset meditatio. Nihil unquam egit, quod non probâsset ratio, nihil suasit, quod non esset conditum spiritu, adeo, ut qui Franciscam videret, aut seniret, in ea raræ virtutis ideam miraretur. Hanc ut sensim ad Zenith deduceret, Deus ei nostrum Fr. Augustinum Bethunensem Provincialem, quem ob raram virtutem, & spiritualis vitæ scientiam Fratres *gaudium suum* nuncupare solebant, Ducem destinavit. Famâ hujus Viri excita socialem cum eo quæsivit amicitiam, eum-

que

que Conventiis S. Audomati Guerdianum tunc agentem, ut animæ suæ directionem in sa susciperet' rogavit; morem, quo aliàs ille hujusmodi curas rejecit, interno instinctu mutavit, & Franciscæ officium petitæ directionis addixit. Læta de annutu illico voto consilia ejus cæcâ obedientiâ sempet exequendi se obstrinxit, Deoque ob Virum, qui secundùm cor ajus esset, repertum grates agit.

Non leve tamen spiritualis conversationis impedimentum ingessit locorum, in quibus Francisca & Augustinus morabantur, distantia; consuluit autem & huic cælum casu, quo Monialas Burburgi Fr. Augustinum suum decrevère Concionatorem. Inde sicut in Ædibus Franciscæ domicilium figere eum ex more oportuit, ita non solùm ex contubernio ejus per tres subsequos annos, Maritus se immutavit in alium Virum, & excluso conversationum dispendio, saluti animæ attentiùs incubuit, sed & Francisca, secrata vitæ spiritalis, abundatiora solatio ab Augustino excepit. Semel, dum huic desiderium religiosæ vitæ, & votum desuper emissum patafecit, illam, ut in eo persevaraat, & in quieta divini consilii effectum expectet, hic admonuit. Aliâ vice dum Gravelingæ cum Marito nuptiis adessat, eam inquietus solitudinis & orationis amor, ad Ecclesiam Clarissarum abduxit; cumque oratio lenem induxisset somnum, excitata in hæc verba prorupit: *ô Deus, ô mi Jesu, ubi potera reperire banc sanctam paupertatem, quam anima mea concupiscit?* & internam vocem audivit respondentem, *ubi melius, quàm in S. Francisci Ordine?* Dum somni hujus mysterium, & vitæ religiosæ anhelitus Directori retulit, opus cæli id esse intulit, nullo amplius obice impediendum. Eapropter & jam prævië de Monasterio, in quo eam collocaret, deliberavit: cumque in Belgio Capucinas non reperiri, & à Parisiensibus extraneas non admitti resciceret, propriam Domum, secutâ semel Mariti morte, in Monasterium convertendam assa, Franciscæ proposuit, adjectis conditionibus, primâ quidem; ut hoc redditus retinerar, cum temporum ratio Monialium Cœnobium, sine his construi non permitteret, aliâ verò, ut jurisdictioni Episcopi subderetur, cum Capucini ad curam in se suscipiendam induci non possent. Placuit Franciscæ propositio, ita, ut jam de officinarum divisiona cogitarat: afflixit autem operis dilatio, cum corpus extenuari, viresque deficere adverterat. Agitata ita contra spem in spem in Ecclesia Parochiali concionem Pastoris de Cock de divinæ Providentiæ arcanis audiit, & eam sibi consultò habitam rata, pronam ad quemcunque aventum voluntatem renovavit. Tetendit tamen, qui in sua dispositione non fallitur, Deus manum suam, & fortiter egit contra Maritum, ut suaviter Francisca attingerat voti sui finem: morbo percussit Alexandrum, quem ipsa origo indicavit fatalem. Neglectum nihil ast, quod restitutioni salutis prodesse credebatur: Francisca fudit preces, & fundi jussit, partesque Uxoris implevit. Ex Medicorum oraculo de sequela mortis certa, sexum superavit, & fortis funestæ necessitatis nuncium Marito dadit. Turbatus est in sermone Alexander, animatus autem Franciscæ spiritu, viriliter adoravit Decretum cæli, & piâ Sacramentorum receptione, ad luctam ultimæ horæ se præparavit, rerum temporalium dispositione Franciscæ plenè relictâ, & cura Filiarum, præsertim natu minoris, quam à Matre ad tempus relinquendam vates dixerat, commendatâ. Utque fidelis Uxor in luctu sui amoris haberet pignus, à se votum Sacerdotii in casu restitutæ sanitatis recipiendi emissum esse, anuntiavit, quatenus ipsa religiosæ vitæ possat amplecti solatia. Vota, spem, & discursus abrupit tandem cum filo vitæ mors ad 25. Januarii anni 1614. præfinita, Franciscamque per 17. annorum spatium conthorali societate Alaxandro unitam, socio sauciavit ictu. Non potarat non amaras lachrymas ciere ex tenero Franciscæ corde jactura tam gravis; nec quid erat, quo doloris sensum exprimere poterat, & non feceret abundanter. Lenivit acerbum vulnus, tum memoria divinæ voluntatis in Alexandro suo consummatæ, tum virtus amoris divini, qui subito cor Franciscæ integro jure occupavit, & ex Mariti cineribus, cum quibus omnis mundi affectus fuerat sepultus, beatioris vitæ flammas accendit, sacrumque mundanæ vanitatis odium magis quàm unquam excitavit, ita quidem, ut majore vestium luxu igni injecto nonnisi in neglecto, vilique habitu in exequiis compararet. His tandem eo lugubri apparatu, quem Viri conditio requirebat, persolutis, animique libertate ei restitutâ, *Dominus*, juxta sacra verba *Sap. 35.*, *in multitudine disciplinæ separavit eam, & immutavit vias ejus*: nam sicut nupta, ut Viro placeret, quæsivit, ita jam libara, se hostiam Deo placentam per sacra vota exhibere statuit. Vocavit in partem sortis Filiam natu-majorem, à qua desiderium vitæ raligiosæ à tempore, quo in Duacensi Monasterio Monialibus Benedictinis convivebat, constanter foveri noverat, ac perfectiore, quàm aliàs natura præscribit, unione inter se junctæ, Domum in Monasterium convertere cogitârunt. Domum, inquam, de qua Francisca tempore, quo Maritus ante decem annos eam amera voluit, præsaga suasit emptionem cum verbis: *eme illam, eam, quod tempore suo mihi pro Monasterio servire queat, prævideo.* Primum in hac Domo, quod reformari & aptari debuit, fuit Oratorium in loco solitario constructum, in quo ignis sacer, oratione & contemplatione fotus, continuò luxit, & odore suavitatis cælum implevit. Sanctè tamen ut incederent, ordinârunt charitatis & pietatis actus, hosque inter Oratorium & Ecclesiam Parochialem, quam sociatim, & quotidie adire solebant, divisêrunt: nec aliud tempus eas ab invicem segregavit, quàm nox, aut tempus quietis, in rudi lecto, & cubili, in quo nonnisi paupertatis & mortificationis supellex cernebatur, parcè captæ.

Interim, ut & juniori consuleretur Filiæ, blandè eam ad vitæ suæ novæ consortium invitavit: cum tamen tampus & gratia necdum advenisset, assignatâ hæreditatis suæ portione, ei inter socios vivera liberum reliquit, suæ vocationis negotium Spiritui Sancto commendavit, & animata exemplo Matronarum utriusque legis, quæ tempora viduitatis suæ magna operari plerumque consueverant, & inter quas Judith, Debora &c., sicut & Paula, Marcella, Melania &c. dignè recenseri debent, grande Domûs suæ in Monasterium convertendæ opus, expleto post mortem Mariti trium mensium intervallo, aggressa est. Munita dein litteris commendatitiis, & Sacerdotali societate stipata, Audomerum ad Episcopum perrexit, eique suum & Filiæ propositum vitæ ad normam Capucinorum instituendæ, adgeniculata detexit. Spiritum Franciscæ ut penitius exploraret & probarat, varias discursui immiscuit quæstiones; cumqua responsa ad eas adæquata, & tum discretione, tum ratione limata audiret, suæ protectionis gratiam ei adpromisit, &, ut Constitutiones, quas in novo Cœnobio observari vellet, conscriberet, monuit. Ivit, conscripsit, & portavit, quas & Episcopus benignè excepit, ac, ut sensa ejus desuper redux audiret, diem indixit. Hoc illucescente dum sibi

grata & propitia omnia promisit, ex iteratò denegato ad Episcopum accessu, ac suaso Burburgum recessu, Præsulis mentem immutatam haud ægrè conclusit. Obedivit patienter, & in Domino sperans se non confundendam, preces replicavit, ac in spiritu humilitatis ingemuit: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*. Jussa Audomarum redire, & cœpta sub alio prætextu obliquè urgere, utrumque fecit, & Aotistitem denuo tepidum invenit: quin tamen animo caderet, similis rupi maritimæ, quæ, quò fortiùs aquarum fluctibus quatitur, eò firmior resistit. Apparuit tandem radius gratiæ, quæ fuscam hucusque nubem in Episcopio dissipavit; occasione enim, qua illius Director F. Augustious, ad Capitulum iturus, Antistiti valedixit, proprio motu sermonem de Franciscæ proposito incepit, rationesque, quæ obices tollere, & Episcopalem coosensum facilitare deberent, produxit. Huoc & à se dandum, audito prius sui Vicarii Generalis oraculo & arbitrio, coovictus Prælatus adpromisit, & Directorum dimisit.

Instructa de felici hoc successu Fraocisee Audomarum properavit, implorato prius SS. Bertini, & Audomari, & præcipuè B. V. Mariæ patrocinio, auditoque in Sacello Episcopali Missæ sacrificio, ad Præsulem ducta, ab eo suspiratæ fundationis consensum, accedeote tamen & illo Magistratûs Civici, obtinuit, &, ut tertii Ordinis regulam, de pœnitentia nuncupatam amplecteretur, eique Constitutiones vitæ Capucinæ pleniùs conformes adjungeret, fuit suasa. A Domino hoc factum, & esse mirabile in oculis suis, elatâ ad cœlos facie Francisca fassa, haud aliter, ac cervus ad fontes currit aquarum, ita illa Audomarô Burburgum properavit, curatura, quem Episcopus reservaverat, consensum. Præbuit hunc sine mora Magistratus, tum pietate, quam in Franciscæ coluit, tum Ipso Instituto, quod hæc inducere voluit, illarum partium primum, commotus, & per duos Deputatos Reverendissimum Episcopum de eo reddidit certiorem. Aliud inde noo superfuit, quàm ut consilium manuum extenderatur ad opus, Domus formaretur in Monasterium, & in hoc cellæ aptarentur ad Religiosum recessum. His & aptè confectis, Franciscæ die cultui S. Patris Francisci sacrâ, spiritu Domini plena intravit novum tabernaculum, condocens secum Filiam natu majorem, duas Sorores ex Airensi beguinagio, perfectioris vitæ zelo novum Franciscæ Institutum amplexas, quæ conjunctim fuerunt & quatuor illæ columnæ, ac petræ vivæ, super quas in Ecclesia Dei novum spiritualis vitæ ædificium, & feminea Capucioi nominis Congregatio debebat fundari, & quibus successivè aliæ Sorores, & inter has, Filia Franciscæ natu minor adjungebatur.

Gaudium, quo Francisca de Ægypto mundi educta cum genere suo electo in solitudine sua potita est, eousque excessit, ut solùm capiant, qui gustare merentur quàm suavis sit vitæ Monasticæ spiritus; in quo ne fervor principii tepesceret, mutuo se invicem zelo animârunt. Nihil in sacro cœtu fuit auditum, quod non spiraret sanctitatem; nihil visum, quod non saperet mundi contemptum; paupertas arctissima, rigor pœnitentiæ, seu mortificationis continuus, humilitas summa, fuerunt sacræ Domûs ornamenta: amorem inter se conservârunt candore cordis, & illum erga Deum solidarunt semper in illum cogitando, de eo loquendo, & cum eo tractando. Defuit solatio vestis nuptialis, seu Religionis, pro qua sibi, & 3. Sociis danda, Francisca humiliter apud Reverendissimum D. Episcopum institit, atque, ut unam ex Sociis, se ceu indignâ (ut ajebat) rejectâ, in Superiorissam designaret, rogavit. Quod ultimum factum est primò, datâ R. D. Pastori de Cock commissione, schedas ad crates ab omnibus 4. Sororibus colligendi, & eam, quam vota notarent, Superiorissam constituendi. Super Franciscem sors cecidit, cujus electionem dum Episcopus confirmavit, simul & sacro Habitu à dicto D. Pastore eam indui, & ab illa hunc postmodum aliis 3. Sociis conferri ordinavit. Selectus est ad sacram functionem dies honori S. Andreæ Apostoli consecratus, ut, ubi Apostolus Crucis Martyrium finivit, Sacrificium Crucis illa in Habitum ad formam crucis composito inciperet. Factâ proin ad crates dicto die fidei professione, dictoque SS. Missæ officio, Pastor præsentes ad crates Sorores brevi sermone de gratia vocationis admonuit, & Habitûs, cordæ, veli &c. benedictione, cui ad crates satæ Sorores, cum candela ardente in manu intererant, peractâ, Franciscæ tunicâ Ordinis jam indutæ, superiorem Habitum superimposuit, cordâ cinxit, velamen capitis tradidit, nomine Franciscæ relicto, cum illud, ex ipsa Ordinis fundatione, ei proprium judicarat, cognomine autem in id suæ nativitatis converso, ita ut appellaretur Soror Francisca à S. Audomaro. Habitu jam decoris à Deo dilecti induta, accessit Socias, & pari pœnitentiæ sacco contexit, nominando unam Ursulam ab Aira, aliam Claram à S. Audomaro, & Filiam, Agnetem à Burburgo. Ex quo, dum functio cantu hymni Ambrosiani ad crates à D. Pastore fuit finita, inceptus est cantus chori, & officii divini à Sororibus, inceptus ab iis & annus probationis. Non adolescentis virtutis schola, sed consummatæ asceseos palæstra visa hæc fuit, cum perfectiora jam nisu omnes ad aliud noo tenderent, quam ut in iis mundo mortuis, viveret solus Jesus, & hic crucifixus. In pleno tamen dulcedinis gustu, facta est amaritudo, & tentatio externa variè illas torsit; Rigorem tum vestium, tum vitæ dum alii videbant, ceu indiscretum, exoticum, & sexûs conditioni improprium carpebant: alii in virtute vitium, & hypocrisin latère spargebant; alii aliàs meditati & locuti sunt inania. Non aperuêre os suum Sponsæ Christi, nec defecère in increpationibus hominum, scientes, sperantes in Dominum, qui sexui fragili virilem animum pluries confert, confundi non posse. Acerbiùs illas percussit manus Domini, dum infirmitate corripuit, & vario omnes circumdedit dolore. Quæ autem in communione cœlestium donorum fuerunt semper humiles, manserunt & in tentatione fideles, & ex ipso temperandi rigoris consilio, fecerunt illius duplicandi propositum. Francisca enim, ut pressis à SS. Clara, & Coletta vestigiis inhæreret, abstinentiam à carne in sua Congregatione induci voluit. Consensit quidem ad tempus Episcopus, cum autem ex morbis, qui servas Dei longiùs agitârunt, hanc virtutis fervori obstare cognosceret, datam revocavit licentiam.

Vergente tandem ad finem probationis anno, Francisca cum virginea sua societate, ad actum professionis, intensiore virtute se disposuit, & divisâ ad sacros usus possessionis substantiâ, inter amplissimum populi confluxum, voto inter manus Episcopalis Commissarii emisso, se Deo consecravit. Sanctitatem hujus ceremoniæ secuta est postero die consolatio, quâ Filiam quoque natu minorem, cum alia puella, sacro donavit Habitu, & Ignatiam à Burburgo nominavit. Quantùm murmur invidiæ, vel malitiæ venerabilis hujus Instituti interitum quæsivit, tantùm Deus, accenso in tot Filiabus se

Deo

Deo per vota initiandi amore; illius incrementum promovit, ita, ut Domus illarum numero & habitationi non amplius sufficeret, & ideo novum Conventum, cujus prima petra anno 1617. posita fuit, construi necessum fuerit. Gentem tamen ne multiplicaret, & lætitiam dispergeret, eos tantùm in consortium segregavit, quas Reformationis spiritui judicaverat aptiores; Ex quo Dominus benedixit Domui Israel, & sparsâ ubique sacri decoris famâ, consilium Monasteria hujus Instituti excitandi pluribus suggessit. In hujus quidem approbatione, Episcopum juris sui sphæram excessisse, rigidi quidem censores vulgabant, occlusit autem os loquentium D. Petri Sedes, dum acta Episcopi confirmavit. Minabatur & eidem infelicem casum, aut non leve præjudicium mors Episcopi Blazæi; sustulit timorem auspicata successio, in Reverendissimo Paulo Boudat facta, quem non solùm virtutis, sed & affectûs Blazæi hæredem, pusilla Congregatio illico experta est, dum primam hujus Ecclesiam consecravit, Moniales miro dulcedinis spiritu visitavit, ac auctoritatis suæ patrocinium adpromisit. Patefecit hac occasione Francisca Episcopo, Francisci Duranti, Civis Berghensis ad S. Winokum, propositum, in sua patria inceptæ Reformationis contubernium construendi; qui autem novam hanc plantam priùs in sua Diœcesi, quàm extra fœcundari cupiens, Berghenses instantias suspendi, & in sua, seu S. Audomari Civitate, novum Reformationis Domicilium erigi voluit. Displicuit mora Duranto, &, cum ex solo motivo, quod Episcopus Franciscam è Diœcesi recedere nollet, fuisset indicta, divisa est sors, Francisca pro fabrica S. Audomari reservata, & quatuor Sorores, pro illa Berghis incipienda anno 1620. fuerunt dimissæ.

Soffectâ proin Burburgi in sui locum ceu Matre, Sorore Agneta, Filia, valedixit Francisca Sororibus, de illius discessu haud parum turbatis, & operâ R. D. Morleti Archidiaconi, inceptam S. Audomari fabricam, quam Alumnarum copia largiorem, & habitationi quinquaginta Sororum parem voluit, feliciter anno 1624. terminavit. Prius tamen, & jam anno 1622. Monasterium Berghense ad perfectionem jam redactum visitavit, Chorum induxit, & Sorores in primævi spiritûs zelo solidavit. Redux Audomarum, potissimùm in id incubuit, ut Constitutiones, quas variè jam mutari oportuerat, censorio Reverendissimi Episcopi, prædicti D. Archidiaconi Morlati, & nostri P. Augustini Bethunensis examine purgarentur, Sanctæ Sedis approbatione muniendæ. Operi huic intentam, nova fundatio Leodium, & Atram vocavit; neutram accessit, cum eam gubernium Domûs, & juvenescentis gregis custodia Audomaro distrahi non sineret. Ubi dum Serenissima Hispaniarum Infans Isabella Clara Eugenia eam invisit, & tum se, tum magni ponderis negotium, orationi illius commendavit, fuit & erectio Monasterii in Civitate Bruxallensi decreta. Antecessit tamen illam fabrica Insulensis, quam personali Franciscæ consilio regi & perfici, Episcopus, Morlatus, & Augustinus voluêre. Veloci gressu nutum obedientiæ explevit, nec Audomarensis quietis privatione, nec viarum difficultate deterrita. Affatim hanc lenivit tum Morleti, tum Domini Le-Grand Seminarii Audomarensis Præsidis Societas, tum charitas, qua Monasterium Ordinis Cisterciensis *de Beauprez* ad Lysam situm illas excepit, ac aliud ejusdem Ordinis *Marguette* dictum, per octo dies detinuit, de nova, vili, & paupere vivendi ratione, haud parum ædificatum. Cumque Abbatissa ibi, in Francisca, peculiaris erga B. V. Mariam cultûs specimina adverteret, sculptam de Ligno Deiparæ *de Spe* imaginem, parvo tabernaculo contectam, & in novi Insulensis Monasterii choro collocandam, dono dedit. Ductam postmodum ab eadem Abbatissa, & Domina Comitissa d'Isinghien Gubernatrice &c. ad portam Domûs, interinæ habitationi destinatæ, Episcopus Tornacensis sua benedictione excepit, & cantato hymno Ambrosiano, Missâ dictâ, & sermone finito, novellum Franciscæ cœtum, R. D. Ingelbert, Insulensis Ecclesiæ Præpositi, & postea Episcopi Namurcensis tutelæ commendavit. Cogitatum suum ad lapides Francisca non vertit, ædificii spiritualis basi prius consuluit, P. Onesimum Montensem ibi Guardianum requirens, ut paterno consilio, se, & socias suas adjuvaret, spiritualibusque officiis muniret: vero ille affectu, quem Francisca sat celebrare non potuit, id fecit, ac etiam quà Provincialis continuavit. Eo ipso proin anno, videlicet 1630. quo Roma professiones validas declaravit, & Constitutiones approbavit, jacta sunt fundamenta, & tempore, quo ædificium surrexit in altum, incepit & Cortracensis Monasterii fabrica, Domino Wullens Civitatis Pensionario, instantias jam anno 1628. factas repetente. Implicuit quidem hæc Fundatio nonnihil Franciscam, cum & eodem tempore illa Duaci urgeretur, annuit tamen consiliis, quibus uti solebat, mota, & dum Cortracum tres Sorores dimisit, illa Insulensi Monasterio, quod ceu sine dote, sine fixo subsidio, & solùm ære mutuato erectum, *à Divina Providentia* nuncupari voluit, terminato, Duacum cum sex Sororibus secessit, à Domino Sylvio, Sacræ Theologiæ Doctore & Professore, ac Ecclesiæ Collegiatæ ibidem Decano, nomine Episcopi Attrebatensis recepta. Sex annis ibi perstitit, & fabricæ progressum, & disciplinæ regularis decorem curans. Diuturioris absentiæ autem quasi pertæsæ Sorores Audomarenses, illam, termino obedientiæ jam finito, revocari Episcopo tunc Christophoro de France instíterunt: ab libentiùs hic annuit, quò magis & ipsemet illam Audomari necessariam judicavit: Nuntium quoque suæ voluntatis ipse Duaci, quò alia negotia eum vocaverant, Franciscæ dedit, non parum exin turbatæ, cum graves rationes longiorem illius Duaci moram requirere crederet. Modestè & humiliter has & Episcopi, & P. Augustini examini subdidit; cum autem hi Conventum Audomarensem illius operâ verè indigere censerent, regressum mutuo firmârunt consilio. Ad hujus executionem opportuna influxit occasio; cum enim Mater Ancilla Audomari Maria de Beilsthein ob varias infirmitates ab officio eximi rogâsset, & Episcopus alterius etiam de alio Conventu aligendæ copiam dedisset, Sorores Franciscam uno voto in Matrem Ancillam elegarunt. Grata quidem hæc illarum agnovit affectum, horruit tamen ad Monasterii gubernium, quod & Sororum numerus, & rerum penuriâ, non poterat non reddere asperum. Dissuasit & iter tum bellum, quod Ditionem infestaverat, tum contagiosa lues, quæ Audomarum jam invaserat. Sicut autem mora amoris nomini cognata est, & amantis animo exosa, sic amore percita Francisca tempus itineris fixit, & voci Dei, sibi per Superiores nuntiatæ, obediendum esse, etiam cum vitæ periculo, iis, qui illud impedire nitebantur, audacter reposuit; Abiit quoque Duaco 9. Septembris 1636. comitantibus eam Sororum lachrymis, & totius Civitatis planctu. Hilarem quidem Audomari appulsum effecit lætitia, qua Sorores reducem suscepêre Matrem: mala autem prævisa incolatum in pondere amaricârunt tum

ftrages, qua peftis plateas Audomari implevit, tum bellum, quod populum ita depaupetavit, ut religiofæ Communitati de fuftentatione vix providari potuiffet, ni S. Aonæ patrocinium, quod enmmuni oratione quolibet die martis invocatum aft, fuppetias tuliffet, Ingravefcebant & calamitates, dum ax ipfo uoius fine, alia fuum naɛtum eft initium; Sopitâ namque pefta, Audomarum arɛtiot cinxit Gallorum 1638. obfidio, & mala, quæ prius divifa per Ditionem vagabantur, jam inter mœnia collecta conclufit. Cefsàrunt dum hæc, & diffapteria, eum febre acuta, ita invaluêre, ut calamitatem priorum annorum duplicaret, &, dum prima tres Sorores rapuit, fecunda alias viginti tres periculo mortis fubjecit. Non potuêre tamen multæ bæ tribulationum aquæ eatinguete, quæ in corde Francifcæ arfit, maternam charitatem; encurrit in obfequia Sororum indefeffa, media adhibuit præfcripta attenta, inopiæ Domûs angufto & bravi cenfu fundatæ confuluit provida, &, ut in medio confufionis ordinem Regularis vitæ fervarat illæfum, allaboravit magnanima. Commifcuit tamen triftibus læta cœlum, & quam eibavit diu abfinthio, fucceffivæ confolationis recreavit cafibus. Non potuit non gloriari In Domino, audiendo magnalia fuæ Reformationis, in Parfona Sereniffimæ Duciffæ Ludovicæ à Lotharingia, Principis de Ligny, d'Amblize, & S. R. Imperii, Naptia Ludovicæ Franciæ & Poloniæ Reginæ, dum rejecta auto, gemmifque gravi chlamyde, fpretoqua Ducalis fortunæ apparatu, rudem Reformationis Hàbitum in novo Duacenfi Mooalletio anno 1638. induit, & titulorum faftu in humile Sororis Claræ Francifcæ à Nancejo nomen converfo, fe cultui Dei, & Francifci, folemni profeffione adftrinxit. Non poterat non exultare in Deo Jefu fuo, dum fui Joftitutâ famam, ad exteras Ditiones diffufam, & à Sororibus, quæ Bonæ, Coloniæ, & Paderbornæ vitam folitariam, & Capucinorum normæ parem ducebant, unionem cum Audomarenfi Congregatione quæfitam effe inaudiit. Cenfuit quidem prius Francifca hanc fuo obice non egere, eum prædictas Sorores à primæva fua vivendi ratinne, non tam facilè receffuras effe timeret, auditâ tamen per R. D. Joannem Ludovicum Schlein promptiffimâ illarum fe fa in omnibus conformandi voluntate, captoque à fuo Directore P. Auguftino confilio, vocavit eas in unitatem fui Virginei cœtûs, iifque (præter cœremoniale) copiam Conftitutionum tranfmifit. Eo fanctitatis fpiritu has Sereniffimus Elector, & Archiepifenpus Colonienfis, Epifcopus Leodienfis &c. Ferdinandus, repleras reperit, ut non folùm illas garmanico idiomate imprimi, fed etiam allud hujus Reformationis Monafterium, in Civitate Sancti Trudonis axtrui juffarit, anno quidem 1641. eo ipfo, quo mortale Francifcæ templum, tum ex ipfa teneriore corporis compaga labile, tum labora & vitæ aufteritate detritum delibari cœpit. Mortem non timuit, quæ amore femper languit, & diffolvi, ac effe cum Chrifto eupivit: fufpexit illam non ceu Judicis ultionem, Patris agnovit gratiam: non horruit æternitatis viam, quæ per vias rectas femper inceffit. Hinc 6. Novembris dicti anni validâ correpta febri, quam in fua origine Medici fatalem judicàrunt, tempus fuæ refolutionis inftare advertens, omnem fuum cogitatum ad cœlos direxit, dum econtra Sorores communi planctu impendentem fibi jacturam timuerunt, & dies Matris prolongari precibus, & pietatis operibus affiduæ implorârunt. Defiderium quoque pauperum exaudivit ex parte Dominus, dum Servam fuam febri poft paucos liberavit dies; timorem tamen non ademit mordex & pertinax dolor, in quem febris fuit foluta, & qui fpinam dorfi violentâ fluxione, & eo arctavit cruciatu, ut huic omnes alios dolores, quos unquam paffa fuiffet, comparari non poffe, ipfa fit fafsa. Nunquam tamen præfentiam fpiritûs, quo Sorotum perfectioni invigilavit, & ancillatum Matris adimplere ftuduit, in ea minuit. Nec Sponfus ita agitatam fine folatio liquit; P. Auguftinum enim, ajus Directorem, Audomarum fe conferre, interno monuit impulfu, cui in adventu Francifcam ftatum animæ confidentet aperuit, plurimùm ex pietatis monitis, fibi ab eo datis confolata. Malo in dies fuccrefcente, duplicârunt Sorores pro vita ejus preces, à quibus tamen ut abftinerant, ex mortis fibi revelatæ motivo monuit, iifque ad lectum vocatis, Sacramentis Ecclefiæ, & Sacro Viatico jam munita, pro charitatis officiis grates egit, nævorum veniam petiit, ad obedientiam Superioribus femper præftandam, ad mutuam unionem inter fe confovendam, & ad pravitatis confilia vitanda, non fine mutuo lachrymarum concurfu incitavit, omnefque materni affectûs benedictione dimifit. Captâ poftea modicâ quiete in verba erupit: *Deus meus in manus tuas commendo fpiritum meum, difpone de me ficut tu vis*: ad quæ deciduus catarrhus vocem abforbuit, omnemque membrorum motum ligavit, ita, ut eam invifenti Epifcopo, à quo benedictionem pro via æternitatis prioribus diebus flagitaverat, colloqui amplius non poffet, & viribus deftituta, ad pectus, odio peccatis magis affuetum, quàm culpæ, actibus contritionis tundendum, & ad amoris ofcula Sponfo fuo libanda, adhuc unicè fana videretur. Fiait tamen tunfioni matam dies 29. Decembris anni 1642. quo ætatis fuæ annorum 62. Sponfo cum ofculis animam placidiffimè reddidit. Jacturam Francifeæ planxerunt amarè orphanæ Reformationis Filiæ, vanuftatem flexibilis cadaveris pro certamine accurrens ftupuit populus; humilem exequiarum apparatum decoravit, cum totius Magiftratûs affiftentia Miffa Pontificia, imaginem defunctæ æri incifam fparfit communis devotio, & virtutem ejus Cœlum donis ad ejus preces collatis, Concionatores fermone, Auctores typo commendârunt, & noftri Ordinis commendabunt Annales, à noftro Fr. Mathia à S. Audomaro extensè jam defcriptam, & à me per tranfennam dumtaxat hic adductam, Sufficiet quoque hæc mea confeffio, cum *fufficiat dignis* Ennodio tefte, *ftricta laudatio*.

Extract. ex vita gallicè impreffa, & variis Manufcr.

Confti-

Constitutiones Monialium prædictarum, à Sac. Congregatione Episc. & Regul. recognitas etc. confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii cura Nobis ex alto commissa postulat, ut ad ea, per quæ piæ mulieres, quæ relictis mundi illecebris Divini Numinis obsequiis se se mancipârunt, feliciter regi, & gubernari valeant, sedulò intendamus, atque his, quæ propterea piè, sanctèque facta fuisse comperimus, ut firma perpetuò subsistant, inviolatèque observentur, Apostolicæ confirmationis robur adjiciamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater, Paulus, Episcopus Attrebatensis, quod pro felici dilectarum in Christo Filiarum, Sororum de pœnitentia Capucinarum nuncupatarum, Tertii Ordinis Sancti Francisci Reformatarum nuncupatarum in Belgio existentium gubernio, prosperaque directione nonnullæ Constitutiones editæ fuerunt, tenoris subsequentis, videlicet: In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Incipiunt Constitutiones Regulares Sororum de pœnitentia Tertii Ordinis Reformati gloriosi Patris Seraphici Sancti Francisci, quæ vulgò Capucinæ nominantur.

PROLOGUS.

Quoniam supremo Patri cœlesti placuit Divinâ suâ gratiâ corda nostra illuminare, & Nos ad professionem Regulæ de pœnitentia, Tertii Ordinis, gloriosi Patris Seraphici Sancti Francisci evocare, quam Sancta Sedes Apostolica per Nicolaum IV. & Leonem X. Supremos Pontifices approbavit, & confirmavit, ut eadem Regula per Nos in pura, & stabiliori sua observantia conservetur, visum est omnibus Sororibus in principio hujus nostræ Reformationis, certa Statuta, & Constitutiones Regulares stabiles, & in perpetuum duraturas ordinare, secundùm quas nostræ Religiosæ, vitam suam instituere tenebuntur, & in sancta morum, & spiritûs uniformitate dirigentur, quæ Constitutiones sunt hæ, quæ sequuntur.

Constitutiones Regulares Sororum de Pœnitentia, Tertii Ordinis Reformati gloriosi Patris Seraphici S. Francisci, quæ vulgò Capucinæ nominantur.

CAP. I.

Summarium tam Regulæ, quàm Constitutionum, qualis earum obligatio, & de obedientia à Sororibus Episcopis Diœcesanis exhibenda.

Ut summariè declaretur status hujus vitæ nostræ pauperis, & pœnitentis, & humilis vocationis religiosæ, ad quem nos Divina bonitas evocare dignata est, sincera libertate omnibus declaramus, supremum professionis nostræ statum esse, & consistere in possibili observantia Evangelii, & sacrorum consiliorum Domini Nostri Jesu Christi, ut vivamus in sancta unione pacis, sub obedientia, in perpetua castitate, & paupertate sine proprio, ita ut nulli in particulari, quacumque ratione, liceat quidquid proprium in hoc mundo possidere, & observemus perpetuam clausuram propter amorem Domini Nostri Jesu Christi, in quibus tribus Votis, & adjuncto de clausura intelligimus, & volumus nos omnes, & singulas formaliter, & expressè obligare, juxta formam, & tenorem professionis nostræ, cum illa sanctissima Vota sint vitæ nostræ Regularis, & Monasticæ bases, & fundamenta.

Sed in omnibus aliis contentis in Regula, præsentibus Constitutionibus ad majorem pacem, & securitatem conscientiarum Sororum, non intelligimus nos alio modo obligatas, quàm sub pœnis, & pœnitentiis corporalibus, & temporalibus, iisque gravissimis, quin etiam sub pœna privationis vocum, officiorum, & superioritatis Religiosæ, secundùm qualitatem delicti, & excessûs contrà commissi, dummodo illæ fuerint à Superioribus injunctæ, nisi aliunde oriatur obligatio sub pœna peccati mortalis, aut venialis Jure Divino, aut humano, ut in ipsa Regula habetur. *Cap. X.*

Insuper promittimus obedientiam perpetuam Sanctissimo Domino Nostro Papæ, & Matri Nostræ Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, & submittimus nos omnes Sorores præsentes, & futuras protectioni, correctioni, & directioni Episcoporum Diœcesanorum eorum locorum, in quibus

bus Conventus nostri erunt, humiliter recipientes eosdem Reverendissimos Dominos Episcopos pro Superioribus, & Correctoribus, ut per eorum charitatem, & vigilantiam, disciplina Regularis conservetur, & progressus faciat, secundùm dispositionem nostræ Regulæ, & præsentium Constitutionum.

CAP. II.

De iis, quæ volent amplecti hanc Religionem; de Conditionibus ad hunc effectum requisitis; & quomodo illæ sint recipiendæ.

Ut hæc nostra pauper Reformatio magis virtute, perfectione, & spiritu in dies augeatur, quàm numero personarum, ordinatur Matri Ancillæ, scilicet Superiorissæ (quæ in signum humilitatis hoc nomen sibi assumit), & quatuor Discretis, ut valde prudentes, discretæ, & attentæ sint in Novitiis ad Religionem recipiendis, & diligenter inquirant de earum indole, ingenio, conditionibus, & qualitatibus, ante receptionem, & expresè habeant conditiones sequentes.

Primùm, sint Catholicæ, ut habetur in Regula; si autem aliquod dubium occurrat, super articulis Fidei, seriò examinentur, & præmoneantur publicam professionem esse faciendam: nec ita sint ignorantes, & malè instructæ, quin ea, quæ omni Christiano ad salutem sunt necessaria, probè calleant, & ea, quæ ad futuram religiosam obligationem spectant, cognoscere possint; diligenter inquiratur de earum voluntate, & desiderio, & quo spiritu ducantur, si non quadam levitate; denique sint probatæ, & electæ.

Nullæ inter nos recipiantur, quæ non sint ex legitimo matrimonio, sed quæ honestis, & probatis parentibus oriundæ sunt, & ipsæ sint bonæ famæ; Infames autem omninò rejiciantur.

Illæ autem, quarum Pater, & Mater ita gravi penuria laborant, ut sine ipsis vivere nequeant, non admittantur, nec eæ, quæ sunt in ære alieno, nisi cum sufficienti cautione, aut nisi eis à suis creditoribus debita remittantur.

Nulla recipiatur, quæ morbo incurabili laborat, cui tempore Novitiatûs diligenter attendatur, quod si talis deprehendatur, propter hanc causam dimittatur.

Cum iis, quæ matrimonio junctæ sunt, sive consummatum, sive non consummatum sit matrimonium, procedatur juxta dispositionem juris communis, & consuetudinis ordinariæ, juri non contrariæ.

Nullæ Puellæ intra Claustra Monasterii in commensales admittantur, & nulla ratione in Sorores laicas, ut foris famulentur, recipiantur, sed quædam personæ sæculares vitæ laudabilis, & boni exempli.

Ad Habitum nullæ admittantur, quæ non habeant septemdecim annos; Quæ verò in Sorores laicas se se offerunt, novemdecim annos habebunt; nullæ autem, quæ quadragesimum annum excedunt, admittantur, nisi magna ab eis speretur ædificatio, & vires habeant sufficientes.

Dum igitur aliqua ad hanc vitam religiosam se se offeret, & omnibus hisce conditionibus sit instructa, Superiorissa omnes Religiosas professas evocabit, quibus in unum congregatis Puellam, quæ se præsentat, proponet, ejus intentionem, qualitates, & conditiones aperiet, ut ab illis cognosci possit, si nihil sit in contrarium, aut quod ejus receptionem impediat; quo præmisso, Mater Ancilla, & quatuor Discretæ, invocatâ prius gratiâ Spiritûs Sancti, & acceptis inter se suffragiis, procedant ad ipsius receptionem, exploratâ prius voluntate ab Episcopo, vel ejus Deputato; Sed, si contingat oriri difficultatem in receptione Puellæ, & Mater Superiorissa, & Sorores Discretæ in unam sententiam non conveniant, tali casu voces dabuntur per secretum scrutinium, fabis albis, & nigris, & si major pars vocum concurrat, dicta Puella annum probationis factura in Ordinem recipietur.

CAP. III.

De ingressu Religiosarum in Monasterium; de probatione Novitiarum; de earum professione, & de Habitu Sororum.

Quoniam supremus status perfectionis, & vitæ Religiosæ res maximi momenti est, ideo non sine magno spiritûs fervore amplecti debet: quare ordinatur, ut congruo temporis spatio illa, quæ majori vocum numero recepta fuit, antequam ad Habitum Religionis admittatur, in Conventu cum Religiosis maneat, ut se ipsam probet, & exerceat, ut meliùs videre, & gustare possit, qualis sit status, & spiritus hujus vitæ Religiosæ, quam amplecti desiderat. Quo tempore etiam se ipsam recolliget, & suam confessionem generalem faciat, prout Capite sequenti declarabitur.

Quibus præmissis, monebitur Reverendissimus Episcopus, ut ratam habeat hanc ad-

admissionem, & aliquem sua auctoritate designet, qui erit ex suo Collegio, vel ex Clero, ut dictam puellam vestiat.

Die vestitionis alicujus Novitiæ, antequam illa Habitum recipiat, ante omnia publicè professionem Fidei, secundùm formam Sacri Concilii Tridentini faciat; tunc invocatâ Spiritûs Sancti gratiâ, & Habitûs benedictione peractâ, per Ordinarium, aut Deputatum, Superiorissa, ubi eam mundanis vestibus exuerit, dabit illi pannos probationis, scilicet duas Tunicas, & unam Cordam, quâ se cingat, cum Velo albo, & hæc omnia conformiter cœremoniali nostro.

Novitia, mutato Habitu, mutabit & nomen, cognomen autem omnino deponet, in signum perfectæ oblivionis hujus mundi.

Superiorissæ expressè prohibetur, ne in vestitione, aut professione Sororum, ullum epulum fieri mandet, imò nec fieri permittat per Parentes sumptibus Novitiarum, si fieri possit, ut perfectiùs libertas earum conservetur, ut currente anno probationis egredi illis liceat, nec tales expensæ remanendi causam eis præbeant.

Insuper prohibetur ad conservationem similis libertatis, ne in vestitione capilli abscindantur, sed bene in professione, nec ulla processionalis pompa ad morem Sponsæ, per plateas instituatur in pœnam dimissionis à professione, quam illa incurrat, quæ in ingressu suo talem pompam admiserit: quod etiam suo tempore Novitiarum libertatem impedire posset, si se ad hujusmodi Religiosæ vitæ normam minus idoneas experirentur, quod tamen propter respectum humanum dissimularent. Quantùm ad probationem Novitiarum, Superiorissa curabit, ut de omnibus rebus commodis, & ad spiritum idoneis illis provideatur; & insuper Præfecta, seu Mater postea assignetur, quæ virtute, & prudentia inter alias excellet, quæ illas instruat, non tantùm in cœremoniis, & rebus exterioribus, sed etiam & maximè internis, & spiritualibus ad Christi Crucifixi imitationem necessariis.

Similiter omnes aliæ Sorores professæ dabunt operam, ut ad virtutum perfectionem in omnibus suis operibus, & conversatione, Novitiis exemplo præluceant.

In omni austeritate, & mortificatione religiosâ sine ulla dissimulatione, aut personarum exceptione exerceantur, ut, si fortè aliqua agnosceret se non esse paratam ad sequendum Sponsum cœlestem Jesum Christum, per hanc strictiorem semitam nostræ humiliationis, & mortificationis, velletque redire ad sæculum, liberè abire permittatur, si prius Sorores omnes, preces, & orationes ad Deum, pro ipsa ex charitate fuderint.

Et, ut libertas ista perfectiùs conservetur, spatio duorum ultimorum mensium anni probationis, Novitiæ poterunt secundò, aut tertiò solæ cum parentibus, & amicis agere, & illis voluntatem, & intentionem suam liberè declarare, nunquam tamen ante duos menses ultimos, solæ poterunt cum ullis agere, nisi fortasse propter rationabilem causam, aliter expedire interdum Superiorissæ videatur.

Si propter infirmitatem, aut morbum, aliqua ad Religionem incapax judicetur, cum charitate dimittatur ante professionem, habito priùs super hoc Medici, & aliorum prudentium consilio, quos Superiorissa, & Discretæ consulendos esse judicabunt.

Durante anno probationis, nullæ Sorores poterunt habere prolixos sermones cum Novitiis, exceptâ Superiorissâ, & Præfecta Novitiarum, ad earum in vita Religiosa instructionem, nullæque earum cellas ingrediantur, nec ipsæ aliarum, sine speciali licentia. Similiter aliæ Religiosæ non poterunt mutuas cellas intrare, sine expressa facultate, nisi officii ratio hoc requirat.

Ordinatur, ut uno quoque trimestri, à die Vestitionis numerando, Superiorissa Sororum professarum consilium audiat, super devotione, bono exemplo, & profectu in spiritu dictarum Novitiarum, ut eæ, quæ idoneæ, vel inhabiles ad Religionem sunt, dignoscantur, & quomodo se habeant, & gerant in Religione ante tempus professionis.

Duobus mensibus ante professionem singularum Novitiarum, excipiantur voces singularum Sororum professarum per scrutinium secretum, causâ receptionis illarum ad professionem, ad quod tamen voces juniorum nullum vigorem habebunt, donec quartum annum in Religione absolverint, poterunt tamen super negocio receptionis audiri.

In Conventibus tamen noviter erectis, in quibus non est sufficiens numerus Religiosarum, poterunt etiam accipi voces quinque seniorum professarum, (si ibi reperiantur) licèt ad quartum annum non pertigerint.

Nulla ad Professionem admittatur ante annum vigesimum octavum.

Nulla admittatur nisi per se, aut saltem cum Choro, possit Officium dicere.

Nulla recipiatur, nisi antea perfectè sciat omnia, quæ promittere, & observare debeat; Ideo diligenter instruentur Novitiæ super Regula, & præsentibus Constitutionibus, & super iis omnibus, quæ vitam Religiosam concernunt. In hunc finem statuitur, ut semper unaquaque feria sexta in Re-

Refectorio legatur aliqua pars Regulæ, & præsentium Constitutionum, quæ postea per Superiorissam, & Præfectam Novitiarum pleniùs explicentur.

Illis, quæ per dictum secretum Scrutinium ad Professionem admissæ fuerint, Superiorissa proponet illa verba à Spiritu Sancto per Evangelium nobis declarata. Si velint esse perfectæ, & nobiscum in hoc statu perfectionis vivere, debeant (si liberæ sint in dispositione bonorum suorum) illa dare præcipuè pauperibus, aut aliis piis operibus applicare, quod, si in hoc non sint liberæ, in illis sufficiet voluntas.

Caveant Sorores, ne follicitæ sint, aut Novitiis consulere velint, quâ ratione de bonis suis temporalibus disponant, ut illæ, tanta majori libertate, quidquid à Domino illis inspirabitur, præstare possint.

Quapropter tempore duorum ultimorum mensium dispositioni negotiorum suorum dabunt operam, ac testamentum condent, quod in forma debita confectum, manebit penes Superiorissam, usque ad peractam inter nos Professionem, post quam, & non antè, confirmatum censebitur.

Quod, si Novitia consilio opus habeat ad negotiorum suorum directionem, cum Viris doctis, & Deum timentibus agere, permittatur, quorum consilio poterit de bonis suis prudenter disponere, prout expedire ei videbitur, &, si negotii ratio id requirat, consulendus erit Episcopus Diœcesanus.

Novitia, completo sui novitiatûs anno, ubi à Sororibus admissa fuerit ad Professionem, secundùm laudabilem nostri Ordinis consuetudinem devotè se præparet, & dictæ Professionis die, fiat ab omnibus Sororibus Sacra Communio ad illius intentionem. Qui dies, ubi advenerit, vota sua publicè pronunciabit in Choro Sororum, crate apertâ, ut Populus videre, & audire possit cœremonias in præsentia Ordinarii, aut Ecclesiastici alicujus (qui erit ex suo Collegio, vel ex Clero) ab Episcopo, ad hunc effectum deputati. Votis factis, prolatis, & signatis, ad quem effectum liber habebitur in pergamena, qui liber Professionum vocabitur, in quo inscribitur forma Professionis, dies, mensis, & annus, quo facta fuerit, procedatur ad cœremonias Professionis, dabitur Velum nigrum, & chlamys, idque conformiter dicto Cœremoniali, quæ chlamys succedet in locum tunicæ secundæ, in casu tamen necessitatis, ipsa, & omnes aliæ præter Habitum, & chlamydem poterunt habere, & alteram Tunicam. Vota autem fient secundùm hanc formulam.

Ego Soror N. spontanea, & libera voluntate voveo, & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ semper Virgini Mariæ, Beato Petro, S. Francisco, Reverendissimo Domino Episcopo N., & tibi Matri meæ, me victuram, in obedientia, in paupertate sine proprio, in castitate, & perpetua clausura sub tertia Regula gloriosi Patris Sancti Francisci.

Quæ formula dicto libro inscribetur, ut dictum est, cui Religiosa se eâdem hora subscribet propria manu, si scribere novit, sin minus, notam aliquam efformabit præsente Communitate, ut Mater Ancilla eam sibi reservet, aut ad suum Episcopum transmittat.

Juniores professæ erunt sub cura Præfectæ Novitiarum, & exercebuntur in exercitiis humilitatis, & mortificationis ad instar Novitiarum, usque ad completum quartum annum in Religione: ut illa ratione possint conservare, & augere primum suum fervorem, & tantò firmiùs fundare se in perfecto spiritu sanctæ humilitatis, mortificationis, simplicitatis, & devotionis, juxta obligationem spiritûs vocationis nostræ.

Quantùm ad formam Vestimentorum, cum ita sit, quod illorum austeritas, & vilitas per Sanctos Apostolos constanter servata fuerit, qui primi vitam duxerunt verè Evangelicam, quam imitari desideramus secundùm posse fragilitatis nostræ, quæ & ipsa per Dominum Nostrum in Sancto Joanne laudata fuit, & per ipsum Jesum Christum opere probata, per Seraphicum Patrem Nostrum Sanctum Franciscum imitata, per quod edoctæ sumus, quod ii, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.

Statuimus, quod Habitus Sororum nostrarum sint panni grossi, viles, & austeri sine tinctura: hique erunt, qui sequuntur; Habitus unus, & chlamys, & unica tunica, dum necessitas id postulabit, interdicto illis usu indusii, tam lanei, quàm linei; qui Habitus erit repetiatus sacco, præcipuè ad humeros, sine plicis, ne quidem in manicis, quæ sint strictæ, & longæ, sic, ut medietatem manûs cooperiant, ita tamen, ut in illarum extremitate secundùm praxim Religiosam ambæ manus immitti possint; Habitus undecim palmas in latitudine non excedat, nisi in aliquibus corporis grossitudo hoc requirat, quibus unica palma tantùm adjungi poterit; longitudo autem corpus non excedat. Tunicæ non excedant in latitudine palmas novem; chlamys parabitur curta pendens circiter usque ad genua; Pro cingulo Sororibus subservit corda grossa, & vilis, contexta ex pilis cum nodis simplicissimis.

Operimentum capitis erit Velum nigrum

grum pro Professis, & album pro Novitiis, quæ ex tela vili, & grossa parabuntur, quod ordinariè gestabunt pendens antrorsum usque ad oculos; reliquum paramentum capitis erit album sine pultibus, quod ita aptabitur, ut pars genarum, & menti veletur; prout modestia religiosa requirit.

Calceamentum, quo utentur Sorores, erunt Sandalia simplicia ad imitationem Apostolorum, ita ut calceorum, & locorum usus illis omninò interdicatur; in quo Habitu debere se vivere, & mori sibi persuasum habeant; quare quieti se dabunt vestitæ, & indutæ, non deponentes cordam, quibus pro lectica, & lecto subserviat congeries palearum, quæ intra grossiorem telam cannabinam super asseres affigetur, stragulorum autem erit usus, quantùm necessitas postulabit.

Infirmæ tamen ad solatium suæ infirmitatis super lectis laneis quiescere poterunt, ut per hanc Habitus, & lecticæ formam nobis ob oculos ponamus obligationem, quâ ùt pœnitentes astringimur superflua, & mollia prorsùs devitare.

C A P. IV.

De modo celebrandi Officium Divinum, orandi, aut meditandi, & de fine, ad quem exercitia nostræ Reformationis, & spiritus nostræ vocationis diriguntur; de Confessione, & Sacra Communione; & lectione spirituali.

Omnes Sorores nostræ Reformationis dicent Divinum Officium secundùm usum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, recitantes Sacratissimas laudes Domini Nostri Jesu Christi reverenter, attentè, & devotè solemnizantes, nihilominus juxta idem Officium Romanum festa propria Fratrum Minorum, qui vulgo Capucini nominantur: Matutinæ toto anni tempore cantabuntur media nocte; Prima, & Tertia diebus ferialis, horâ sexta: Dominicis, & festis diebus horâ sexta, & nona, prout tempus & exercitia permittent, ut in cœremoniali notatur; Vesperæ horâ secunda, Completorium horâ quarta, aut ad medium quintæ, conformiter cœremoniali.

Ordinatur, ut Officium nostræ Dominæ, quando secundùm Rubricas in Choro dici debet, dicatur reverenter.

Officium dicatur in Choro voce non nimis alta, nec nimis demissa, sed media, sine nota, & cauda, cum uniformitate vocis, & spiritûs: Ita ut singula verba, & syllabæ distinctæ pronuncientur, & à præsentibus benè intelligantur.

Antequam recitetur Officium, diligenter prævideatur, ne error, aut confusio sequatur; si quæ notabilem commiserit, finito Officio, culpam suam agnoscet in medio Chori, & recitabit ter Pater & Ave, brachiis in crucem extensis, aut aliam majorem pœnitentiam persolvet, si delictum exigat, ad discretionem Superiorissæ.

Ordinatur expressè Sororibus, ut audito primo signo campanæ, ex occupationibus omnibus, etiam littera imperfectâ relictâ, & acie depositâ, devotè & diligenter se conferant ad Officium, ut ante finitum primum pulsum in Choro inveniantur, ut in spiritu ad Divinum Officium se præparent. Quod si aliqua in Choro non reperiatur ante secundum pulsum absolutum, & ad Primam, quia datur unicus pulsus, antequam ille unicus sit finitus, recitabit in medio Chori Psal. mum *Miserere*, brachiis in crucem extensis, idque statim post absolutum Officium. Eadem promptitudo servabitur, quotiescumque in communi aliquid ad sonum tegulæ, aut alterius ejusmodi faciendum erit.

Quando in Choro legendæ sunt vigiliæ Mortuorum, Psalmi Graduales, aut Septem Psalmi Pœnitentiales, dicantur devotè, & insuper singulæ Sorores sint valdè ferventes, & diligentes ad orandum pro Animabus in Purgatorio detentis. Quare volumus, ut omnes Religiosæ in particulari singulis annis quinquies persolvant Officium Mortuorum cum novem lectionibus secundùm laudabilem consuetudinem Religionis Sancti Francisci, nimirum feriâ secundâ post Septuagesimam, Vigiliâ Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Vigiliâ Sancti Michaëlis Archangeli, in Octava Patris nostri Sancti Francisci, & prima feria ante primam Dominicam Adventûs, cum collecta, *Deus veniæ largitor*, & loco dictorum Officiorum cum novem lectionibus, laicæ Sorores recitabunt centies Pater noster, & Ave Maria.

Sorores laicæ convenient ad Chorum in principio Vesperarum, Completorii, & Matutinarum, & ad *Te Deum laudamus*, & communi præparatione præmissa, post inchoatum Officium ad quemdam locum divertere poterunt, ad recitandum, *Pater noster* &c. juxta Regulam, sed illud diverticulum non sibi deligent, sed illis à Superiorissa signabitur; Et quia Oratio, quæ labiis tantùm, & non corde profertur, Deo grata non est, sed potiùs ingrata, & clarum est, quod ultra vocalem orationem, quæ ex se bona, & utilis est, mentalis insuper & meditatio plurimùm in Religionibus requiratur, utpote Mater spiritualis, & Nutrix omnium virtutum; Quare ordinatur, & strictissimè virtute præsentium Constitutionum mandatur, ut in nostra Communitate, singulis diebus, per duas horas fiat oratio mentalis, aut meditatio,

nec unquam io Choro omittatur, ficut nec Divinum Officium; Una bora erit ad quintam Matutinam, altera post Completorium, idque per totum annum: ante orationem Matutinam legentur Litaniæ de Sanctis, & post Completorium Litaniæ de nostra Domina Lauretana. Intelligant autem Sorores, quod omnibus fuis orationibus, & exercitiis tam internis, quàm externis, fuper omnia desiderare debeant babere fpiritum Dei, & fanctam ejus operationem, ponentes omnem operam in acquirendo fpiritu nostræ vocationis, qui eft fpiritus Orationis, & introverfionis, fpiritus paupertatis, & fimplicitatis, fpiritus aufteritatis, & mortificationis, fpiritus pacis, & cbaritatis, fpiritus folitudinis, & filentii, ut in omnibus fit cor unum, idem fpiritus, voluotas eadem, voluntati Dei, & Superiorum conjuncta, habentes patientiam, & bumilitatem in omni perfecutione, & infirmitate, diligentes eos, qui nos perfequuntur, reprimunt, & arguunt, quia Dominus oofter dixit: *Diligite inimicos veftros, & orate pro perfequentibus, & calumniantibus vos, Beati, qui perfecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipforum eft Regnum Cœlorum, & qui perfeveraverit ufque in finem, bic falvus erit.*

Et, quia omnia nostra exercitia fpiritualia, aufteritates, mortificationes internæ, & externæ, quas fufcepimus pro folo, & puro amore Jefu Cbrifti Sponfi nostri Crucifixi, ut illi ex omni parte fint placita, debent per nos fpecialiter ad eumdem finem proximum referri, quem idem Dominus nofter fibi propofuit in omnibus operibus fuis pœnalibus: Nimirum ad falutem Animarum pretiofo Sanguine fuo redemptarum; finis, cujus Amor, Divinum ejus pectus ita poffidet, ut illum, quafi manfoetiffimum Agnellum reddiderit obedientem ufque ad mortem Crucis, fui nulla ratione babitâ; æquum eft igitur etiam, ut nos paupérculæ ad imitationem ejus, noftri dilectiffimi Sponfi, noftri, & proprii intereffe oblitæ, præfertim eom in ipfo poffeffionem, & fruitionem totius veri boni babeamus, folùm intereffe Jefu Cbrifti in omnibus operibus & laboribus noftris procuremus, taotò magis, quod Pater nofter Sanctus Francifcus amicus Sponfi, fuper boc infpiratus, & illuftratus à Spiritu Sancto, quoad vixit, oibil refpiravit, nibil quæfivit, nihil intendit, in fuis omnibus laboribus, prædicationibus, itineribus, inter Infideles, in omnibus fuis votis moriendi, & Sanguinem fuum effundendi, quàm folùm intereffe Sponfi Jefu Chrifti, quod in animarum falute confiftit.

Quare ad tantillum boni, quod Dominus dignatur fuâ bonitate per nos operari (in quantùm illud impetratoriom eft) declaramus, & intelligimus, & cum omni finceritate cordis obfecramus divinam bonitatem, ut ea omnia directè convertat in falutem animarum à Jefo Cbrifto redemptarum, quæ degunt inter pericula hujus vitæ mortalis, concurrentes faltem, quantùm poffumos, eum laboribus boni Jefu, & eorum, quibus ex officio incombit laborare pro falute animarum, eum vocatio & infirmitas noftra, plura non permittat.

Statuimus igitur, ut Sorores omnes, cordibus fuis profundè infixum babeant boc tam acceptabile facrificium, qnale eft Zelos animarum, ad id referentes omnia, & fingula exercitia fua, aufteritates, & noftri Inftituti obfervantias omnes, orationibus fuis privatis & communibus, Divinæ bonitati commendantes felicem fucceffum Ecclefiæ Militantis, & fpecialiter orent pro Sanctiffimo Patre noftro Papa, Jefu Cbrifti Vicario, pro ejufdem Ecclefiæ Principibus, & Sacro Collegio Cardinalium, pro Archiepifcopis, Epifcopis, Prælatis, Paftoribus, Prædicatoribus, & aliis Ecclefiafticis perfonis, & in particulari pro Reverendiffimo Epifcopo Diœcefano, Superiore noftro, fuis Cooperatoribus, Paftoribus, & Clero Diœcefano, ubi Conventus noftri erecti, & fundati fuerint, fimiliter etiam pro Converfione Peccatorum, Hæreticorum, & Infidelium, & generaliter pro omnibus, qui collaborant faluti animarum; Itaque femper memores fimus, quod, quantumvis aufteritates noftræ magnæ fint, & orationes ferventes, quantumvis in obfervantiis noftris fimus diligentes, & exactæ, nunquam tamen nos feciffe fatis vocationi noftræ, nec quod à nobis Deus requirit, debitè adimpleviffe, nifi curam fpecialem habeamus dirigendi ea in fubfidium eorum, qui in medio campo fudantes, & pugnantes, laborant pro gloria Dei, & procurant falutem animarum.

Infuper omnes Sorores fingulis annis femel in folitudiuem fe recipiant in Eremos, aut loca ad bone effectum ordinata, idque adminus fpatio unius hebdomadæ; fed cum licentia Matris Ancillæ continuare poterunt ad plures aliquot dies; quo præfato tempore erunt à Communitate omnino remotæ, dempto, quod conveniant ad Chorum audituræ Miffam, & Vefpere in Dormitorium communefe fe recipient.

In ifta folitudine confiderabunt, quomodo obfervent noftram Sanctam Regulam, Conftitutiones, & cœremonias Religionis; examinabunt quomodo fe habeant erga Deum, Superiores, & Conforores fuas, & fi fint Officiales, quomodo fuo officio fatisfaciant; tam bene & debitè examinatis fuis actio-

actionibus, faciant confessionem generalem ab ultima; quâ præmissâ, conabuntur cum gratia Dei agnoscere media, ad vitia & imperfectiones corrigendas, & studebunt etiam se confirmare in exercitiis suis spiritualibus, introversionis scilicet animæ cum Deo, facientes in fine eorum, renovationem Votorum suorum, ut ea ratione, bona sua proposita, quæ conceperint, quasi quodam sigillo signent, humiliter supplicantes sibi à Superiorissa injungi pœnitentiam pro delictis illo anno commissis, contra suas Regulas, & præsentes Constitutiones.

Porro, cum scopus & finis Monasticæ, & Religiosæ vitæ, & omnium suorum exercitiorum sit unio animæ nostræ cum Deo, quæ incipit per Psalmodiam, & Orationem vocalem promovetur, ac perficitur per meditationem, & mentalem Orationem, & nobilissimè completur per Sacram Communionem, & Sanctæ Eucharistiæ frequentationem, cui tanquam janua, & ingressus subservit confessio, per modum dispositionis, & præparationis. Quapropter omnibus nostræ Congregationis Sororibus ordinatur, ut ordinariè bis in hebdomada confiteantur, scilicet Dominicâ, & feria quintâ, aut Vespere præcedenti; Confessarius autem ordinarius erit Ecclesiasticus ex Clero, & ut pusillanimitati timidiorum animarum, & libertati conscientiarum subveniatur, Mater Ancilla tenebitur petere ab Episcopo, ut adminus quater in anno det aliquem Confessarium extraordinarium Sæcularem, aut Regularem, & Episcopus teneatur illum eis concedere, sed concedendo Regularem sit de consensu Matris Ancillæ, & Discretarum. Confessario omnes, & singulæ Religiosæ se se præsentare tenebuntur, ut ea, quæ eo indiguerit, nec agnosci, nec notari possit; nihilominus, si quædam ab illo extraordinario consilium aliquod ad directionem suam receperint, non possint eo uti, nisi prius consulto Directore spirituali, eis per Ordinarium deputato, qui erit ex Clero, citra tamen præjudicium qualecumque sigilli Pœnitentiariæ.

Sacra Communio similiter fiat per totam Communitatem bis per hebdomadam, scilicet die Dominica, & feria quinta, sicut & omnibus festis Diœcesanis, quæ à populo solemnizantur; Insuper festis Sancti Francisci, & aliorum Sanctorum, ac Sanctarum, quæ solemniter in Ordine celebrantur, ubi tamen hujusmodi festa inciderint in hebdomadam, feria quintâ non erit dies obligationis, nec poterunt sine licentia expressa communicare.

Et, ut meliori ordine regulentur, & dirigantur nostra exercitia, ad consequendum finem nostri Instituti, & officium pietatis, ad movendam Divinam bonitatem, ut beneficio misericordiæ singularis dignetur conservare, & augere in nobis spiritum sanctæ vocationis nostræ, & hanc nostram pusillam pauperem, ac humilem Reformationem magis, ac magis perficere: & ut exaudiri possimus in prosecutione finis nostri, & agnoscere infinitatem beneficiorum ejus, ordinamus, ut uno ex prædictis diebus, omnes Sorores simul faciant Sacram Communionem tali die, qui in initio anni à Superiorissa designabitur. Sicut & eodem fine, & modo similì in initio cujusque mensis.

Similiter semel per annum modo prædicto in die, quo nostrorum Conventuum capta fuerit possessio, orantes pro ipsorum Benefactoribus vivis, atque defunctis. Similiter semel singulis mensibus.

Insuper Superiorissa providebit, ut singulis septimanis tres Sorores, quas ad hunc effectum designabit, semel faciant Sacram Communionem pro conservatione nostræ Reformationis.

Idem singulis septimanis semel fiat pro nostrorum Conventuum Fundatoribus, & Benefactoribus, spiritualibus, & temporalibus.

Quando erigetur novus Conventus Reformationis nostræ, ordinamus, ut omnes & singulæ Sorores Reformationis nostræ, generaliter tertiò faciant Sacram Communionem pro ejus felici successu, & salute eorum, qui ex charitate ad promotionem ejusmodi operis cooperantur. Idem fiet generaliter singulis mensibus uno prædictorum dierum, aut præfixo, ad intentionem Reverendissimi Episcopi Diœcesani Superioris nostri; ut Deus per infinitam suam clementiam eum corroboret in oneris sui executione.

Et, ut charitati satisfiat, ordinamus, quod quoticumque recitabitur Officium Mortuorum, eo die communicantes, id faciant pro animabus, quæ sunt in Purgatorio, & specialiter Militum pauperum defunctorum in Exercitibus Regum, & Principum Christianorum, & Catholicorum, pro honore Dei, & defensione Ecclesiæ Catholicæ.

Et quia frequens lectio spiritualis, magnæ est efficaciæ ad acquirendam, & conservandam in animis devotionem, ordinatur, ut singulis Dominicis, & festis, & tertia, ac quinta feriis anni, Mater Ancilla piam aliquam lectionem faciat Sororibus, ita ut singulis diebus, extra tempora jejuniorum, inchoari debeat circa horam duodecimam, ut finiatur circa primam; Sed diebus Jejunii incipiet quadrante ante horam primam, ut absolvatur ad mediam secundæ; Qua finita, Sorores se recipient in cellulas suas usque ad Vesperas; In magna tamen Ecclesiastica Qua-

Quadragesima incipietur hora secunda, ut absolvatur tertia: quo durante exercitio licebit Religiosis petere sibi explicari ea, quæ non satis intelligent: quæ Mater Ancilla juxta judicium, & captum suum, cum gratia Dei eis explicabit, docendo methodum, & modum ad praxim redigendi hoc ipsum, de quo tractatum fuerit, ad majorem fructum animarum suarum: tamen semel per hebdomadam (nimirum feriâ tertiâ) Novitiæ non intererunt illi lectioni, propter certas bonas considerationes.

Completo tempore lectionis, omnes Sorores in cellulas suas se recipiant usque ad Vesperas, sed diebus, quibus non erit hoc exercitium, debebunt se recipere horâ prima post meridiem: nisi eadem hora haberetur Concio, quæ posset juxta judicium Matris Ancillæ, tali exercitio esse impedimento, quæ de eo disponet, prout meliùs expedire judicabit.

Et, quantùm attinet ad distributionem reliqui temporis totius diei, sive ad frequentationes officii, sive ad regressum ad operas, aut aliud simile, observabitur, quod in cœremoniali est ordinatum.

Horâ septimâ Vespertinâ dabitur pulsus, quo audito statim convenient in Choro ad legenda suffragia, & audiendam lectionem materiæ Orationis, deinde facient examen conscientiæ, & se recipient in cellulas suas in silentio, ut decumbere possint horâ octavâ.

CAP. V.

De silentio, & solitudine; & de modo, quem observare debent Sorores, invicem colloquentes.

Quoniam Spiritus Dei super omnia desiderabilis, dulcis super mel & favum ei, qui eum gustabit, faciliùs in silentio, & solitudine internâ invenitur, quàm inter strepitus, & multiplicitates externas, & ideo Sorores omnes singulis diebus ante Vesperas, recipiant se in solitudinem, & cellulas suas, ut Capite præcedenti dictum est, extra quas non reperientur pro eo tempore, sine gravi necessitate, & Superiorissæ licentiâ: Sed, quantùm ad majorem Quadragesimam, sicut & tempora, & dies Jejuniorum, Sorores bis se recipient, scilicet à medio secundæ pomeridianæ usque ad secundam; & altera media ante Completorium; Sed in hebdomada Sancta omnia secundùm rationem Officii dirigantur.

In ista solitudine exerceant se in orationibus, aut lectione alicujus libri spiritualis, facto prius examine conscientiæ tempore silentii ante Vesperas.

At, quia felix possessio amoris divini requirit silentium, & perfectam animæ requiem, propter eam causam ab omnibus Religiosis nostræ Reformationis silentium accuratè servabitur.

Quantùm ad silentium Regulare, statuitur, ut sit perpetuum in Choro, & Oratorio, in Claustro, & Dormitorio, sicut & in Refectorio à primo signo tabulæ, usque ad persolutas gratias, quo tempore habebitur lectio libri spiritualis, aut Regulæ, & Constitutionum, prout dictum est, cui diligentissimè attendant Sorores, ut corpore reficiente, animus Verbo Dei alatur, & nutriatur.

Quibus in locis non liceat nè vel unum verbum proferre, nisi in casu magnæ necessitatis, aut cum Superiorissæ licentia, idque voce submissâ; quantùm ad alia loca Conventûs, ordinatur, ut idem silentium Regulare semper exactissimè servetur à pulsu Vespertino (qui omni tempore dabitur præcisa hora septimâ, ut dictum est) usque ad finitam primam, præterquam in Infirmaria, in qua dispensatur super silentio, propter necessitatem, & consolationem Sororum Infirmarum; Et si quæ silentium Regulare infregerint loquentes in locis supra prohibitis, tenebuntur pro pœnitentia dicere in Refectorio quinque Pater & Ave, brachiis in crucem extensis, ultra id, quod à Matre Ancilla injungetur, quando culpam suam dicent in Refectorio.

Quod silentium exactè servabitur, ut dictum est, singulis diebus anni, præterquam, quod post refectionem prandii, parvo Officio nostræ Dominæ, vel suffragiis pro Benefactoribus, juxta consuetudinem recitatis, licebit illis loqui, spatio unius mediæ horæ: similiter Vespere post refectionem, aut collationem, parvo officio, aut suffragiis recitatis, juxta consuetudinem, licitum erit Sororibus loqui usque ad pulsum Vespertinum, quod fiat sine divisione, aut separatione mutuâ, nisi cum venia.

Quantùm ad silentium Evangelicum, quod prohibet sermones vanos, infructuosos, mundanos, curiosos, aut ridiculos, admittit autem solos bonos, & sanctos, convenit illud perpetuò servari, & quæ illud transgredientur, persolvent humiliter sibi injunctam pœnitentiam, ad exemplum aliarum.

Tempus tamen loquendi post refectionem restringitur, & per totum Conventum silentium exactè servabitur tota hebdomada Sancta usque ad Pascha, & septem diebus, præcedentibus Solemnitatem Seraphici Patris nostri Sancti Francisci, quibus duabus Solemnitatibus, Sorores publicè Vota sua renovabunt, juxta & secundùm for-

formulam præscriptam in cœremoniali.

Sorores etiam seriò moneantur in charitate Jesu Christi, ut caveant unquam inter se habere jurgia, nec verbis inter se dissideant, sed unaquæque alteri lubenter cedat, quod, si per inadvertentiam, aut infirmitatem, Sororem verbo aliquo offenderit, aut contristârit, statuitur, ut sine mora illam adeat, & agnoscens culpam, coram illa se se humiliet, & genibus flexis humiliter veniam roget, & Soror læsa illi ex animo condonet, cum omni humilitate, & charitate, rejectâ omni amaritudine, perfectè se invicem reconciliantes; sed Mater Ancilla monita de tali re, graves pœnitentias dabit delinquenti, secundùm qualitatem excessûs, & super omnia advigilabit, ut hanc pestem à Conventibus eliminet, aliàs redditura rationem Deo, si Soror in tam perniciosum vitium suâ negligentiâ labatur.

Ita igitur conabuntur Sorores semper vivere in perfecta unione pacis, & charitatis.

In perpetuum humilitatis exercitium statuitur, ut Sorores volentes loqui Matri Ancillæ, semper in genua se componant, tanquam ei, quæ erga illas locum Dei teneat; Illa nihilominus ex humilitate, & charitate poterit ætate, vel professione seniores jubere, ut surgant, utprimum ad loquendum se se in terram componere ceperint; idem præstare poterit erga juniores, & Novitias, si debiles, aut infirmæ fuerint, & ita expedire judicaverit. Novitiæ & Juvenes professæ loquentur flexis genibus generaliter omnibus Sororibus.

CAP. VI.

De jejuniis, & austeritatibus hujus Religionis.

Omnes Sorores jejunabunt à festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini Nostri, & à Nativitate Domini Nostri, usque ad majorem Quadragesimam, juxta Regulam tenebuntur jejunare quarta, & sexta feriis, insuper omnibus feriis sextis totius anni.

Omnes Religiosæ moneantur, ne unquam omittant laudabilem consuetudinem, non tantùm jejunandi omnibus Vigiliis festorum Domini Nostri, scilicet Nativitatis, Pentecostes, & Nostræ Dominæ, per Ecclesiam celebratorum, Patris Nostri S. Francisci, & Veneris Sancti, sed & insuper omnibus istis diebus strictiorem abstinentiam faciendi, secundùm formulam ordinariam per Conventus hujus Ordinis observatam, quæ est manducare in terra, facere disciplinam, comedere in pane, & cerevisia, aut ad summum adjungendo olus, demptis infirmis, quibus juxta discretionem Superiorissæ providebitur.

Quantùm ad Quadragesimam, quæ incipit die post Epiphaniam, usque ad quadraginta dies continuos, quam Dominus noster suo jejunio consecravit, Pater noster Sanctus Franciscus nobis reliquit cum benedictione, quâ jejunantes benedicuntur à Domino nostro, & Patre nostro Sancto Francisco: quæ per impedimentum non poterunt id præstare, non obligantur; cui tamen specialiter attendet Superiorissa, ne Religiosæ isti devotioni ita astringantur, ut ad jejunandum Ecclesiasticam Quadragesimam, quæ immediatè sequitur, reddantur incapaces.

Insuper non derelinquentur, nec interrumpentur sine gravi necessitate, minores Quadragesimæ devotionis, scilicet Sancti Spiritûs, ab ascensione usque ad Pentecosten, Dominæ Angelorum, usque ad Assumptionem, & Patris Nostri Sancti Francisci à festo Sacrorum Stigmatum, usque ad ejus solemnitatem. Attendat interim diligenter Superiorissa vires Religiosarum, quas convenit zelosè, sed discretè tractare.

Ne corpus nostrum etiam contra spiritum recalcitret, sed in omnibus illi obtemperet, in memoriam asperrimæ passionis, & specialiter dolorosissimæ flagellationis dulcissimi Salvatoris nostri, statuitur, ut disciplina ordinariè fiat ter per hebdomadam in Choro, scilicet feriâ secunda, quarta, & sexta, nec unquam omittatur, licet occurrant magnæ solemnitates, & fiat post matutinas, præterquam tempore intensi frigoris, & tunc fiet ad Vesperam, sed in hebdomada Sancta fiet singulis noctibus, & tunc Sorores in corde, se disciplinantes, sint memores dulcissimi Sponsi sui Jesu Christi, Filii Dei, ad columnam alligati, studentes in se ipsis experiri particulam dolorum ejus: quæ disciplinæ tamdiù durent, quamdiu devotè recitari possint *Miserere*, *De profundis*, *Salve Regina*, *Christus factus est &c. Respice quæsumus*, & cum quinque Collectis, unum *Pater*, & unum *Ave*.

Præter omnes has disciplinas tam vespertinas, quàm nocturnas omnes Sorores aliam facient in Refectorio, immediatè ante refectionem, prædictis diebus, quibus ultra jejunium est etiam quædam specialis abstinentia, qua durante dicent *Miserere*, sed Novitiæ & Juniores professæ, ordinariè facient singulis feriis sextis anni, eadem duratione, & modo, donec absolverint quatuor annos in Religione, nisi interdum ob rationabiles causas cum illis dispensaretur

à Ma-

à Matre Ancilla, aut ejus Vicaria. Nulli licitum sit aliquas disciplinas, austeritates, aut pœnitentias extraordinarias facere, nisi eum licentia, & benedictione, & obedienati Superiorissæ, aut per alias injungantur, ad exercitium virtutis, & mortificationis, aut pœnitentiæ particularis.

Et, quia inter ista omnia sanctissima exercitia, media particularia introducta, ùt idonea ad acquisitionem supremi amoris Sponsi nostri, satis agnoscitur, quod communis hostis, qui semper circuit, ut devoret, invidus perfectæ prosecutionis virtutum, per plures tricas, artes, & præclaros prætextus, & inquietitudines delatas, ad id unùm tendentes, ut decidere nos faciat à fructu, quem sperare debemus ex spiritu vocationis nostræ, qui consistit in vera paupertate, simplicitate, & humilitate, sic, ut nobis absit gloriari, & conquiescere, nisi in despectibus, & confusionibus, ut sic habita cognitione magnæ indignitatis nostræ, & vilitatis, tantò magis studeamus nulli alteri, affectu & voluntate adhærere, quàm soli Deo, nos resignantes cum profundissima, & humillima dependentia, amorosissimè ad ipsius beneplacitum. Et cum experientiâ compertum sit, quod candor, & sinceritas animarum summè deserviat ad ejus artes, & subdolas machinationes eludendas,

Ordinamus, ut omnes Sorores publicè cum omni libertate, & simplicitate, & in spiritu veritatis dicant suam culpam in Refectorio, ante benedictionem prandii, & specialiter de imperfectionibus communibus, commissis contra Regulam, & Constitutiones, exponentes cum desiderio confusionis propriæ, internas dispositiones, per confessionem oris, uti legimus conscientias primorum Patrum fuisse sibi mutuò manifestatas, per illustrationem extraordinariam, quæ in Ordinis sui exordio contigit in Seraphico Patre nostro Sancto Francisco: nimirum, quantùm ad Seniores professas, diebus, quibus sit ordinaria disciplina in Choro, & quantùm ad alias professas, quæ non absolverint quartum annum in Religione, & Novitias, illæ dicent singulis diebus, usque ad absolutum quadriennium, adimplentes cum omni humilitate pœnitentiam sibi à Superiorissa injunctam, salvo tantùm, quod sextis feriis se conformabunt Capitulo XII.

Quod, si contingat aliquas Sorores graviter peccare cum scandalo aliarum, aut contra Regulam, & Constitutiones, Superiorissa illis injunget pœnitentiam cum misericordia, prout expedire judicabit, & sicut declarabitur Cap. XII. harum præsentium Constitutionum.

CAPUT VII.

De modo laborandi; & exercitiis communibus Sororum, ac operibus humilitatis, & Religionis.

Quoniam arduum & difficile est, quod quis in Deum semper elevetur, ad evitandum otium, radicem omnium malorum, statuitur, ut certis horis præfixis, omnes simul ad opus conveniant, &, antequam illud aggrediantur, fiant aliquæ preces, uti & in fine, & reliquo temporis partim servetur silentium, partim legatur aliquid ex aliquo libro spirituali, aut Mater Ancilla, aut ejus Vicaria aliquid ad pietatem spectans proponat, quod serviet ad instructionem, & ædificationem Sororum, quæ insuper aliqua suffragia recitare poterunt. Sorores Reformationis nostræ nunquam operentur, pecuniam lucrandi causâ, sed, postquam absolverint, quod ad Sacristiam spectat, & ad necessaria Conventûs, reliquum temporis insumant ad laborandum pro pauperibus Conventibus Religiosorum Patris nostri S. Francisci, aut aliis, deinde pauperibus Ecclesiis ruralibus, præsertim ejus Diœcesis, in qua residebunt; nec unquam pro se ipsis in particulari, ut ea in formam munusculorum distribuant, quibuscumque personis, aut quocumque prætextu operentur.

Monentur illæ, quibus Deus dedit gratiam laborandi, ut fideliter se impendant, ad hoc, ut, quæ non noverint laborare, discant, sed super omnia caveatur, ne labore corporali spiritus introversionis & orationis extinguatur, ad quem omnia referri debent.

Insuper statuitur, ut in omnibus Conventibus nunquam omittantur exercitia communia, & opera humilitatis, imo ne Superiorissa se absentet sine gravi, & manifesta necessitate; quinimo in omnibus sit prima, ad imitationem Domini nostri Jesu Christi, præbens aliis bonum exemplum, & in omnibus operibus vilibus, & abjectis, unaquæque vices suas obeat, aut hebdomadam, juxta Religionis laudabilem consuetudinem, nisi interdum Superiorissa aliter statuat, propter bonas rationes & causas. Et, ut in perpetuum meliùs hæc uniformitas & æqualitas observetur, Novitiæ, tempore Novitiatûs diligenter exerceantur in omnibus iis rebus, etiam maximè humilibus, & vilibus, quæ in Communitate necessariò fieri debent, ut postea professionem facientes possint dicere cum Propheta, elegi abjecta esse in Domo Domini mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

CAP.

CAPUT VIII.

De Sororibus Infirmis, & de officio illis præstando, & de iis, quæ moriuntur.

Quoniam charitas est alma Mater totius virtutis religiosæ, quæ tam erga corpus, quàm erga animam pauperum Sororum exerceri debet, ideo hortamur, & obsecramus in Christo Jesu Sorores, ut omnes se exhibeant charitativas, confidentes, & domesticas invicem, & omni securitate, & confidentiâ aperiant Superiorissæ, aut Vicariæ, dictâ Superiorissâ impedita, aut propter infirmitatem in Infirmario detentâ, omnes suas necessitates, tam corporales, quàm spirituales, & illa benignè, & charitativè illas audiat, & tantùm benevolentiæ illis exhibeat, tantùm benignitatis, & materni affectûs, tantùm humilitatis, & promptitudinis ad illis inserviendum, ut possint cum illa verbis agere, quemadmodum Hera cum Ancillis suis; nam ita Superiorissa debet esse Ancilla omnium Sororum: & certè, si mater naturalis amet, & nutriat filium suum carnalem, quantò diligentius unaquæque nostrum diligere, & nutrire debet Sororem suam spiritualem? Quare, si aliquæ Sorores infirmentur, omnes aliæ Religiosæ debent illas consolari, juvare, & illis inservire, quemadmodum in necessitate sibi succurri, & inserviri vellent, & Mater Ancilla, ac quatuor Discretæ, primæ tale officium impendant, providentes illis in omnibus, quæ postulat infirmitas: &, ut in meliùs fiat, statuitur ante omnia, ut Sorore in infirmitate decidente, illi statim deputetur una ex maximè idoneis, quæ illi in omnibus suis necessitatibus famuletur, & juxta exigentiam in Infirmario collocetur, & juxta necessitatem cum illa dispensetur in jejuniis, & austeritatibus Religionis, & diligenter de Doctore, & Medico ei provideatur: cujus ordinationes Mater Ancilla, & Infirmariæ Præfecta sequi teneantur in omnibus, & per omnia: & ut Doctores, Chirurgi, & Pharmacopulæ, qui necesse habent Sorores, sint boni Catholici, & integræ famæ.

Insuper Mater Ancilla & Sorores, singulari curâ advigilent, ut ad patientiam, & resignationem eas exhortentur, & diligenter oretur pro illis, & ubi periculum fuerit, fiant preces post vesperas, & matutinum, moneantur etiam Sorores infirmæ, de frequenti confessione, & Communione tempore infirmitatis, & ad minus semel in hebdomada, &, ut sint in infirmitatibus suis patientes, & charitatem sibi exhibitam ex animo agnoscant.

Decedentibus ex hac vita Sororibus, charitas præstetur, non minus post mortem, quàm in vita.

Quare prima opportunitate, Sorores singulæ legant pro illius anima vigilias cum novem lectionibus, & in Choro cantentur eædem vigiliæ ante ejus sepulturam, celebrari facientes Sacrum præsente corpore, in quo Sorores omnes sacram Communionem facient pro defunctâ, & eadem intentione continuetur Commonio tribus diebus cum actuali applicatione Indulgentiarum concessarum, pro liberatione animarum de Purgatorio, iisdem diebus adhibita disciplina: & pro singulis Religiosis defunctis celebrentur triginta Missæ, & die anniversario etiam una Missa, quo die recitentur in Choro vigiliæ cum novem lectionibus à Sororibus, ac denuò fiat sacra Communio, & disciplina.

Sed loco vigiliarum mortuorum, quas Sorores recitant, post decessum alicujus Sororis ejusdem Conventûs, Sorores laicæ dicent centum Pater & Ave, & Requiem æternam &c.

Insuper diligenter mentio de morte Defunctæ fiet aliis Conventibus Ordinis, ut participatio fiat suffragiorum. Monitione receptâ de morte alicujus Religiosæ Reformationis nostræ, in singulis Conventibus celebrentur tres Missæ pro anima Defunctæ, & eadem intentione singulæ Sorores tertiò faciant Sacram Communionem, cum applicatione actuali Indulgentiarum necessariarum ad liberationem animarum de Purgatorio, & tertiò disciplinam, & insuper recitabunt privatim officium Mortuorum cum tribus lectionibus, cujus loco Sorores laicæ recitabunt quinquagesies Pater noster, & Ave Maria, cum Requiem æternam &c.

Ordinatur, ut omnes Sorores simpliciter sepeliantur in Claustro, aut in parvo Sacello, (si fiat ad sepulturam) cum Habitu, & parva Cruce lignea in manu, sine loculo, monumento, aut Epitaphio; Et si qui ex singulari devotione, desiderent sepeliri in Ecclesia exteriori nostra, super omnia non permittatur fieri tumba aliqua, aut Epitaphium, imò nec concedatur illis sepultura, sine expressa licentia Episcopi Diœcesani, inter quas tamen censeri non debent tam Ecclesiastici, quàm Sæculares, qui actualem charitatem præstant, & in servitio Domûs perseverant, qui decedentes simile officium charitatis percipient, ad refrigerium animarum suarum, cum Religiosis nostris.

Expressissimè inhibetur, ne ulla fundatio obituum, aut Vigiliarum admittatur quacumque causâ.

CAP.

CAP. IX.

De certo numero personarum nostrorum Conventuum, & eorum dependentia, communicatione, & unione: de taxa redditunm, & administratione rei temporalis; de statu nostræ sanctæ paupertatis, & simplicitatis, tam in ornamento Ecclesiæ, quàm utensilibus Conventûs, & ædificiorum.

Quoniam juata opinionem nostri Seraphici Patris Sancti Francisci difficile erat bene observare sanctam paupertatem, & charitatem inter magnum numerum Religiosorum, ordinatur, ne in Conventus nostros admittantur plures, quàm triginta personæ, aut Religiosæ, comprehensa ipsa Superiorissa, inter quas recipi poterunt tres, aut quatuor ad summum in Sorores, quæ laicæ appellantur, prout Mater Ancilla judicabit necessarium, ut laborent in operibus magis pœnalibus, & laboriosis, quæ tamen tenebuntur iisdem Regulis, Constitutionibus, Votis, Clausura, Vestimentis, & aliis omnibus exercitiis Religionis; eædem recipientur, probabuntur, & exercebuntur eadem formâ, & modo, quo aliæ, in hoc solùm ab aliis differentes, quod vocem nec activam, nec passivam habituræ sint, & quod non recitabunt magnum Officium Breviarii Romani, sed ejus loco recitabunt certum numerum Pater noster, & Ave, juata dispositionem Regulæ *Cap. I V.*

Cui tamen numero non astringetur Conventus noster Audomarensis, ea eo, quod evidenter agnoscamus, nos in eo tam abundanter copiosas Spiritûs Sancti gratias suscepisse, & quod in eo loco Dominus Deus præcipuè Regulam nostram nobis dictavit. Et ut fideliter respondeamus spiritui, qnem nobis manifestavit in hac paupere, sed sancta vocatione nostra, conari debemus ad conservandam in nobis maximam conformitatem, & unionem. Verùm, quia agnoscentes difficultatem nos conservandi in illa præfata unione, & exacta observantia earumdem Regularum, & Constitutionum inter multos Conventus à se invicem remotos, & sub diversis Superioribus, qui frequenter difficultates in earum praxi percipiunt, & quæ quantumcumque claræ sint, multas tamen in se obscuritates continent, variis interpretationibus obnoxias, quas singuli pro suo sensu, & judicio sectantur, causam dant variis motibus, & mutationibus in Religiones inducendis, & quod ita ordo, & mores lapsu temporis difformentur, ut nec se invicem agnoscant ob multas varietates successu temporis introductas in præjudicium servitii divini, & primi spiritûs, in quo gloriari poterat.

Quapropter ad evitandam hanc magnam confusionem, quæ facilè posset irrepere per hanc varietatem, & difformitatem observantiæ, quæ nos avocaret à perfecta similitudine ejusdem Instituti, fundati super primis principiis primi spiritûs, qnem Dominus noster manifestavit nobis tanquam medium idoneum, per quod nos inter tot alias elegit, ut glorificetur in hac planta pusilla, quam inter delicias, quas percipit inter tantam aliarum varietatem, plantavit in horto Ecclesiæ suæ, ut in eodem stipite firmiter perseveret, & in gratiam veræ & mutuæ charitatis, & fraternæ unionis, veri & puri amoris nutriciæ, petimus, & humillimè supplicamus, & per viscera charitatis Sponsi nostri Crucifixi, qui nos in unum evocavit, ut omnes Sorores velint maturè, & seriò considerare, quantùm referat vivere in hac unione, & uniformitate ejusdem Regulæ, & observantiæ earundem Constitutionum, & ad hunc effectum conservare semper mutuam unionem, & super omnia cum primis Conventibus, in quibus Dominus noster tam misericorditer gustandos dedit primitivos fructus puræ, & simplicis observantiæ spiritûs sui in nostro Instituto, & unde præcipuè fontes manare fecit ad illas suas plantas in alia loca transmittendas, inter quas pro comperto habemus præfatum Conventum primas tenuisse, & ideo tanquam primariam Domum nostram, & nostri Instituti Matricem agnoscere debemus.

Considerantes, quàm periculosum sit velle stare judicio suo particulari, velato, & prævento rationibus, & prætextu majoris boni transire in aliam viam à perfecta observantia ejus, quod Dominus noster approbavit, per tam singulares benedictiones, per tot annorum perseverantiam, & per tot personas in tanta pace, & unione; quandoquidem frequenter in novitate felix quidem speretur successus, ad evitandam praxim, aut observantiam aliquam, & persuasum habentes seduci zelo ardentis charitatis, cum ut plurimum non sit, nisi vanum opus eorum, & ignis fatuus, qui nos à recto tramite aberrare faciens, in quo spiritus noster prius non posuerat, nos in loca quædam palustria, & immunda pertrahit, multis & majoribus inconvenientibus obnoxia, unde posthæc nihil nisi dolores, & pœnitudines expectare possunt ut plurimùm sociæ Novitiatum, imò & singularitatum, quæ non carent spiritu ambitionis, quam nostra simplicitas cum tanto horrore refugit, utpote, quæ non agnoscuntur coram tribunali Dei pro veris, & legitimis fructibus Religionis nostræ de pœnitentia; quia tamen non omnia ita

ita prudenter prævideri possunt, quin interdum occurrat circumstantia aliqua, quæ certo tempore non requirat interpretationem aliquam, tam circa observantiam Regulæ nostræ, quàm præsentium Constitutionum, & laudabilium consuetudinum Religionis: pariter supplicamus, ut singulæ examinare velint, an non conveniens sit, imò utile, & necessarium, quantùm conditio nostri Instituti permittit, nos vivere perseveranter in hac nostra desideratissima uniformitate spiritûs, & observantiæ, quàm cum diffidentia sui post negotium Deo oblatum, cum interventione charitativarum precum omnium Conventuuum nostrorum proponere, ac conferre mutationem infertam, & de qua erit quæstio, cum primario Conventu nostro, plurimi facientes consilia, quæ excipientur, cum confidentia, quod, cum Dominus noster se ei præcipuè manifestavit ad nostram fundationem, etiam efficiet, ut defectus capacitatis majoris, quàm fortasse vereri possent, suppleatur per specialem Dei providentiam, qui semper providebit de mediis opportunis, ad consolandas & roborandas illas, quæ perfectè in eo confident.

Quare, Sorores charissimæ, semper unaquæque nostrûm advigilet, ne sit illa, quæ illam petram conjiciat, quæ sit petra scandali, in quam pauper, & pusilla nostra Reformatio offendat, & quænam erit petra novitatum, & mutationum, quâ primum ictum relaxationis, & confusionis recipiemus? quænam erit illa, quæ, cum se à mundo subtraxerit ad procurandum sibi locum Reformationis, Januam ad difformationem aperire volet?

Et licèt timere debeamus, quod nostra Congregatio non minus carebit iis, quæ deficient, quàm Apostolicum Collegium; sed væ illis, per quam scandalum veniet.

Et quia arbitramur conjunctionem Superiorissarum plurimarum facere ad nostram conservationem, rogamus, ut ad illam velint tendere cum omni diligentia, candore, perspicacitate, & charitate; Quinimò, si quædam Religiosa pro sua consolatione optaret Superiorissæ S. Audomari scribere, Superiorissæ nullo modo se difficiles exhibeant in concedenda hac libertate, sine obligatione earum scripta examinandi.

Quantùm ad temporalia, & redditus necessarios nostrorum Conventuum; cum ita sit, quod malignitas præsentia temporis nobis interdicat gaudium, quo frui possemus in observantia paupertatis talis, qualem observavit Pater noster S. Franciscus, nihilominus contendemus, quantùm poterimus, proximè ad illam accedere, nobis adscifcentes bona, & redditus, quantùm nec plus, quàm Religiosa necessitas requirat, & à cordibus nostris, in veritate, insatiabilem & abominabilem bonorum cupiditatem eliminare, & tanquam non habentes ea possidere.

Statuitur & præcipitur in virtute præsentium Constitutionum, & conformiter sanctæ paupertati, quàm profitemur, ordinatur, ut nostris Conventibus constructis, singuli eorum non plus possideant, quàm ad . . . . . florenos annui proventûs pro alimento singularum personarum, comprehensis non tantùm Laicis Sororibus, sed insuper etiam duabus, aut tribus sæcularibus personis bonæ vitæ, & moribus integris, quæ residebunt in atrio Conventuum nostrorum, ut eorum necessitatibus provideant.

Et insuper annuè summam mille & quingentorum florenorum, ut succurratur necessitatibus Sororum infirmarum, honorario Confessariorum, & Sacellanorum, luminariorum, ornamentorum Altaris, ad reparationem, & conservationem Ecclesiæ, & Conventûs.

Atque Ita, ubi numerus limitatus completus fuerit, & Conventus dotati eo modo, quo dictum est, volumus, ut illæ, quæ posthac à Deo impulsæ, ardore pauperrimæ nostræ vocationis se se offerent, gratis recipiantur, nec quidquam ab illis accipere liceat, ne quidem ultro oblatum, seligentes sine acceptione personarum eas, quæ magis idoneæ judicabuntur ad sequendum sponsum suum, in humillima Reformatione nostra.

Mater Ancilla attendet provisionibus, & conservationi Domûs, & Religiosarum, &, ut fiant in tempore, ut Sorores nostræ possint suaviter experiri charitatem in œconomia, & in paupertate nostra suæ necessitatis solatium.

Non tamen liceat ei extra id, quod ad alimenta & conservationem prædictam spectat, quidquam vendere, aut emere, quod excedat summam quinquaginta florenorum, sine consensu, & approbatione quatuor Discretarum, aut majoris partis illarum.

Non liceat interea eidem Matri Ancillæ ulla ratione, ac proinde illi strictissimè prohibetur, ne tempore officii sui administret, aut tangat argentum, aut pecuniam, nec ulla alia Sororum, sed unica designabitur Syndica, cui inest spiritus paupertatis, quæ cum benedictione ejusdem Matris Ancillæ, & in præsentia ejus, aut Vicariæ, & duarum Discretarum poterit tangere, & recipere pecuniam & argentum, quando necessitas postulabit.

Omnes quietantiæ, & obligationes signabuntur per Matrem Ancillam, & qua-

tuor Discretas, aliàs per Conventum non erunt approbandæ.

Mater Ancilla curabit, ut singulis annis reddantur pertinentes computus redditunm Conventûs, & dispensationis ejus, die præfixo coram Reverendissimo Domino Episcopo, aut ejus Deputato, vel Deputatis, Matre Ancilla, Discretis, & quatuor ex Senioribus ad hoc maximè idoneis, ut ejus status cognoscatur, & confusio debitorum evitetur, ac detestabilis prætextus coacervandi, quem tanto cum horrore fugere debemus, quanto Diabolus ipse eum traditoriè ingerit, sub decoro prætextu, ad insensibiliter eruenda fundamenta Reformationis nostræ, super sanctam paupertatem ædificata, memores, quod habituræ simus Jesum Christum Patrem, Fratrem, & Matrem, quamdiu, ut illi adhæreamus, fideliter reperiemur liberæ ab affectu, & cura eorum, quæ voluntariè reliquimus, ut eo frueremur: Reverendissimus Dominus, cognito statu aut necessitatibus Conventûs, & casu, quo aliquid esset residuum, minimè Conventui necessarium, & quod proindè converteretur in congeriem & thesaurum, poterit in usus pios de eo disponere, secundùm suum beneplacitum, nisi urgens aliqua necessitas occurrat in uno Conventuum nostrorum, quæ, ubi exposita ei fuerit, omnino præferenda erit.

Insuper in Altaribus non erit in usu aurum, argentum, byssus, nec holosericum, præterquam pro Ciborio, Calice, & Patena, Vasculo sancti Olei, Velis Tabernaculi, & Calicis, sed omnia sint simplicia, nitida, & honesta: Casulæ nostræ, & antipendia Altarium poterunt esse ex cameloto, & materia undulata, vel serico intexta, mappæ Altaris commodè subtiles, candidissimæ, & Corporalia sint pulchra, & optimè adaptata, candelabra sint lignea bene dolata.

Et, ut non tantùm in rebus, quarum usus est, sed etiam in omnibus ædificiis & structuris reluceat spiritus simplicitatis, statuitur, & præcipitur Sororibus præsentibus, & futuris, ne recipiant Conventus, Ecclesias, & ædificia pro eis constructa, nisi sint conformia simplicitati Sancti Francisci, utpote cum sint verè pœnitentes, & peregrinæ super terram.

Et quia postremis hisce temporibus Reverendi Patres Capucini, Religiosi, & Filii ejusdem Patris Sancti Francisci, selegerunt quamdam formam valde simplicem ad suarum Ecclesiarum constructionem, statuitur, ut illi nobis pro exemplari subserviant ad conformitatem sequentis prototypi, & mediæ palmæ appositæ in fine harum Constitutionum, ut subserviat pro mensura certa, & ordinaria.

Cellulæ non excedent in longitudine, & latitudine novem palmas, in altitudine decem; portarum altitudo erit septem palmarum, & latitudo duarum cum dimidia: Fenestræ altæ duabus & media, latæ una cum dimidia: Ambulacrum Dormitorii non excedet tredecim palmas: Casu tamen, quo aër sit valde corruptus, poterit additio fieri usque ad quatuordecim palmas. Claustra poterunt esse octo palmis lata. Quantùm ad longitudinem officinarum, ut plurimum convenit secundùm situm loci, in quo ædificantur, de ea statuere; igitur casu, quo locus est sufficienter amplus pro nostris Conventibus, qui sunt triginta personarum, Chorus poterit extendi usque, nec poterit excedere triginta duas palmas. Refectorium non poterit excedere quadraginta palmas, Triclinium duodecim: Cavea poterit in longitudine habere triginta quinque palmas: Culina, & calefactorium, erunt quadrata ad latitudinem ædificiorum: communis officina, seu operatorium habebit triginta duas palmas, cui officinæ proximæ construetur parvus locus ad instruendas Novitias in iis, quæ sui officii sunt.

In singulis Conventibus construi debebit Infirmarium, ex quo videri poterit celebranda Missa in majori Altari, aut in parvo sacello Ecclesiæ, quod & eo modo disponatur, ut Sacerdotes commoditer possint administrare Sacramenta Sororibus Infirmis per cancellos, aut cratem, quæ ad hunc effectum ibi collocabitur, loco congruo, & convenienti, ut ea ratione rarò necessarium sit ingredi clausuram nostram pro spiritualibus necessitatibus Sororum infirmarum.

Et ad perfectiorem simplicitatis & paupertatis observantiam statuitur, ne dealbentur officinæ nostrorum Conventuum, nec cellulæ Sororum; poterit tamen dealbari Chorus, Sacristia, & Oratoria, seu Eremi, loca ordinata ad recollectionem, aut exercitia spiritualia: Et hoc, quia hæc loca omnia sunt destinata ad pietatem. Infirmaria poterunt similiter dealbari, ut eò magis sint clara, & recreativa ad usum pauperum Sororum infirmarum.

Super omnia prohibetur, ne tam in Oratoriis, quàm in Ecclesiis, & in aliis omnibus habitaculis fiant fornices, sed sint simplex opus intestinum pro Ecclesia, & Choro, aut litura; Ecclesiæ sint parvæ, simplices, sed devotæ, nitidæ, & honestæ. Sitque unica campana, pondere centum quinquaginta librarum, aut circiter, nec sint ultra tres Calices in singulis Conventibus: super Altare sit Tabernaculum pro Sacrosancto Sacramento, magnitudinis convenientis.

Similiter inhibemus usum vitrorum,

aut

aut fenestrarum in nostris Conventibus, cujus loco utentur charta, tela cerata, aut corneis, præterquam in Ecclesia, Choro, Sacristia, Infirmario, culina, & loco ad abluendas scutellas designato, quæ nihilominus erunt simplices fine ulla pictura, aut insigniis.

Utensilia omnia nostra sint simplicia, lignea, aut terrea; at in Infirmario poterunt haberi quædam vasa stannea, si non possint haberi terrea, aut lignea pro infirmis, ita tamen, ut extra Infirmarium eorum non sit usus; tam in utensilibus, quam in quibuslibet aliis caveatur à superfluis.

Nullatenus Sorores habeant in cellulis suis cistas, armaria, aut picturas, sed unam tantùm, aut alteram Imaginem chartaceam, cum parvo Crucifixo ligneo, quod nec sit deauratum, nec pictum, nisi in quinque vulneribus, & vasculo aquæ lustralis terreo, idque cum Superiorissæ licentia.

Nulli Sororum liceat recipere, aut dare valorem Imaginis, fine expressa licentia Matris Ancillæ.

In mensis nostris non sit usus mapparum, sed singulæ Religiosæ utantur parvo marsillo.

Lintea, quæ Sorores ad necessitatem suam habere debent, uti & strophiola, paramenta, mantilia, & lintea pro infirmis sint in communitate, & una Sororum curam habeat, ut illa conservet, ac distribuat aliis indifferenter, & fine delectu.

Earum libri pariter sint in communitate pauci, Sorores nihil in hoc mundo possideant in particulari, sed omnia sint in communi, & charitativè illis omnia necessaria tradantur, sicut communitatis Præfecta sine delectu illis assignaverit.

Quæ deprehensæ fuerint infractrices sanctæ paupertatis, & simplicitatis, seriò puniantur, & Mater Ancilla illis injungat pœnitentiam juxta gravitatem delicti & culpæ, ut dictum est *Cap. de Pœnitentiis*.

CAP. X.

Quod Sorores non habeant familiaritatem, aut conversationem, nec ullas personas admittant in Conventum: de modo loquendi ad cratem, aut in loco colloquii.

Quoniam puritas cordis, quod est oculus, quo Deus videtur, facilè fœdari, & suum splendorem deperdere potest per mundanam conversationem, ob hanc causam expressè prohibetur, ne misceantur colloquia, aut conversatio habeatur cum Viris, aut Mulieribus, aut Puellis sæcularibus, quia nimia familiaritas extinguit spiritum devotionis, & generat infinitas inquietitudines, ac distractiones.

Quare statuitur, ne ulla Sororum, nequidem Mater Ancilla, nec Portariæ, solæ cum solis cum quoquam loquantur, sed semper præsentibus duabus, aut tribus Religiosis, ad hoc à Superiorissa specialiter deputatis, quæ, quantùm fieri poterit, erunt Discretæ, adeo, ut colloquium inchoare non liceat, donec dictæ Deputatæ præsentes sint, ut, quod dicetur, audiant, nisi interdum dispensante Matre Ancilla, ita expedire judicante cum personis Ecclesiasticis, aut Religiosis, pro negotiis animæ & conscientiæ, & nunquam aliàs; hocque tantùm usque ad pulsum Vespertinum, nec excedatur. Non licebit loqui ad cratem, aut etiam loco colloquii tempore Missæ, aut Officii, aut Orationis, nisi propter urgentem necessitatem Superiorissa permittere debeat id cum personis externis, quæ non possunt in aliud tempus commodè remitti.

Et, quia narratur de Sancto P. Francisco, quod illi per Dominum nostrum revelatum est, quod Fratres in salutatione aliorum deberent ad imitationem Jesu Christi dicere *Pax tibi sit*; præcipitur Sororibus, ut etiam hac salutatione Evangelica utantur.

In nostris Conventibus erit solus turnus separatus à loco colloquii conjuncto, aut aliàs locus vicinus, aut supra illum, ad tractandum cum Sæcularibus.

Et ante cancellos, & cratem, ubi colloquium habetur, affigatur tela nigra adintra duplicata telâ griseâ, ut inter colloquium Sorores nec videant, nec videri possint: sed, si aliqua persona ex pio affectu moveretur ad illas videndas, non licebit tunc illis loqui, quamdiu cancelli sunt aperti, nisi hoc permittat Mater Ancilla in favorem personæ notabilis qualitatis, aut propter rationes considerabiles, & cum Directoris licentia.

Nihilominus videre possunt, imò discopertâ facie agendum est cum illis, quæ se præsentabunt Religioni, ut tantò meliùs dignoscantur; sed nulla ratione ulli Sororum, imò nec Superiorissæ liceat bibere, aut comedere ad cancellos, aut cratem.

Similiter nulli Sororum liceat recipere litteras missivas, aut scribere, nisi priùs à Matre Ancilla lectæ fuerint, aut per unam aliam Religiosam ab illa constitutam, quæ curam habebit illas claudendi, sigillandi, & dirigendi.

Durante majori Quadragesima Ecclesiastica incipiente à Quinquagesima, & Adventu incipiente à festo Omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini Nostri, sicut & aliis duobus diversis temporibus signatis

Capite V. quibus servabitur continuum silentium: & insuper omnibus diebus Dominicis, & festis nulla Sororum loqui poterit in loco colloquii, nisi externis, extra Civitatem habitantibus; non poterunt etiam videri ad cratem, nec etiam tempore Quadragesimæ, & Adventûs, nec ullas litteras scribere. Poterit tamen Mater Ancilla, & Portaria loqui, quando expediens fuerit, & Mater Ancilla poterit scribere litteras, quando pro gloria Dei, & debito officio suo conveniens fuerit, imò interdum id aliis permittere suo prudenti judicio.

Insuper statuitur, ne Sorores Viris, aut Mulieribus concedant ingressum, sed facultas dandi licentiam in casu urgentis, & inevitabilis necessitatis spectat ad Episcopum, & . . . . . talem, qualem Ordinationes Ecclesiasticæ permittunt, concedat; sed pro necessitate spirituali Infirmarum, licebit Confessario ingredi, ad administranda illis Sacramenta, ad consolandas illas in agonia mortis, & quando Superiorissa necessarium judicabit, pro consolatione Infirmarum prædictarum.

Medici, Pharmacopolæ, & Chirurgi poterunt etiam ingredi ad visitandas ægrotas, & ad illis applicanda remedia necessaria, & convenientia earum infirmitatibus; & ut proximo bonum exemplum præbeatur, à primo ingressu portæ usque ad ejus regressum, continuò comitetur eos Mater Ancilla, aut ejus Vicaria, cum duabus Sororibus, & Discretis, magno suo Velo usque ad Cingulum obvelatis, adeo ut ab illarum præsentia separare se se nequeant: quare una illarum præcedet, ut eos eò ducat, quò convenit, pulsante nola, ut illæ, quæ non sint similiter velatæ, secedere moneantur.

Poterit etiam dari ingressus operariis, ut fabris Murariis, Lignariis, Vectoribus, & aliis similibus, sine quorum subsidio Religiosæ solæ non poterunt executioni mandare quædam, quæ necessaria fieri, aut componi debent: idque claro die, & quantùm eorum opera requiritur, nec amplius.

Et quando secundùm hunc modum aliquem Sæcularem, Conventum ingredi convenit, Sorores, quæ cum illis agent, aut eos deducent, habebunt faciem suam coopertam velo suo majori nigro; quod ipsum observabunt etiam, quando cratis Chori aperta fuerit, in vestiturâ, aut professione Novitiarum; Et quando Sorores audient prædicationem ante cratem, quæ cratis non aperietur ad effectum prædicationis, nisi in parte superiore, ita ut Sæculares non possint conspicere in Chorum Religiosarum, sed solus Concionator per partem superiorem.

Ad hunc effectum claudetur cratis adintra duobus foliis ligneis, quæ fendentur ad partem superiorem, idem fiet ad extra; fiet etiam ad extra ad aliquam competentem distantiam à crate cortina, quæ claudetur interea, dum Sacerdos dabit communionem Sororibus, ne à Sæcularibus conspiciantur.

Portæ clausurarum nostrarum sint duplicatæ congruâ distantia separatæ: eædem portæ claudentur ferramentis fortissimis, & cancelli, aut crates, per quas colloquium habetur cum externis, sint duplicatæ, sic, ut sint duo cancelli, è regione invicem positi cum distantia circiter pedali.

Major crates Chori, per quam administratur Sacra Communio Sororibus, & auditur Concio, uti & crates, per quam interdum Religiosæ conspiciuntur, sint fortissimæ, & insuper punctis ferreis armatæ.

In muro, qui elevatur inter Ecclesiam, & Chorum Religiosarum, erunt à superiore ejus parte duæ fenestræ à latere Altaris, ut cantus Sororum possit intelligi; quibus fenestris erunt similiter ferreæ crates armatæ similibus punctis.

In nova fabrica, nec Superiorissa, nec Sorores agant inter operarios, & operas, nisi, ubi ad aliquid determinandum omnino necessaria sit earum præsentia. Dabunt igitur operam, ut seligatur aliquis Vir probus, & industrius, qui ejus curam gerat pro Deo, quod si non occurrant ultronei, pecuniâ sibi provideant potiùs, quàm inter fabricas se spectandas exhibeant.

CAP. XI.

De institutione Superiorissæ, & aliarum Officiariarum.

In singulis Conventibus hujus Ordinis erit una Superiorissa canonicè electa. Ut autem electio canonica sit, ad minus duas tertias vocum à Sororibus professis habeat, quæ absolverint quartum annum in nostra Congregatione, & ab ipso Reverendissimo Episcopo Diœcesano confirmata sit, cui omnes Sorores obedire tenebuntur in omnibus, quæ non sunt contra animæ salutem, contra Regulam nostram, & has nostras præsentes Constitutiones; quæ electio fiet secreta, ita, ut nomina Eligentium nunquam manifestentur, singulis liberè illam eligentibus, quam secundùm Deum in conscientia judicabunt esse magis idoneam, & capacem ad tale officium, sine acceptione personarum, præsente Reverendissimo Episcopo Diœcesano, aut uno ab ipso Deputato de Clero, ad terminandas difficultates, quæ possint accidere, & dictam electionem confirmandam.

Sed illa, quæ Communitatem sequi non po-

potest, nullâ ratione eligenda est; & casu, quo difficultas perseveret, Episcopus, aut ejus Deputatus eam terminet, habito priùs consilio Seniorum, & Discretarum, prout convenire judicabit, servato insuper, quod in ordine ad rem hanc in nostro cœremoniali continetur, & hoc satis conformiter Sororibus de passione.

Superiorissa in officio continuetur non minus, quàm tribus annis, & tunc certissimè fiet nova electio, ut aut eligatur alia, aut eadem ad alterum triennium continuetur, si secundùm Deum, & in conscientia convenire judicaverint pro bono spirituali, & temporali sui Conventûs, ita ut non liceat ulterius illam continuare in tali officio, nisi, ubi vacârit tribus annis, imò nec ullum aliud officium habere primo anno suæ absolutionis, quod sit de numero eorum, quæ per electionem distribuuntur, sed tantùm annis sequentibus, præterquam in Conventibus novissimè acceptatis, in quibus Superiorissa poterit continuari ad tertium triennium, nec illud excedatur.

Statuitur insuper, ut Superiorissæ Communitatem observent in omnibus, & in nullo eximantur ab austeritatibus, vigiliis, & mortificationibus, jejuniis, silentio, onere, & paupertate Religionis; sed super omnia nullo modo se absentent ab officio Chori, & horarum ordinariarum orationis, præterquam in casu valde gravis, & urgentis necessitatis, sui bonum exemplum præbentes omnibus Sororibus, & adimplentes pœnitentias per Constitutiones ordinatas, in casu absentiæ illegitimæ.

Quod respectu officii sui nullam singularitatem habeant, nec in victu, nec in vestitu, nec in ulla re alia, quæ in suum usum vertatur, sed contentæ sint iis, quæ per Regulam, & ordinationes Religionis illis permittuntur, secundùm præsentes Constitutiones, uti & omnes aliæ Sorores.

Quæ electio fieri poterit infra octavam Seraphici Patris Nostri S. Francisci, ut per exercitia eamdem Solemnitatem præcedentia comparatæ, possint efficaci ipsius interventione à Domino Deo obtinere Superiorissas, & Officiarias tales, quæ possint in veritate illas dirigere secundùm spiritum vocationis suæ.

Discretarum electio, secundùm quarum consilium Mater Ancilla tenebitur procedere in omnibus negotiis alicujus momenti, quæ ad Monasterium pertinent, fiat pariter per Sorores quatuor annorum professas, singulis annis, eodem tempore, eodem modo, vocibus etiam secretis, & illæ, quibus cedet pars vocum major, electæ erunt, & pronunciabuntur per Reverendissimum Dominum, aut Deputatum. Directorem spiritualem pro Discretis Conventûs, quæ tamen etiam non possunt continuari ultra triennium.

Illa, quæ inter quatuor Discretas habitura est plures voces, erit Vicaria, & conabitur exsolvere id, quod illi incumbit sub directione Matris Ancillæ, utpote quæ prima sit Discretarum.

Mater Novitiarum, Portariæ, Sacristanæ, & Syndicæ designabuntur etiam per præfatum Directorem, Matrem Ancillam, & Vicariam petito prius consilio Discretarum; nec continuabuntur ultra triennium, nisi subsit causa particularis, imò ne ulla se existimet proprietatem habere sui officii, licebit eisdem eas absolvere, aut interdum extraordinariè mutare, seriò prohibentes, ne in casu mutationis ulla mussitet, aut in favorem, aut in præjudicium promotionis suæ loquatur, in pœnam correctionis.

Et quantùm in illis est, non solùm abstinere debent ab omni ambitu, utpote spiritui nostro omnino repugnante, quin potiùs magis optare debent subesse, & obedire, quàm in officio esse, & Superiorem agere. Nibilominus illæ, quibus committentur officia, non sint in recusando pertinaces, in omnibus humiliter deservientes Sponso suo Jesu Christo, & Sororibus, imò in hoc ipso se simplices, & obedientes exhibentes, uti & indifferentes, quando privabuntur, juxta dictum Seraphici Patris nostri Sancti Francisci, quod non majorem habere debemus repugnantiam, quando superioritas à nobis tollitur, quàm si onus ablnendi pedes Sororum nobis aufferretur.

Singulis annis circa illud tempus Reverendissimus Dominus per se, aut per suum è Clero Deputatum juxta cœremoniale nostrum, Conventûs nostri Visitationem faciet.

CAP. XII.

De officio Zelatricis, & charitativa correctione defectuum quotidianorum, & aliorum.

Unum ex primariis officiis, & debito charitatis est, prudenter, quod præscribitur, ad praxim reducere, non tam, ut alienentur corda à graviorum patratione delictorum, quàm, ut ea ad perfectiorem sanctitatem promoveantur; quare jure merito inter ea censeri debent correctiones, quæ secundùm consuetudinem Sanctorum, in Claustris, & Monasteriis exercentur.

In hunc finem statuimus, ut in singulis nostris Conventibus, singulis septimanis per So-

Sorores feniores profeffas, una Soror defignetur, quæ Zelatrix vocabitur, quæ obligabitur notare defectus per Sorores commiffos, tam contra præfentes Conftitutiones, quàm id omne, quod deficiet contra fpiritum vocationis noftræ, in hoc Capite expofitum, & notatum.

In quem effectum fingulis fextis feriis anni poft Miffam Conventualem, nifi fit feftum ad populum, quo cafu, præcedente, aut fubfequente die magis opportuno, Sorores omnes, imò & Novitiæ ad fonum tegulæ convenient in Refectorio, ubi fingulis ordine fuo difpofitis debebit, & obligabitur eadem Zelatrix dicere, & charitativè proferre fincerè, & fine exaggeratione dictos defectus, & imperfectiones, ob quam caufam, illo die, antequam illud officium exequatur, debebit unâ horâ vacare orationi, ut in fimplicitate fpiritûs in eo procedat, fine diffimulatione, & paffione.

Incipiat à Novitiis, quæ recedent, antequam procedatur ad Profeffas. Ut primùm aliquam defignaverit, illa fe in genua profternet in medio Congregationis, quod illi dicetur, auditura in fpiritu fimplicitatis, fine replica, aut excufatione ulla, memor, quod Dominus Deus cum accufaretur, tacuerit; nifi Superioriffa illam jubeat reddere rationem ejus, de quo accufatur, quod tunc præftare poterit, fed coactè, & fobriè: quæ contrarium fecerit, ad arbitrium Superioriffæ graviter punietur.

Zelatrix fingularum defectus proferet uno contextu, Superioriffa pœnam impouet, qualem cafus merebitur, vel fi communicationem poftulet, punitionem fufpenfam habebit.

Si quæ inter Sorores non accufabitur à dicta Zelatrice, motu proprio culpam dicet, juxta praxim ordinariam Religionis, expofitam Capite VI.

Et, ne Superioriffa privetur hoc charitatis beneficio, & ad cognofcendas imperfectiones fuas eamdem Zelatricem, & Sorores omnes humiliter rogabit, ut privatim illas fibi velint aperire.

Quod, fi aliqua per internam fuperbiam fuam ita efferretur, ut dictæ Zelatrici indignationem aliquam propter fui accufationem teftari vellet, tenebitur eadem Zelatrix eam deferre Superioriffæ, quæ dictam immortificatam puniet, eam collocando in numero Juniorum profeffarum, cum alia pœnitentia, fecundùm fuam difcretionem; quod fi Junior profeffa fuerit, procedetur juxta id, quod pofthac ftatuetur, & fi dicta Zelatrix reprehendatur connivere, puniatur pœnâ condigna fuæ diffimulationi.

Eâdem die Superioriffa Communitati proponere poterit id, quod expedire judicabit pro fpirituali, aut temporali negotio Conventûs, & fimiliter fupplicare Sororibus, ut idem præftent, fi aliquid fciant, quod conducat ad augmentum honoris Dei, & bonum Religionis.

Et, cum infuper Regula noftra Ordinis noftri nos obliget ad pœnitentias, quæ à Superioribus, nobis pro culpis contra Regulam commiffis injunguntur, adimplendas, quam ob caufam appellamur Religiofæ de Pœnitentia, & cum aliunde etiam debeamus complere pœnitentias nobis à Superiorifsa injunctas, pro infractione præfentium Conftitutionum, unde obligatio unius eft major, quàm obligatio alterius.

Quare, licèt mallemus Sorores noftras amore dirigere, quàm pœnarum formidine, nihilominus, quia interdum minus perfectè occurrunt, quæ per pœnitentiam evincunt, quod clementiâ, & per purum officii debitum non poffent obtinere; judicavimus bonum effe hîc pœnas quafdam, & correctiones præfcribere.

Culpa commiffa contra articulum harum Conftitutionum, in cafibus hîc non fignatis, in numero levium culparum cenfebitur; quæ cum relictæ fint arbitrio Superioriffæ, poterunt effe tales, nimirum dicere aliquem Pfalmum, aut orationes, ofculari pedes Sororum, orare brachiis extenfis ad difcretionem, rogare preces Sororum genibus flexis ad januam Refectorii Sororibus egredientibus; petere eleemofynam à Sororibus in Refectorio, manducare in terra, quod dabitur, nec ampliùs, privari portione aliqua, Crucem ferre fuper humeros, ferre cordam in collo, & fimilia.

Sed cum fundamentum vitæ Religiofæ fit obedientia, & bafis, ac lapis fundamentalis ad confervationem Religionum, quare ab illa ordientes ftatuimus, quod illa, quæ fuerit inobediens, & per manifeftam rebellionem (ubi fui officii præmonita fuerit) mandato Matris Superioriffæ non obtemperaverit, quod illi in particulari, aut omnibus in genere fuerat intimatum, illa de confilio Directoris, Superioriffæ, & Difcretarum conftituatur in difciplina cum jejuniis, & abftinentiis plus, vel minus juxta quantitatem, & qualitatem delicti ad minus fpatio duarum hebdomadarum aut ampliùs, nifi in veritate converfa, & humiliata fuerit, & privetur ad annum voce tam activa, quàm paffiva.

Quapropter in fingulis Conventibus hujus Ordinis fiet una Camera difciplinæ, & correctionis, quæ fit fortis, humanitati tamen confentanea.

Illa, quæ in verbis, geftibus, aut aliis actio-

actionibus notabiliter deficiet in respectu, aut reverentia erga Superiores, de mandato Superiorissæ faciet disciplinam in Refectorio spatio unius Miserere.

Si quædam verbis litigare præsumpserit contra Superiorissam suam, aut illi aliquid exprobrare, faciat disciplinam in Refectorio, tribus sextis feriis sequentibus, & eisdem diebus comedat in terra genibus flexis, & nihil sumat præter panem & aquam. Sed illa, quæ haberet consuetudinem tales defectus committendi, & difficilem se exhiberet in regimine, ponatur in numero juniorum professarum, dicat culpam singulis diebus, faciat disciplinam singulis sextis feriis in Refectorio, loquatur genibus flexis, voce activa & passiva privetur ad minus spatio trimestri, aut amplius, nisi notabiliter correcta fuerit.

Quantum ad culpas contra Superiorissam commissas, quando pœnitentia excedet disciplinam, Superiorissa non sit sola Judex, sed utatur consilio quatuor Discretarum, ut simul judicent, si excessus, aut culpa talis sit, quæ pœnitentiam per Constitutiones designatam mereatur.

Illa, quæ in Congregatione, aut præsentia aliarum verbis de Superioribus murmuraverit, aut de earum ordinationibus, prima vice, qua reprehensa fuerit, pro pœnitentia ei injungetur, ut recitet quinque Pater noster, & Ave Maria. Secundâ vice una disciplina in Refectorio, sumendo panem & aquam in terra: sed si in suis murmurationibus perseveraverit, de consilio Discretarum constituatur in ordine Juniorum professarum, & modo, quo dictum est suprà.

Si (quod Deus avertat) aliqua deprehenderetur proprietaria in tali gradu, quod culpa esset mortalis, constituatur in loco disciplinæ, & eo modo puniatur, quo dictum est primo articulo, quo agitur de obedientia.

Si aliqua talis in morte deprehenderetur (quod Deus avertat) privetur Ecclesiastica sepultura; quod tamen non mandetur executioni, nisi prius Reverendissimus Episcopus loci moneatur, vel deputatus Director spiritualis.

Si Soror Syndica adeo sui oblivisc atur, ut recipiat, vel donet pecuniam alterâ vis, & modo, quàm præsentes Constitutiones permittant, privetur officio suo, & voce tam activa, quàm passiva anno integro, & gravioribus pœnitentiis puniatur, si excessus mereatur: Si autem aliquid commiserit contra Regulam, collocabitur insuper in ordine Juniorum professarum eodem temporis spatio, quod totum fiat per Superiorissam, & Discretas, habito super hoc Directoris consilio.

Illa, quæ daret, aut reciperet partem parvam (quæ etiam valorem imaginis non excederet) sine Superiorissæ expressa licentia, aut, quæ sine licentia aliquid parvum in usum, aut necessitatem suam reciperet, aut sine mandato Superiorissæ aliis distribueret, semel faciat disciplinam in Refectorio.

Si aliqua laberetur in vitium carnis, constituatur in loco disciplinæ cum jejunio, & abstinentia ad discretionem Superiorum, & tota vita privetur voce activa, & passiva.

Et quia tertio Capite præsentium Constitutionum prohibetur Sororibus multo sermone agere cum Novitiis, si aliqua, aut diu loqueretur, aut de rebus non congruentibus officio suo cum Novitia, semel faciat disciplinam in Refectorio, & manducet in terra; &, si in hoc perseveret, Superiorissa injungat majores pœnitentias.

Ea, quæ sine licentia absens fuerit ab aliquo officio Chori, aut à Sacro, aut ab Oratione, aut prædicatione, aut à lectione communi, aut à solitudine in cella, tempore per Constitutiones designato, cum culpa, semel in terra comedat panem & aquam, nisi Superiorissa habeat causam judicandi culpam abfuisse.

Si aliqua professûs sui curam non habens per suam culpam, aut negligentiam, omitteret se se disponere ad Confessionem, & Communionem certis diebus per has Constitutiones ordinatis, Superiorissa injungat pœnitentiam culpæ suæ condignam.

Si aliqua altercetur cum alia, aut seminet jurgia, & discordias inter Sorores, graviter puniatur, pro prima vice faciat disciplinam in Refectorio, pro secunda, faciet disciplinam, & comedet in terra panem, & aquam, pro tertia, collocabitur in numero Juniorum professarum, secundùm modum, & tempus, ut suprà.

Si aliqua Sororum in loco colloquii misceret sermones de rebus mundanis, monebitur Superiorissa per unam Sororem, quæ illius interfuerit consortio, & faciat disciplinam in Refectorio spatius unius Miserere, & comedet in terra, & si præsentes dissimulent monitionem, Superiorissa; ubi hoc rescivérit, imponat illis eamdem pœnitentiam.

Illa, quæ loqueretur in turno, aut collocutorio, Sororibus secundùm Constitutiones requisitis non comitata, faciet disciplinam spatio unius Miserere, & se prosternet ad portam Chori, pedibus Sororum gutturi suo appositis; aut casu, quo ita consueverit, graviorem pœnitentiam subeat juxta discretio-

tionem Matris Ancillæ, & Sororum Discretarum.

Soror, quæ difficilem se exbibuerit in acceptando aliquo officio, aut onere, quod Superiorissa illi vellet imponere, aut se involuntariam exhibuerit in eo adimplendo, jejunabit uno die in pane, & aqua, & eodem die faciet disciplinam in Refectorio, & casu, quo perseveraverit, Superiorissa duplicabit pœnam.

Si aliqua adeo sui oblivisceretur, ut loqueretur de injunctis pœnitentiis, aut reprebensionibus factis per Superiorissam, aut in Refectorio, aut in culpa, aut in aliis locis & occasionibus, pro prima vice comedat in terra, pro secunda tribus feriis sextis faciat disciplinam in Refectorio, & comedat in terra panem & aquam, & si continuet, tribus mensibus redigatur in ordinem Juniorum professarum.

Quæcumque reperietur scripsisse, aut recepisse litteras, priùs Superiossæ non ostensas, aut quæ consignaret alicui Sorori litteras, aut dirigeret aliquas per unam Sororum scriptas, nisi hoc illi commissum esset à Superiorissa; sicut & illa, quæ deprehensa esset verbo, vel scripto revelâsse secreta Religionis, hæ per annum privabuntur voce activa & passiva, & injungentur illis aliæ pœnitentiæ juxta discretionem Superiorissæ, & Discretarum, quæ augebuntur secundûm qualitatem excessûs.

Sed si portæ, aut turni Præfecta adeo oblivisceretur sui, ut consignaret, vel dirigeret litteras sine ordinatione Superiorissæ, redigatur tribus mensibus in ordinem Juniorum professatum, & in instanti ab officio suo deponatur.

Si aliqua ex Junioribus professis, quæ non complevisset quatuor annos in Religione, aliquos excessus committeret, pro quibus Seniores redigerentur ad tempus in ordinem Juniorum professarum, illius loco, illæ Juniores professæ comedant tanto tempore feriis sextis in terra, faciant disciplinam in Refectorio feriis quartis, & tales alias pœnitentias, quales Superiorissa per consilium Discretarum expedire judicaverit; quo tempore in nullis casibus proferent suam sententiam, secundùm consuetudinem Juniorum professarum, quæ necdum voce gaudent.

Soror, quæ in Refectorio dictâ culpâ superbè responderet, aut quomodocumque non petitâ priùs facultate à Superiorissa loqueretur, aut se excusaret, faciat disciplinam in Refectorio spatio unius Miserere.

Non possit Superiorissa dispensare de pœnitentiis præfatis, sed eas injungat iis, quas ejusmodi excessus commisisse cognoverit, nisi tali casu, & circumstantiis judicârit convenire, id debere fieri pro gloria Dei, & nihilominus tali casu tenebitur audire consilium Discretarum, & de consensu illarum dispensare, aut saltem majoris partis illarum.

Et conformiter ei, quod hîc expressum est de pœnitentiis, Superiorissa poterit de consilio quatuor Discretarum, si excessus sint graves, & scandalosi, se regulare pro aliis excessibus, qui committi poterunt, quos hic scriptò mandare judicatum fuit non expedire, studentes in omnibus ejusmodi casibus conjungere benignitatem, mansuetudinem, & charitatem cum justitia, & severitate, ea ratione, ut finis correctionis perfecta emendatione terminetur, & cum salute animarum, & bona ædificatione Religionis, quæ semper conservetur, imò & Sorores proficiant in meliùs secundùm sanctam vocationem suam ad majorem Dei gloriam.

Igitur, charissimæ & dilectissimæ Sorores in Christo Jesu, hic est modus, vita, & dispositio nostrarum Constitutionum Regularium, in quarum perfecta observantia voluimus, & elegimus toto tempore vitæ nostræ servire Omnipotenti Domino, & animarum nostrarum Sponso, pro ejus imitatione & amore: viriliter itaque illud exequamur, dignas nos exhibentes, quæ humiles, & fideles ejus famulæ usque in finem inveniamur recepturæ ab illo coronam gloriæ, & mercedis æternæ. Simus semper memores notabilium verborum gloriosi Patris, & Patriarchæ Seraphici S. Francisci, *si magna videntur ea, quæ Deo Sponso nostro promisimus, incomparabiliter majora ab illo promissa sunt nobis: si servemus hæc, suspiremus ad illa. Voluptas brevis. Modica passio; Pœna æterna. Gloria infinita; Multorum vocatio, Paucorum electio, omnium retributio:*

O charissimæ & dilectissimæ Sorores in Christo Jesu, cum propter infinitum excessum bonitatis suæ ei placuerit nos omnes misericorditer vocare ad statum hujus pauperis, & humilis vitæ de Pœnitentia, & observantiam præsentium Constitutionum, studeamus nos omnes propter ejus infinitum amorem, & singulariter propter memoriam, & merita ejus dolorosissimæ mortis, & passionis, & Crucis, illas purè, & perfectè observare, in illis perseverare usque in finem cum sancta operatione, & iis, quæ in futurum nos secuturæ sunt, perfectum exemplum relinquere puræ, & integræ disciplinæ Regularis. Et quæcumque servabit hæc, in Cęlo benedictione Sanctissimi Patris cælestis repleatur, & in terra benedictione dilectissimi Filii ejus, Jesu

Chri-

Christi, cum sanctissimo Spiritu Paraclito, cui sit honor & gloria nunc & in sæcula. Amen.

Laus Deo, Mariæ, Francisco.

Mensura mediæ palmæ.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Episcopus plurimùm cupiat præinsertas Constitutiones hujusmodi pro inviolabili earum observatione Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri, Nos piis dicti Episcopi votis hujusmodi annuere, ac Sorores prædictas spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, earumque singulares personas à quibusvis excommunicationis &c., & absolutas fore censentes, supplicationibus ejusdem prædicti Episcopi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, præinsertas Constitutiones hujusmodi ab eisdem Cardinalibus jussu nostro recognitas & emendatas, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ confirmationis robur adjicimus, ac omnes, & singulos tam juris & facti, & quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes Constitutiones easdem perpetuò validas, firmasque subsistere, & à prædictis Sororibus nunc, & pro tempore existentibus perpetuò inviolabiliter observari, & adimpleri debere; irritumque, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetodinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Novembris MDCXXX. Pontificatûs nostri anno octavo.

Autograph. in Arch. Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædict. fol. 518.

Fr. Basilium de Aria Visitatorem Ordinis S. Pauli, primi Eremitæ, cum Episcopo Bosnæ constitutum esse, Sigismundo, Regi Poloniæ & Sueciæ significat.

Charissimo in Christo Filio nostro, Uladislao Sigismundo, Poloniæ & Sueciæ Regi illustri.

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religiosus Ordo Sancti Pauli, primi Heremitæ, quod à pristina morum disciplina, atque à veteri optimarum legum observantia ad solutiorem quandam vivendi licentiam prolapsus est, eorum operâ indiget, per quos ad majorum suorum instituta, ac severiorem antiqui juris normam revocetur. Ejus rei curam Venerabili Fratri, Bosnæ Episcopo, & dilecto Filio, Basilio de Ayre, ex Ordine Capucinorum, spectatæ probitatis, ac prudentiæ Viris demandavimus, quos hac ipsa de causa Apostolicos Visitatores constituimus, ut, quidquid in eo corruptum, ac depravatum repererint, instaorent, atque restituant, pravas consuetudines de medio tollant, ac leges, quas rectæ illius gubernationi necessarias, atque opportunas fore existimaverint, condant, atque promulgent. Si qua in re patrocinio Majestatis Tuæ, vel tuorum illis opus erit, eos Tibi majorem in modum commendatos esse cupimus, ut, quotiescumque auxilium tuum imploraverint, nihil à Te desiderari patiaris: ita enim in

in partem venies procurationis Deo gratissimæ, Teque Ecelesiastiei decoris (quemadmodum adhue fecisti) studiosum præstabis. Majestati Tuæ Apostolieam Benedictinnem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Februarii MDCXXXIII. Pontificatûs nostri anno decimo.

Franciscus Herrera Secret.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes Regesto ann. & mens. prædict. fol. 70.

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Conventus Insulenses in Custodiam, & Provinciam eriguntur, locis sub Dominio Regis Christianissimi existentibus eidem unitis.

SAcra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, stante remissione libelli per Sanctissimum Dominum Nostrum facta, & attentis relationibus Eminentissimorum duorum Cardinalium Acciajoli, dicti Ordinis Capucinorum Protectoris, & Felicis Rospigliosi, ejusdem Ordinis apud Sanctam Sedem Comprotectoris, censuit supplicem hunc libellum posse remitti eidem Eminentissimo Comprotectori, ut veris existentibus causis petitam prædictarum Provinciarum variationem juxta præfatorum Dominiorum diversitatem, pro suo arbitrio, & prudentia Oratori impertiatur; Ita tamen, ut numerus ipsarum Provinciarum minimè augeatur, sed duæ semper, & non ultrà, perpetuò permanere debeant. Romæ 28 Maji 1683.

Et die quarta Junii ejusdem anni facta de præmissis relatione Sanctissimo Domino Nostro, præfatæ Sacræ Congregationis sententiam benignè approbavit.

Autograph. in Arch. Secret. Congreg. mens. & ann. præd.

N O T A.

REducit Provincia (ut supra dictum est) originem suam ad annum 1585. quo Antverpiæ Conventum, totius Flandriæ primum, constructum fuisse alibi retulimus: strictiùs tamen, & attento moderno systemate & statu, quo ab aliis Flandriæ Provinciis secta jam est, redigenda esse videtur ad annum 1592. quo Capucinos, sola cruce Civitatem Insulensem ingredientes, Ecclesia Collegiata ibidem gratiosissimè excepit, & per biennium ab ea fotis Illustrissimus Civitatis Magistratus Conventum adinterim construxit, in quo & tria prima Capitula Flandriæ fuerunt celebrata, & qui anno 1740. avita ejusdem Illustrissimi Magistratûs, Civitatis, & locorum vicinorum liberalitate, ac insignissima Reverendissimi & Amplissimi Domini Laurentii Derocque, inclyti Monasterii Cysoniensis Abbatis charitate ad commodam centum Religiosorum habitationem fuit reædificatus. Provinciæ jam anno 1588. erectæ unionem disrupit diversitas idiomatis anno 1616. quo secta est in duas, Flandricam videlicet, & Wallonicam, à qua ultima ad instantias Regis Christianissimi Conventus Insulensem, Tornacensem, Duacensem, Armentatiensem &c. anno 1671. separari, & in custodiâm particularem, *Insulensem* nuncupatam uniri oportuit. Cumque postmodum Conventus omnes existentes in Flandriæ locis per pacta Aquisgrani & Neomagi icta, Dominio Regis Christianissimi unitis, Insulensi Custodiæ aggregari debuissent, fuerè illi à Provinciis Flandriæ, & Wallomiæ dissecti per Decretum suprapositum, & executioni datum instrumento sequenti:

In Nomine Domini.

Quoniam post dominiorum temporalium variationem in Flandriâ, & Walloniâ necesse visum fuit Regulares nostras Provincias variare, obstante tamen Bulla Sanctæ memoriæ Urbani VIII. edita 18. Junii 1643. quæ incipit: Salvatoris & Domini Nostri &c. *Admodum R. P. Minister Generalis Ordinis Nostri &c. Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papæ XI. humiliter pro licentia jamdudum supplicavit, & remisso à Sanctitate Sua ejus supplici libello ad S. Congregationem negot. Episc., & Regul. præpositam, ipsa S. Congregatio acceptis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Acciajoli Protectoris, & Felicis Rospigliosi Comprotectoris Ordinis nostri, censuit, approbante etiam eodem Sanctissimo, dictum supplicem libellum posse remitti Eidem Eminentissimo Comprotectori, ut veris existentibus narratis, petitam prædictarum Provinciarum variationem, juxta præfatorum Dominiorum diversitatem pro suo arbitrio, & prudentia Oratori impertiretur; ita tamen, ut numerus ipsarum Provinciarum minimè augeretur, sed duæ semper, & non ultra, perpetuò permanere deberent. Sua verò Eminentia facultatem præfatam, juxta formam & tenorem dicti Decreti, Admodum R. P. Ministro Generali concessit. Sed quia dictus Admodum R. P. Generalis in Visitatione Provinciarum Regni Neapolitani est occupatus, determinationem hujus negotii nobis concessit.*

Ideo

Ideo Nos infrascripti Procurator, & Commissarius Generalis, ac Diffinitores Generales maturè consideratis omnibus considerandis, inhærentes præfatis Decretis ac remissionibus, censuimus, & decrevimus, ac tenore præsentis Decreti censemus, ac decernimus omnes, & singulos Conventus nostrarum Provinciarum Flandriæ, & Wallonia existentes in Regionibus, quæ ex conventionibus pacis Aquisgrani, & Noviomagi factis spectant ad dominium Regis Christianissimi, cum Ecclesiis, Hospitiis, quæstuationibus, & juribus ipsis competentibus esse dividendos, & segregandos in perpetuum à prædictis Provinciis Flandriæ, & Wallonia respectivè, eosque, sicut & alios Custodiæ Insulensis in unam Provinciam uniendos; sicque censemus, decernimus, dicimus, & declaramus hàc, & omni meliori formâ, & modo &c. Non obstante prædicta Bulla : Salvatoris & Domini, *& quibuscumque, quæ idem Sanctissimus D. N. voluit non obstare. In quorum fidem &c.*

Datum Romæ x. Octobris 1683.

Fr. Joannes Baptista à Sabbio Procurator, & Commissarius Generalis.

F. Bonaventura à Recineto, Diffinitor Generalis.

F. Carolus Maria à Macerata, Diffinitor Generalis.

Clamârunt aliàs in Curia Romana contra hujusmodi Decretum Provinciæ Flandro-& Wallo-Belgicæ, & allegato, quod sibi exin adnasceretur, præjudicio, Decretum supersessorium obtinuerunt. Quo dum Patres Insulenses se non ligari autumabant, 2. Junii 1684. in Civitate Insulensi Capitulum celebrârunt, suosque Conventus in Provinciam erexerunt. Fuit quidem hoc ceu Apocryphum ab Ordine declaratum, instante tamen noviter Rege Christianissimo, clausula Decreti de duobus duntaxat Provinciis in Belgio permansuris sublata, & erectio triplicis Provinciæ concessa Decreto subnexo;

Die 24. Septembris 1684.

Congregatio nonnullorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium per Sanctissimum Dominum Nostrum ad infrascripta examinanda specialiter deputata, auditis Patribus Vicario, & Procuratore Generalibus, censuit erectionem, & unionem in novam Provinciam Conventuum Flandriæ, & Walloniæ Ordinis Fratrum Capucinorum S. Francisci in Dominio Regis Christianissimi existentium tanquam nulliter, & pendente supersessoria factas, revocandas unà cum electionibus, cæterisque inde secutis; Posse tamen per Sanctitatem Suam (si ita eidem placuerit) ad supplicationem prædictæ Religionis, omnis juris & facti defectus, qui intervenerint, supplendo, erectionem, unionem, & electiones prædictas approbari, &, quatenus opus sit, ex integro decerni, derogando Bullæ S. M. Urbani VIII. editæ sub die 18. Junii 1643., quæ incipit : Salvatoris & Domini Nostri &c. *cæterisque in contrarium facientibus, aliàs in suo robore permansuris: firmis etiam remanentibus, ut priùs, duabus antiquis Provinciis dicti Ordinis Flandriæ, & Vualloniæ in Dominio Regis Catholici.*

Et die 1. Octobris ejusdem anni facta de præmissis relatione Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. Sanctitas Sua supplicationibus PP. Vicarii, & Procuratoris Generalium dicti Ordinis super his humiliter porrectis inclinando, prædictis sanationi nullitatum, Erectioni novæ Provinciæ, & approbationi Electionum, omniumque inde secutorum juxta Votum prædictæ Congregationis benignè annuit cum necessariis, & opportunis clausulis, & derogationibus.

Quæ omnia ut citius explerentur, P. Generalis Commissarium constituit P. Ludovicum de Tulli, Definitorem Ordinis Generalem litteris sequentibus.

Admodum Reverendo Patri Ludovico de Tulli, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum Diffinitori Generali, nostræque Provinciæ Parisiensis Ministro Provinciali,

Fr. Carolus Maria à Macerata, ejusdem Ordinis Minister Generalis (l. i.) salutem in Domino.

Cum inter Provinciam Capucinorum &c. Cumque aliunde maximè Nobis sit cordi, ut Conventus Custodiæ Flandriæ, scilicet Yprarum, Dunkerchæ &c. cum Provincia Vuallonia-Insulensi eo componantur modo, qui magis Regi Christianissimo arriserit, atque ad ejus servitium conduxerit; Cum denique Nos jam gravissimis præpediti negotiis hæc peragere, & prædictum Regem Christianissimum ad hunc effectum ita citò, quàm par esset, convenire non possimus, ut hæc omnia cum Religiosorum pace, unione, & maximè cum omnimoda tanti Regis satisfactione valeant expediri, Pa-

servitutem Vestram Admodum Reverendam, de cujus prudentia, & regulari observantia, zelo, & æquitate plurimùm in Domino confidimus, quumque de his, quæ pro bono concordiæ, & regulari observantia præfatarum Provinciarum fieri possunt, plenissimè esse informatam, nec non omnia juxta prædicti Regis Christianissimi beneplacitum effecturam esse satis novimus, in Commissarium nostrum instituimus, & virtute præsentium institutum esse declaramus: Cui omnem potestatis nostræ amplitudinem concedimus præfatas Provincias &c., & Vvalloniæ-Insulensem, nec non Custodiam Flandriæ visitandi, si ita opus esse judicaverit; Diffinitorium in unaquaque, atque etiam Capitulum Provinciale, si, ubi, & quando benevisum fuerit, congregandi, Conventus distrahendi, & uniendi: Custodem & Commissarium confirmandi, & instituendi, aut annullandi, & destituendi: Processus faciendi, & definiendi, Novitios recipiendi, in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipiendi, etiam, si ita opus fuerit, aliquos supra executionem prædictorum delegandi, & denique ea omnia sive expressa, sive non expressa peragendi, quæ Nos ipsi peragere possemus, si præsentes adessemus. Injungimus in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus Fratribus nostris supradictarum Provinciarum, & Custodiæ, ut Tibi in omnibus, sicut & Nobis pareant.

Datum in Nostro Conventu Immaculatæ Conceptionis de Urbe hac die vigesima sexta Mensis Junii 1685.

Feliciter Spartam P. Commissarius absolvit, edito, quod sequitur, instrumento:

In Nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, Gloriosissimæ Virginis Mariæ, nec non Seraphici P. N. S. Francisci. Amen.

Nos Fr. Ludovicus du Tully Ord. FF. Min. Capucinorum Diffinitor Generalis, & in Provincia Vvallonia-insulensi, ac Custodia Flandro-Belgica Commissarius Generalis virtute supradictæ Commissionis septem Conventus Flandro-Belgicos, videlicet Iprensem, Dunkercanum, Furnensem, Bergensem, Burburganum, Belliolanum, & Meneneusem, qui sunt ditionis Gallicæ, à Provincia Flandro Belgica Dominii Hispanici sejungimus, atque eum cæteris Belgiis Conventibus, nimirum, Insulensi, Tornacensi, Duacensi, Cameracensi, Armentariensi, Mervillano, Orchiacensi, Audomarensi, Ariensi, Condotensi, Valencenensi, & Malbodiensi, qui sunt præfatæ ditionis Gallicæ, conjungimus; ita ut ex illis omnibus unica jam componatur Provincia juxta Decretum Romæ datum die decima Octobris anni Domini 1683., & Regis diplomate confirmatum Versaliis decima octava Aprilis 1684.

Cum verò in illa unione Religiosorum, & Conventuum constitutorum in terris, in quibus maxima inest idiomatum diversitas, præcipuè intendere, & providere debeamus, ut difficultatibus, & dissensionibus vulgò ex hoc discrimine oriri solitis, omnis, quoad fieri potest, præcludatur aditus, ut populi auxiliis spiritualibus, quæ à Religiosis nostris exigere solent, & vicissim Religiosi nostri temporalibus, quæ à populis in spiritualium compensationem accipiunt, subsidiis non priventur; ac denique, ut, quæ, sunt servitii Regis, promoveantur, interque illud locum habet, ut tam populi quàm Religiosi subditi suis necessariis tum spiritualibus tum temporalibus levamentis non destituantur. Cumque non solùm litteris, sed etiam verbis Nobis significatum sit, Regi fore gratum propter supra relata, ut ex superius nominatis septem Conventibus Flandro-Belgicis una constituatur Custodia, ab Insulensi Provincia tanquam membrum à Corpore, & pars à toto dependens; Idque propter discrimen idiomatum ad utilitatem Populorum, ad bonum Conventuum, ad pacem, & concordiam Religiosorum, & maximè ad Regis servitium, in præsata nostra commissione Nobis præcipuè demandatum, plurimum conducere censeamus:

Hinc est, quod auditis in visitationibus nostris, omnibus præfatorum Conventuum Religiosis, cunctis mature perpensis, atque invocato superno lumine, de consilio R. P. Petri Redonensis Concionatoris, & Secretarii Reverendi Admodum Patris Generalis, quem pro isto negotio in Consultorem assumpsimus, libenter assentimur conventioni, & transactioni inter PP. nostros Gallo-Belgicos, & Flandro-Belgicos initæ, nobisque propositæ, omnibusque articulis in ea contentis, & infrascriptis, de quibus libero, & unanimi consensu convenerunt.

Primò: Provincia prius dicta Insulensis eodem nomine conservato in duas custodias dividetur, Gallo-Belgicam scilicet, & Flandro-Belgicam eidem Provinciali subjectas.

Secundò: R. P. Provincialis indifferenter ex unaquaque Custodia eligibilis erit. Unaquæque Custodia duos habebit Diffinitores nationales; ita tamen, ut si R. P. Provincialis ex Custodia Flandro-Belgica assumatur, non eligatur alter Diffinitor ejusdem Custodiæ Flandro-Belgicæ; Si verò in aliquo scrutinio tertius pro una aut altera Custodia Diffinitor eligeretur, cum hoc esset tam contra hanc nostram conventionem, & transactionem, quàm contra intentionem bona fide eligentium, ille tertius non electus censeatur, & in lectione scrutinii non publicetur. In utraque etiam Custodia tum Superiores, tum subditi, omnes Nationales respectivè ponantur: Per Nationales autem intelligimus eos, qui in unaquaque Custodia tanquam filii admissi reperientur.

Tertiò: Utraque Custodia habebit sua studia, & suum Novitiatum ex Nationalibus: nisi forte de consensu utriusque aliquando pro addiscenda lingua Gallica, vel Flandrica mittentur Studiosi de uno studio ad aliud, vel ob alias justas rationes. Si etiam Custodia Fladro-Belgica indigeat Concionatoribus, vel aliis Religiosis Gallo-Belgicis, Flandro-Belgici utrimque, ac reciprocà correspondentia procedant.

Quartò: Ex tribus Capitulis Provincialibus unum celebrabitur in Custodia Flandro-Belgica,

simili.

similiterque fiet de Congregationibus RR. Patrum. Dum autem Capitulum Provinciale celebrandum erit pro Capitulo Generali, celebrabitur à R. P. Provinciali in illo Conventu, qui ei placuerit, & unaquaque Custodia habebit suum Custodem, ad Capitulum Generale mittendum.

Quintò: Si quæ mutationes infra annum fieri debeant, disponentur à R. P. Provinciali cum consilio R. P. Custodis illius Custodiæ, in qua fieri debebunt; Et, si aliquando R.P. Provincialis, cujus solius est Juvenes ad Religionem recipere, aliquos in prima præsentatione facta in Capitulo Provinciali, vel Congregatione RR. Patrum, licet capaces invenerit, non admittat, vices suas committet R. P. Custodi, ut illos ad Religionem suo tempore recipiat.

Sextò: Denique unaquæque Custodia providebit sibi de vestimentis, & aliis rebus necessariis, nec in quæstibus excedes limites suos ab antiquis Patribus præscriptos, & dispositos.

Cum itaque in suprascriptis articulis, atque prædicta PP. Gallo-Belgicorum, & Flandro-Belgicorum conventione, & transactione omnia Nobis videantur consentanea justitiæ distributivæ, populorum utilitati, bono Conventuum, quieti & concordiæ Religiosorum, & servitio Regis Nostri Christianissimi: imò & necessaria, ut obvietur difficultatibus aliisque inconvenientibus, quæ inter utramque Custodiam successu temporis excitari possent: Cumque jura tam canonica, quàm municipalia non obstent, quin intuitu boni publici quisque per hujusmodi transactionem juri suo speciali renuntiare possit, suprascriptos articulos auctoritate nostra, quantùm in Nobis est, confirmare decrevimus, & de facto confirmamus, atque ut inviolabiliter observandos in hacce Insulensi Provincia proponimus, & decernimus, statuimusque ut, si quis in ipsa Insulensi Provincia, cujuscumque sit gradûs, & dignitatis, hanc conventionem, & transactionem infringere suâ auctoritate præsumpserit, aut in aliquo notabiliter violaverit, utrâque voce activâ, & passivâ in proxime sequenti Capitulo privatus remaneat; Ita dicimus, sejungimus, conjungimus, confirmamus, & statuimus, hoc, & omni alio meliori modo. In quorum ampliorem firmitatem præsens Decretum propriæ manus chirographo munivimus, & majus hujus Provinciæ Insulensis sigillum apponi jussimus.

Datum in Conventu Nostro Insulensi die 29. Augusti Anno Dominicæ Incarnationis 1687.

Transactionem circa P. Ministrum Provincialem, & Definitores Provinciæ eligendos, nec non Custodes ad Comitia generalia mittendos confirmat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Ministri Provincialis, & Definitorum Provinciæ Insulensis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Nobis expositum fuit, quod, cum eorum Provincia in locis & terris, in quibus maxima adest idiomatum diversitas, constituta sit, propter ejusmodi, etiam idiomatum diversitatem, populorum utilitatem, bonum Conventuum, pacem & Religiosorum concordiam, & præsertim, ut servitio charissimi in Christo Filii nostri, Ludovici, Francorum Regis Christianissimi provideatur, nimirum, ut tam populi, quàm Religiosi in temporalibus, sicut & in spiritualibus necessariis levamentis minimè destituantur, à dilectis pariter Filiis Ludovico de Tuli, tunc existente Definitore Generali, & Ministro Provinciali Provinciæ Parisiensis, dicti Ordinis, ac à tunc pariter existente Carolo Maria, Ministro Generali Ordinis hujusmodi, ad hoc specialiter deputatis conventio, & transactio facta, approbata, & confirmata, & in Capitulo mense Augusti anno 1687. celebrato, ab omnibus Vocalibus unanimiter subscripta, & hactenus sine interruptione observata fuit, ita ut primò Provincia prædicta juxta idiomatum diversitatem in duas Custodias, nimirùm Gallo-Belgicam, & Flandro-Belgicam dividatur, eidem Ministro Provinciali subjectas. Secundò, ut Minister Provincialis ex unaquaque Custodia sit eligibilis, & unaquæque Custodia duos Definitores nationales habeat. Tertiò, ut in Capitulo celebrato pro Capitulo Generali quælibet Custodia suum Custodem ad Capitulum Generale mittendum habeat, & aliàs, prout in Decreto confirmatorio conventionis prædictæ pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, nonnullis prædicta conventio electionum libertati utcumque præjudicare, & sacris Canonibus contraria esse videatur, ideoque dicti Exponentes, ut bona memorata procurentur, & malis alioquin resultaturis occurratur, omnes & quoscumque defectus, qui in prædicta conventione esse possunt, per nos sanari, eandemque conventionem approbari, ac ratificari, electionesque in omnibus Capitulis inposterùm in prædictâ Provinciâ celebrandis, juxta conventionem hujusmodi fieri posse plurimùm desiderent: Nobis propterea Exponentes prædicti humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus

bus inclinati, de Venerabiliom Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcopnrum & Regularium præpositorum, qui relationem dilecti pariter Filii moderni Procuratoris Generalis Ordinis hujusmodi super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam viderunt, consilio, memoratam conventionem, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, ratificamus, & qualemcumque defectum forsan in eâ incursum itidem sanamus. Præterea permittimus juxta petita, ut deinceps electiones in omnibus Capitulis in prædictâ Provinciâ celebrandis adinstar ejusdem conventionis fiant.

Decernentes easdem præsentes litteras firmas, &c. sicque in præmissis per quoscumque Judices &c. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento &c. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI Januarii MDCCXXI. Pontificatûs nostri anno vigesimo primo.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apostol. Reg. mens. & ann. prædictor. fol. 17.

LITERIS

S. Congregationis S. Officii Inquisitionis

Ceram, seu panis massam, tum in Provincia, tum in Germania contra maleficia sub præscriptis clausulis confici posse declaratur.

A' tergo: *Admodum Reverendo Patri Procuratori Generali Capucinorum Romæ.*

Adm. Reverende Pater.

Sacra Coogregatio S. Officii declarare statuit, ut circa panem benedictum, & ceram pariter benedictam, & *Belgicam* nuncupatam, quæ à PP. Capucinis in Germania, Flandria & alibi pro salutari, pioque remedio contra maleficia, & infirmitates dispensatur, nihil innovetur, & ita condescendatur devotioni & pietati fidelium, qui à longo tempore iis sine scandalo utuntur: ordinat autem, ut Paternitas Vestra Provincialibus, aut aliis Superioribus, ad quos spectat, injungat, ne permittant, imò ut prohibeant, ne massa prædicti panis aut ceræ, oleo Sancto ab Episcopo benedicto ungatur, & ne benedictiones coram Sanctissimo Sacramento exposito fiant. Visum quoque est notâ dignum, si pro compositione prædictæ massæ adhibeantur herbæ, seu fructus, signanter in feriis Assumptionis B. V. Mariæ, aut alterius solemnitatis maturati, casu quo fideles non forent instructi, quod talia non ratione diei, sed ex veneratione B. Virginis applicarentur. Incumbet autem Paternitati Vestræ, ut vel à compositione excludantur, vel cum opportuna instructione adhibeantur, ne populus maneat deceptus. Tantum exequatur, & Deus eam conservet.

Romæ 18. Decembris 1728.

Paternitatis Vestræ

Uti Frater

Card. Othobonus Epis. Sabinæ.

Autograph. in Arch. Proc. Gener. Ord.

PRO-

PROVINCIA
HIBERNIÆ.

LAudes hujus Provinciæ amaro ſuſpirio, iiſdemque threnis, quibus olim Propheta Jeremias deſolationem Civitatis Jeruſalem poſterorum memoriæ & compaſſioni deſcripſit, ordiri & exclamare cogor, *quomodo ſedet* Hibernia, *plena populo? facta eſt quaſi Vidua Domina gentium, Princeps Provinciarum*, & Provincia quinque olim Regnorum, *facta eſt ſub tributo. Viæ ejus lugent, eò quod non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem: omnes portæ ejus deſtructæ; Sacerdotes ejus gementes; Virgines ejus ſquallidæ; & ipſa oppreſſa amaritudine, quoniam erectus eſt inimicus, deridens Sabbatha ejus*, & Catholici Sanctuarii decorem præpotentis hæreſeos fraude, & alienæ dominationis Sceptro depopulans. Eſt & hic planctus eò dignior, cum ipſa felicitas, quâ natura ad hujus Regni delicias ſua dona prodigo effluxu congeſſit, reddat illius deſolationem majorem. Hibernia, ab Hibero, celebri Hiſpaniæ fluvio, teſte Cambdenſi, nomen ſortita, format & explicat Inſulam omnium Occiduarum, poſt Angliam, ampliſſimam, in qua ob aëris gratiam, nec cancri calor compellit ad umbras, nec capricorni rigor cogit ad focos, nec nebula inficit, nec ſpiritus peſtilens afficit, nec aura corrumpit, nec terra animal venenatum parit aut alit, ac aliunde advectum perimit. *Inſulam* hanc vocat Surius, *omni terrarum gleba fœcundiorem*; gemmas enim & margaritas excoquit, mineris ferri, plumbi, & argenti abundat, & pluries divites auri venas aperit: *Pabuloſam* illam Solimus dicit, cum pecora, ſi à paſcuis vi non arceantur, edax exceſſus periculo interitûs exponat, adeo etiam tum cicuratorum, tum ſylveſtrium animalium caro ſapiat, ut guſtum alterius, cujuſcunque terræ ſuperet: *Amæniſſimam* illam ſatus Cambdenſis laudat; colles enim in altum leniter ſurgentes, grata vallium declivia, interjectæ vocales ſylvæ, chryſtalla fontium, rivorum murmur, ubertas fructuum, portuſque, quos Oceanus Britannicus alluit, nautico commercio utiles, aliæque fœcundæ naturæ divitiæ pandunt regionem, perfectæ lætitiæ ſedem. Felicem hunc fortunæ rerreæ luſum inſigniter locupletat nativa Incolarum docilitas, quâ ſtudia litterariæ artis ad eam gloriæ famam propagavit, ut Guillanus Hiberniam *Doctiſſimorum Vi-*

rorum

rorum officinam cum aliis nuncupaverit; hinc non solùm Anglo-Saxones, Picti, & Galli ad eam teste Venerab. Beda *lib.3. cap.17.* DIVINÆ LECTIONIS GRATIA tempore Sanctorum Finani, & Colmani certatim olim confluxêre, quos & *Hiberni libentissimè suscipientes, victum eis quotidianum sine pretio, libros ad legendum, & Magisterium præbere curabant*, sed & integræ Philosophorum turmæ in Gallias navigavêre, testimonium dante Antisiodorensi in epist. ad Carol. Calvum per verba: *Quid Hiberniam memorem? contemptis furentis pelagi discriminibus pene totam extra migrantem cum grege omnis artis, & disciplinæ sapientium cernimus, ut de iis dicere verum sit: in terram alienigenarum gentium transierunt, in bonis docentes, à malis avertentes.* Est & manebit æviternus Hiberniæ honos, quod primis Europæ Universitatibus primos dederit Institutores, dederit Parisiensi in Gallia Claudium Clementem, Oxfordiensi in Anglia, Joannem ab Erigena, seu Hibernia, Papiensi in Italia Albinum &c. Amplo autem numero D. Augustinus in vita S. Florentii apud Lombard. pag.230. recenset Viros, quos Hibernia produxit Pallade conspicuos. Superexaltat tamen doctrinæ famam prærogativa Sanctitatis, quam anno Christianæ æræ 532. operâ Divorum Palladii Ecclesiæ Romanæ Diaconi, & Patritii, Sancti Martini Turonensis ex Sorore Nepotis veræ fidei lumine dotata, ex felici virorum Sanctorum partu sibi comparavit. Fuit hic ita multiplex, ut D. Bernardus in vita S. Malachiæ cap.5. dignè de ea pronuntiaverit: *verè Sanctus locus fœcundusque Sanctorum, nec modò in præfatas & proprias, sed & in exteras Nationes, quasi inundatione factâ, Sanctorum agmina effudit*: Effudit in Galliam Fiacrium, Maclovium, Malachiam &c., in Angliam, Aidanum, Finanum, Colmanum, Cuthbertum &c., in Belgium Autbertum, Levinum, Rumoldum &c., in Italiam Frigidianum, Columbanum &c., in Germaniam Kilianum, Virgilium, Arbogastum &c.; At, quantùm recreat recordantem sanctæ hujus dignitatis relatio, tantùm turbat mutata rerum facies, & planctum Jeremiæ prosequi jubet funesta metamorphosis cum verbis: *quomodo obscuratum est aurum, mutatus color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum? Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea opus, manuum figuli? factus est Dominus velut inimicus, dissipavit hortum suum, demolitus est Tabernaculum in opprobrium, & indignationem furoris sui: Regem tradidit, & Sacerdotem*, dum Hibernia donis naturæ affluens, Musâ celebris, & Sancta progenie conspicua gemiscit sub jugo acatholicæ servitutis & pusillus Catholici nominis grex sub exteræ potentiæ gubernio languescit &c.

Clamârunt quidem (nec adhuc cessant) inter vestibulum, & Altare plorantes Ministri Domini, &, ut nobilem Ecclesiæ hæreditatem ab opprobrio salvarent, varios Operarios in auxilium vocârunt, ac inter hos Zelum Fratrum nostrorum ita æstimârunt, ut sine illo opus ab iis intentum vix compleri posse censerent, eorumque Apostolicos labores publicis encomiis celebrarent. Gratis ne loqui videar, subnecto nonnulla Documenta desuper edita, luce publicâ undequaque dignissima.

Cum perdilecti, & Venerandi Fratres PP. Capucini è Familia Seraphica Minorum, intendant jam divinâ ope suas navare operas in variis locis Regni hujus, bis attestamur ingenuè, quod non solùm totus Ordo sit ubique gentium valdè nominatus, à vita admodum exemplari, & regularis item statûs observantia, unitâ magno salutis hominum zelo, verùm & hic quoque degentes ad has partes (licèt pauciores, quàm par esset, ex omnium piorum votis) industria, labore, & usu agendi haud pœnitendos in dies fructus edant, instruendo rudes, annuntiando Evangelium,

gelium, reducendo etiam devios, & ministrando pœnitentiam, unde generales tot Confessiones, restitutiones, & emendationes adeuntium eos frequentissimè, notantur in Pagis, & Villis remotioribus &c.

Die 9. Augusti 1629.

Episcopus Midensis.

Cum rationi & justitiæ non minus, quàm fraternæ charitati sit consentaneum, ubi opus est, veritati perhibere testimonium, & eo nomine dilecti Admodum in Christo Fratres & Patres de Ordine Capucinorum, volentes operam suam offerre cæteris Regni Ordinariis, institerint apud nos humiliter, ut ex mora, conversatione, ac laboribus eorum, tot annis jam in Diœcesi ista, & Provincia quoque totâ, fidem Universis, qui has visuri essent, faceremus, de nostro & communi sensu ad præsentem usum; Quapropter Nos in Domino agnoscimus, & attestamur eos, tametsi paucos numero (quod satis dolendum est) haud solùm ab odore suavi exemplaris vitæ, sed etiam ab actionis piæ assiduo fructu esse laudatos passim, ita quod omne genus hominum per Civitates & Villas, turmatim illos adeant, Sacramentorum & Prædicationis intuitu, quin & Nos, Primoresque alii, ipsorum doctrinam, prudentiam, & industriam, zelo pacis & modestiæ unitas valde observavimus in denodatione casuum, in terminatione litium, & multa promotione generalis boni, sic ut ubivis meritò habendos, ornandosque privilegiis, & gratiis omnibus, quæ à Nobis, Vobisque, tam ordinariè, quàm extraordinariè illis fieri possunt, æstimemus, ac in ejus rei testimonium, & simul nostræ benedictionis, ad omnia per Diœcesin hanc agenda Missionariorum instar manum apposuimus, & sigillum.

Dublinii 30. Novembris 1629.

Fr. Thomas Flemingus, Archiepiscopus Dubliniensis, Hiberniæ Primas.

Nos Thomas Deis, Dei & Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Medensis.

Ad majorem Dei gloriam, & Fidei, ac Religionis Catholicæ augmentum volentes prospicere fructibus, & laboribus Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum, Missionis & Nationis Hibernicæ, qui à pluribus jam annis in hoc Regno Hiberniæ pro animarum conversione graviter insudârunt, libenter assentimur, quatenus dicti Patres in Civitate nostra Pontanensi locum, Residentiam, & Conventum procurare, & stabilire queant, in quo verbo, & exemplo coram Deo, & omni populo lucere possint; cum nobis constet eosdem PP. ibidem ali posse in competenti numero sine detrimento aliorum Religiosorum Mendicantium, juxta intentionem Decreti Sanctissimi D. N. Gregorii XV. Insuper iisdem Patribus facultatem facimus absolvendi in foro interno ab omnibus casibus, Nobis & officio nostro reservatis, secundùm privilegia illis à Sede Apostolica ad hoc specialiter concessa: Parati ad majora charitatis, & benevolentiæ munia erga dictos PP., quando tempus & occasio si se obtulerint. In cujus rei fidem manum, & sigillum apposuimus, hac die 25. Julii 1635.

Thomas, Episcopus Medensis.

Similem, & quasi de verbo ad verbum præpositæ concordantem facultatem pro Civitate Kilhenienſi, ubi de facto Fratres ſæculari Habitu veſtiti morantur, habentes Sacellum publicum &c. conceſſit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. David Rothe, Epiſcopus Oſſorienſis ſub die 8. Martii 1648.

Hugo, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Armachanus, totius Hiberniæ Primas, & Metropolitanus.

Omnibus & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam &c.

Fidem facimus & atteſtamur Nobis conſtare RR. Patres Sacri Ordinis Capucinorum in Hiberniâ olim in Oppido Pontanenſi (vulgo Drogheda) Diœceſis noſtræ Armachanæ habuiſſe Cœnobium & Domicilium fixum, cujus modò conſpicienda extant rudera, nec non RR. PP. inibi conventualiter reſidentes, ad aliorum Conventuum inſtar, Novitios initiâſſe, quæſtuſque eleemoſynarios, tum intra muros, tum extra in viciniis per circuitum feciſſe, uſquedum poſt conflictum Boynenſem anno 1690. deletis noſtratibus, adverſarii rerum potiti, Monaſterium, ſicut cætera omnia ſacra, peſſumdederunt, & Regulares noſtros exilio mulctârunt.

Atteſtamur inſuper RR. Patres laudati Ordinis, qui modò in dicto Oppido Hoſpitium, ſeu Reſidentiam renovare ſatagunt, tanto animarum zelo, totque aliis Miſſionariis dotibus eſſe ornatos, ut ex eorum laboribus uberes in Miſſione fructus ſperare liceat; unde illos omnibus, quorum auxilio, aut patrocinio indiguerint, enixè in Domino commendamus. Actum in loco Refugii hac die 25. Auguſti 1736.

Epiſcoporum litteris, quarum aliæ ad folium ſequens 285. reſervantur, univit Concilium Generale Hiberniæ Decretum, quo Fratres, ſuos ad Status recipit, illos ceu membra Regularis Cleri reſpicit, iiſque Domos Regulares conſtruendi facultatem adjicit, ſub tenore ſequenti:

Cum Bellum à confœderatis Catholicis hujus Regni Hiberniæ inceptum præcipuè tendat & collimet ad propagandum & ſtabiliendum in hac natione liberum exercitium Romanæ Fidei, & Catholicæ Religionis in pleno ſuo ſplendore & fulgore; Cumque PP. Capucini Nobis ſupplicârint, & cæteri ejuſdem Ordinis imbuti ſint, & ditati à Sede Apoſtolicâ multis facultatibus & privilegiis, & cognoſcantur ac habeantur ùt magnum ornamentum in Eccleſia Dei: ſtatuitur & declaratur à nobis prædictos PP. ſupplicantes, eorumque Ordinem exauditos, receptos, & admiſſos eſſe ad inhabitandum & vivendum in hoc Regno, ut Regularem & Mendicantem Clerum, utentes & gaudentes libero exercitio ſuæ functionis juxta præſcriptam ſuam Regulam, ſeu vivendi normam, cum debitâ libertate, ſine moleſtia, & cum privilegiis ſuis inter Regulares Ordines Mendicantes Cleri. Et inſuper ſtatuitur, prædictos PP. ſupplicantes, cæteroſque ejuſdem Ordinis poſſe paulatim ad ſuum, cæterorumque ſui Ordinis Fratrum uſum recipere, & acceptare quaſcumque particulas terræ ſibi à quocumque Catholicorum confœderatorum, aut à quibuſcumque aliis in hoc Regno

Regno degentibus liberaliter oblatas, & ibidem ædificare & erigere Conventum, seu Conventus juxta consuetudinem, & paupertatem suæ Religionis.

Datum Kilbenniæ 3. Martii 1646.

Plunkel &c.

Ipse quoque Serenissimus Rex Jacobus II. Fratres in Regno stabiliri, eosque ab Episcopis protegi mandavit litteris ad Archiepiscopum Armachanum datis, tenoris videlicet:

Reverendissime in Deo Pater salutem.

Quandoquidem præcipua nostra cura est Dei gloriam promovere, & honorem Catholicæ Religionis, specialiter protegendo eos, qui piè vivunt; Cum autem Nobis comperta sit pietas, stricta vivendi ratio, morum innocentia, atque in Nos affectio Ordinis Sancti Francisci, vulgò dicti Capucinorum, consentaneum judicavimus nostrum in eos extendere peculiarem favorem, præcipuè erga eos, qui istius nostri Regni indigenæ sunt, inibi eos stabiliendo; in hunc finem æquum judicavimus has tibi scribere litteras, ut eas Clero, & Populo communices, prout se obtulerit occasio, Tibi & cæteris Episcopis recommendando, ut eosdem Religiosos protegatis, eidemque Religioso Ordini faveatis, illis permittendo se stabilire, & pacificè habitare in omnibus Civitatibus, Oppidis, & locis nostri dicti Regni, ubi antehac fixa habuerunt domicilia, vel, ubi inposterùm secundùm circumstantias vel exigentiam suarum rerum, & secundùm Regulam, Constitutiones, statuta, privilegia sui Ordinis se collocaverint; si autem in hoc aliquam perturbationem, vel obstaculum offenderint, Nos admoneas volumus, ut congruentia mandata hac in re demus. Valete.

Datum in nostra Regia Aula 30. Maji 1686. Regni nostri anno secundo.

Mandato Suæ Majestatis

Sunderland P.

Dudum prius, & in origine fundationis Reverendissimus P. Magister Generalis RR. PP. Conventualium, tum Residentias à Fratribus nostris occupari indulsit, tum Archiconfraternitatem S. chordæ ab iis restaurari requisivit, litteris sequentibus:

Fr. Felix Franceschinus de Cassia Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, totius Ordinis Minorum Conventualium Minister Generalis.

Rev. Patri Fr. Francisco Hiberno, Fratrum Capucinorum suæ gentis Visitatori quoad Sedis Apostolicæ Missionarios salutem & pacem.

Tametsi pateat, Fratres instituti Minorum Conventualium habuisse olim in Hiberniæ Regno, & Civitatibus ac Municipiis ejus loca satis multa, & eorde Fraternitates, quæ per injuriam temporum, & hæreticorum sævitiam desierunt, jamdudum in usu ibi esse illis, quemadmodum & iidem non supersunt ultra; tamen pergratum valde habituri sumus, quod vestri, omnium Franciscanæ Professionis unitissimi nostris, deficientium ac spoliatorum vices obeant, haud solùm quoad Residentias, ut alicubi ad minimum, extra situs antiquos, in ævi prioris memoriam obtineri possint,

sint, verùm etiam quoad Seraphicæ Fraternitatis chordæ usum, ut ea restaurari possit in aggregatione ad Archiconfraternitatem nostram Assisii erectam, rogantes per Deum Antistites universos Catholicæ Fidei apud gentem illam, ne vobis authoritate sua desint hac in re, ad cujus omnimodum robur ac testimonium, his manus & sigillum officii libenter addidimus.

Romæ 27. Junii, & anno à salute parta 1625.

Vix personuit vocantium clamor, respondit læta echo Fratrum amor, quo pro salute animarum incensi sacro operi accingebantur. Primatum inter hos ex æquo tenet Fr. Franciscus Nugentius, jam tomo IV. fol. 279. memoratus, qui nativæ generis nobilitati non leve incrementum adjecit ex virtute, quâ non solùm Missionis Hibernicæ fundamenta posuit, eamque gubernio suo firmavit, sed etiam exteras Regiones benefaciendo pertransivit. Provinciam Rhenano-Coloniensem, feliciter erexit, & adhuc unitam viriliter rexit: Apud Insulas in Belgio in Lageniensis Juventutis commodum Collegium instituit: Tornaci preces 40. horarum fundavit; Romæ Tauleri opus à crisi & censura præservavit: Coloniæ Agrippinæ inclitam Archiconfraternitatem, de qua tomus IV. fol. 280. fusè agit, promovit, & dum omnia Ordinis officia in Provinciis & Conventibus sapienter gessit, publico bono datus, ubique & animarum salutem, & fidei incrementa quæsivit, ab ipso Summo Pontifice Paulo V. eapropter *Columen Ecclesiæ, & Lumen Orthodoxæ Fidei* nuncupatus. Destinaverat quidem ei in laboris præmium grata Themis Archiepiscopatum Armachanum, totius Regni Metropolim: Insulas noluit, qui in Christo omnia habuit. Die, quo hujus ascensionem ad Cœlos Ecclesia coluit, ascendit & Franciscus cum eo Carolopoli anno 1635. ad Patrem, spiritus sui testes relinquens libros, & scripta, quæ sunt.

Paradisus contemplationum: Liber de meditatione, & conscientiæ examine, inter Fratres Flandriæ usitatissimus: Epitome Coccey de Controversiis: Tractatus contra Ministrum Acatholicum: Expositio super Regulam: Sermones plurimi, Latino, Gallico, & Italico sermone conscripti: Cursus Theologicus, & Philosophicus: Tractatus de Hibernia: Refutatio Epistolæ præfixæ libro expositionis Missæ &c.

Insignes habuit Franciscus Zeli sui pedarios & hæredes, qui, dum ille in spiritu lenitatis fructum collegit, gladio Zeli econtra, & loricâ justitiæ muniti ascenderunt in arenam contra pertinaces, dignique habiti sunt pro nomine Jesu contumelias & carcerum squallores pati.

Fr. Bonaventura Careu, Kilchenienſis, anno 1649. secunda vice captus, ergastulo fuit inclusus, in quo luce solari privatus, nec integrè stare, nec planè cubare potuit.

Fr. Joannes Verdon, Ultoniensis, laicus, evaserat quidem pericula pestis, qua durante infectis opem tulit: rabiem hæreticorum vitare non potuit: inter vincula latam ab his mortis sententiam gaudenter in sua cana ætate audivit, & vix non lytro Catholicæ charitatis executionem illius impeditam fuisse ægrè tulit.

Socius ille fuit Missionis Fr. Ficarii Tobin, sicut & passionis, nam compedes & illi fuêre injecti sæpius, quin tamen libertatem spiritûs Evangelici stringere potuerint. Condemnatus ad carcerum tenebras, lucem veritatis in socios, & rudes dispersit: Mors dum iteratò in exilium mutata est, mansit constans

vitæ

vitæ pro Christo sacrificandæ voluntas. Rediit è Gallia in Angliam, ut baptismo, quo coarctabatur, baptizaretur: sanguinis hunc esse Angli noluerunt, ne citò periret, qui per plures annos eorum sectam impugnâsset: Ad Insulas Barbados eum duci jusserunt, ut, quò lentior, eò durior esset illius interitus. Confudit Deus consilium impietatis, dum Fiacrium navi jam impositum in Walfordiensi maris portu ad se & bravium gloriæ 6. Martii 1656. vocavit.

Fr. Patritius Grady, Momoniensis à Corcagia, dum sub specie dandæ eleemosynæ carceratos invisit, plurimis fidem, & aliis persecutionis solatium dedit: aliquoties vix non importunè accessum curavit, inde & factum, ut verberibus arceretur, & semel de summo scalæ gradu uno impetu ad imum dejiceretur. Comprehensus per integrum annum tenebricosi carceris fœtorem sustulit, & in exilium missus anno 1690. in Belgio quievit &c.

In cavernis & scissuris rupium delituit diu Fr. Anselmus Ball, Lageniensis ex Fingallia, ut caperet abundantius eos, qui à salutis semita declinaverant. Sacro dolo nocuit copia fructûs, qui latitantem prodidit: septies captus, & totidem in carcerem missus, meliorem partem sibi præreptam esse sæpius ingemuit.

Feliciorem se vidit Fr. Christophorus Plunkette à Donsaghly, Lageniensis, ex nobili stirpe ortus, dum inter remotas Barbariæ Insulas, ad quas Anglicus furor eum relegavit, durum Martyrium anno 1697. complere ei fuit datum.

Per integros 30. annos Fr. Lucas Parry, in Vineæ Dominicæ cultura sudavit, collegitque amplos liberi zeli fructus. Ligavit tandem & illum Puritanorum rancor, & diutinis carceris ærumnis vexavit: mortis sententiâ in exilium commutatâ, Baralbulam rediit, & ibi 1706. vivere desiit, relictâ sanctimoniæ opinione.

Fr. Joannes Baptista Dowdall, Ultoniensis, captus ab hæreticis sæpius, in Londinensi tandem carcere post labores Apostolicos, ac famis, & frigoris angustias quievit, & ab hujus tetra umbra, ut piè credimus, lucem adiit immortalem.

Unito præconio novem Hiberniæ Præsules pietate & prudentia ornatum Zelum Fr. Petri Dubliniensis ex Machalpensium Familia, quæ ob constantem in Ecclesism, Regem, & Patriam fidem bonorum suorum passa est jacturam, oriundi commendârunt, ita ut rumor illius ad Mitram promotionis diu per Romanos vagatus fuerit Riones. Reticeo alios fidei Heroës, qui dilectione, quæ fortis ut mors, armati, spreverunt certa hæretici odii pericula, & commissam Missionarii officii spartam multiplici fructu expleverunt. Tenuit longiùs Apostolica hæc Missio Costodiæ titulum, cum Fratres exules nonnisi duos occuparent in Gallia Conventus: eum autem varia eam in Provinciam elevari suaderet ratio, prærogativa hæc ei ad instantias Regis Christianissimi anno 1733. fuit adjecta. Numerat

In Hibernia Conventus	XIV.
In Gallia	II.

DECRE-

DECRETO APOSTOLICO.

Missio Fratrum per Angliam, Scotiam, & Hiberniam firmatur; iis omnia aliorum in illis partibus degentium Regularium privilegia communicantur, & quoad gestationem Habitûs, & observantiam statutorum Ordinis dispensatur.

PAulus, Divinâ Providentia V. Pontifex Maximus, præsente Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinali Barberino Protectore Scotiæ, ac Vice-Protectore Hiberniæ, Missionem PP. Capucinorum Sancti Francisci Assisiatis in Majorem Britanniam, & ejus omnes Insulas, quæ ad Angliam, Scotiam, & Hiberniam reduci communiter solent, amplecti visceribus Apostolicis ad majorem Dei gloriam, & salutem periclitantium dignatus est. Nec non ejus propagandæ studio, ne quid eis è necessariis deesse posset, vivæ vocis oraculo largiri placuit S. Sanctitati, omnimodam communicationem cum privilegiis, & facultatibus universis, cum Ordine Divi Benedicti, S. Francisci, Dominici, Societatis Jesu, aliisque Religiosis quibuslibet, aut Seminariorum Alumnis, qui sunt, vel erunt posthac in partibus illis. Insuper quoad præcepta Regulæ suæ in Habitu, cæterisque observantiis, ut, quando necessarium est judicio prudentis viri, ac timoratæ conscientiæ, liceat eis prætermittere illa similiter, quamdiu in partibus illis commorabuntur; demum gratiis, favoribus, ac privilegiis à Sede Apostolica datis generatim, aut speciatim Ordini suo, prout in usu, probataque sunt, frui, quoties erit opus, unde Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus præfatus ad faciendam hujus rei fidem, præsentibus manum, sigillumque suum apponere dignatus est, hac die vigesima nona Maji anno Domini MDCVIII.

M. Card. Barberinus.

Autograph. in Arch. Sac. Congreg. S. Officii tomo 1. de Hibernia, Anglia &c.

N O T A.

QUæ eadem privilegia, eorumque communicatio à Successore Papa Urbano VIII. confirmata fuêre Decreto sequenti:

Sanctissimus Dominus Noster Dominus Urbanus Papa VIII.

Missioni Capucinorum Hiberniæ, ejusque progressibus prospicere volens, Fratri Barnabæ Barnewallo Hiberno Præfecto ejusdem Missionis, ac ejus in ea Missione successoribus pro tempore, vivæ vocis oraculo Nobis facto, concessit omnes & quascumque facultates, & Privilegia, quæ Missionibus Benedictinorum, Dominicanorum, Franciscanorum, & PP. Societatis, aliisque Religiosis in Regna Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, & cæteras Regiones Magnæ Britanniæ Regi subjectas Missionariis, Alumnisque Collegiorum Pontificiorum, à Sanctitate Sua, vel Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus concessa fuerunt. Insuper cum eodem Patre Barnaba, ac ejus successoribus pro tempore, ut suprà, dispensavit, quoad præcepta Regulæ circa Habitum, cæterasque Religionis observantias, salvis tamen votis substantialibus, si judicio prudentis Viri necessarium visum fuerit: Dummodo tamen in prædictis Regnis & Regionibus, non autem extrà, fuerint. Præterea eidem Fratri Barnabæ, & ejus successoribus pro tempore potestatem fecit, præfatas facultates in totum vel in partem, prout in Domino expedire judicabit, Fratribus suæ præfecturæ subjectis, vel subjiciendis communicandi, easdemque suspendendi, & revocandi toties quoties, prout eidem videbitur, & insuper dispensandi cum iisdem Fratribus circa præcepta Regulæ, & observantias, ut suprà. Et præfata omnia Sanctitas Sua concessit Præfecto præfato, ac illius successoribus pro tempore, accedente consensu Patris Generalis, vel eo absente, Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis, & non aliter. In quorum fidem &c.

Datum Romæ die 25. Junii 1633.

Cardinalis Antonius Barberinus Præfectus.

Exempl. in Arch. Gener. Ordinis Armario *Provinciæ Hiberniæ.*

DECRE-

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regular.

Fr. Malachiam Dalachan inter PP. Observantes Professum, post suum ad nos transitum molestari non debere sancitur.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini.

FR. Hugo Cavellus, humilis Guardianus Collegii Sancti Antonii de Padua Fratrum Hibernorum Ordinis Sancti Francisci Regularis Observantiae, in Universitate Lovaniensi humillimè proponit Illustrissimis Dominationibus Vestris, quod quidam Frater ejusdem Instituti, & Provinciae Hibernicae, nomine Malachias Dalachan, zelo quidem, nescio quo, inductus dictam regularem observantiam, in qua aliquos ante annos professus fuerat, reliquit, ad Institutum Capucinorum Sancti Francisci absque ulla licentia alicujus Superioris propriâ auctoritate se transtulit, & apud illos septem mensibus ita contra formam Bullae Sixti Papae V. illicitè permansit: quibus peractis aliqualem licentiam, & tantùm verbalem sui Provincialis, & contra formam dictae Bullae obtinuit, quâ obtentâ statim post quinque menses à tempore datae licentiae apud praedictos Capucinos in Belgio, existimans illos septem menses priores, quos apud ipsos absque licentia illicitè consumpsit in anno suae probationis, vel novitiatûs, ad quem duodecim menses integri, & validi requiruntur, fore computandos, se ipsum aliquo vinculo sub specie novae professionis obligavit. Quare cum praedicti septem menses, quos contra Bullam Sixti V. apud Capucinos consumpsit, nihil ei suffragentur ad futuram professionem emittendam, & per consequens professio post quinque menses à tempore datę licentię emissa nulla sit, cum ad quamlibet professionem duodecim integri, & validi requirantur: & praeterea dictus Sixtus V. in praedicta Bulla sua, expressis verbis sub districtissimis excommunicationis poenis prohibeat, ne aliquis ex regulari observantia ad Ordinem Capucinorum absque licentia expressa in scriptis Ministri Generalis, vel Provincialis Observantiae, faciente mentionem de verbo ad verbum de praedicta prohibitione, se conferat, praedictus Fr. Hugo Cavellus humillimè supplicat Illustrissimis Dominat. Vestris, quatenus dignentur praecipere dicto Fr. Malachiae Dalachan sub eisdem excommunicationis poenis contentis in Bulla Sixti V., cujus formam ipse nec in suo transitu, nec in professione ullo modo observavit, redire ad suum pristinum Institutum Regularis Observantiae, ipsumque inhabilem reddere ad aliquam professionem apud Capucinos inposterùm emittendam, & pro praemissis, si Illustrissimis Dominat. Vestris placuerit, scribere ad Provincialem Flandriae dicti Ordinis S. Francisci de Observantia &c.

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium praeposita, referente Illustrissimo Lante, censuit dictum Fr. Malachiam non esse ulterius molestandum, sed eidem permittendum, quod remaneat inter Fratres Ordinis Capucinorum, & ita decrevit.

Romae die nona Martii MDCXII.

A. Mar. Card. Gallus.

Exempl. authent. in Arch. generali Ordinis Armario praedicto.

DECRETO

Sac. Congregat. de Propaganda Fide, 24. Decembr. 1631. habitae.

Nonnulla circa Missionarios in Conventu Carolopolitano degentes praescribuntur.

REferente Eminentissimo Domino Cardinali Ginnetio litteras Fratris Francisci Hiberni, Capucini, Praefecti Missionis Hiberniae &c., aliorumque Capucinorum dictae Missionis in Conventu Carolopolis degentium, de P. Onesimo Commissario ad dictum Conventum destinato, & de praedicto Commissario &c. Sacra Congregatio decrevit, ut infra.

I. *Licentiam à Missione praedicta, & à Praefectura ejusdem Missionis à dicto P. Francisco petitam concedendam esse, cum ob senectutem, & podagrae morbum parum utilis sit Missioni praedictae.*

II. *Commissarium à praefato Vicario Generali ad Conventum praedictum Carolopolis destinatum, à dicto Fr. Francisco, & à praedictis PP. non debuisse rejici, quia (ut saepiùs, & novissimè de mandato S. D. N. Sacra Congregatio declaravit) Missionarii sunt in omnibus, & per omnia suis Superioribus subjecti, excepto solo casu remotionis à Missione; Et propterea eidem Fr. Francisco, Patribusque praedictis praecipiendum esse, ut dictum Patrem Onesimum in Commissarium recipiant, eique pareant, debitaque obsequia praestent, juxta praefati Vicarii Generalis mandatum.*

III.

III. *Quoad novum Præfectum prædictæ Missioni assignandum, licet Sacra Congregatio inclinaret, ut Præfectura memoratæ Missionis concederetur Commissario Carolopolis pro tempore, nihilominus justis de causis censuit admonendum esse Vicarium Generalem, ut pro hac vice alium Patrem idoneum ex corpore Missionis nominet, qui Missioni prædictæ præficietur &c.*

Exempl. in Archivo generali Ordinis Armario prædicto.

Zelum Fidei Jacobi Domini Plunketi, Domini de Longvood, commendat, in illius partem studium Fratrum nostrorum ab eo vocari consulit, ac Fr. Patritio de re Catholica locuturo, plenam fidem adhiberi mandat.

Dilecto Filio, Jacobo Plunketo, Domino de Longvood Hiberno.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX Patre Patritio Hiberno Ordinis Capucinorum accepimus, quàm accuratè, & constanter Catholicæ Fidei integritatem in tantis rerum difficultatibus colas. Id nobis, quod in animæ tuæ salutem, atque in multorum utilitatem cum magna Divini nominis gloria redundat, non potest non esse gratissimum. Omnia enim, præsertim spiritualia filiorum nostrorum incrementa propriam Pontificiæ gratulationis, ac lætitiæ materiam esse arbitramur. Neque quicquam in tot, quibus quotidie angimur, solicitudinibus, æquè nobis solatio est, quàm cum de stabili alicujus virtute, quæ præcipuè in periculis pro Catholica Religione susceptis explorata sit, nunciatur. Tu verò eam, qua dudum progrederis, viam insiste, & Spiritûs Sancti, qui hucusque consiliorum tuorum auctor fuit, ductum ne desere. Ita enim fiet, ut optatum laborum tuorum præmium à Deo consequaris, & aliis ad errorea abjiciendos, & Catholicam veritatem sectandam incitamento sis. Id certè Tibi maximè gloriosum, & Nobis, qui virtutes tuas paterna charitate ex animo complectimur, cum primis jucundissimum. Capucinos Fratres ipsorum merito valde diligimus, tum quod religiosam disciplinam diligenter custodiunt, tum quod in Domini vinea strenuè laborant, eorum opera in iis, quæ ad animum excolendum pertinent, plurimum Tibi usui esse poterit. Quæ P. Patritius de re Catholica tecum aget, iis perinde, quasi à Nobis dicantur, fidem adhibebis. Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Junii MDCXXXIII. Pontificatûs nostri anno decimo.

Franciscus Herrera Secret.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes Regesto mensis, & anni præd. fol. 89. à tergo.

D E C R E T O

Sac. Congregat. de Propaganda Fide 15. April. 1636. emanato

Domos, in quibus Fratres Missionarii conversioni Acatholicorum vacant, in Constitutionibus de Monasteriis construendis non comprehendi declaratur.

FUit declaratum, Domunculas, quas Capucini in Hibernia accipiunt, ut melius vacare possint conversioni Hæreticorum, & curam habere Catholicorum ibi degentium, juxta suæ Missionis regulas, non comprehendi in Constitutione Sanctissimi Domini Nostri de novis Monasteriis, vel Conventibus construendis, sine Religiosorum numero, quia Missionum stationes non sunt Conventus, aut Monasteria &c.

Cardinalis Antonius Barberinus Præfectus.

Exemplar Authent. in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Hiberniæ.

Decre-

Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, quo prætensa Collegii Insulensis ad omnes Hiberniæ Provincias communio fuit rejecta, & ad duas duntaxat Provincias, Lageniæ scilicet & Mediæ restricta, Apostolica confirmatione confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Collegialium Collegii Hibernorum Insulensis, Tornacensis Diœcesis, Nobis expositum fuit, quod à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpositis, emanavit Decretum tenoris subsequentis, videlicet: *Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die quarta Martii 1636. referente Eminentissimo Domino Cardinale Antonio instantias Hibernorum, ut Collegium Lillæ in Belgio erectum mediante Fr. Francisco Capucino declararet, esse commune omnibus Regni Hiberniæ Provinciis: Sacra Congregatio visâ visitatione dicti Collegii, in qua dicitur Collegium prædictum fuisse erectum pro solis duabus Provinciis, Lagenia scilicet & Media, instantiam prædictam, utpote contra fundationem rejecit.* Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfati Collegiales Decretum hujusmodi, pro firmiore illius subsistentiâ & validitate, Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent. Nos illos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de ejusmodi Cardinalium consilio Decretum præinsertum cum omnibus & singulis in eo contentis Apostolicâ auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus. Decernentes illud, nec non præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Judices ordinarios &c. judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his &c. contigerit attentari: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Julii MDCXXXVI. Pontificatûs nostri anno decimo tertio.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

NOTA.

CIrca hoc Collegium, à nostro P. Francisco Nugentio supra fol. 276. commendato, quæsitis hinc inde charitatis subsidiis, pro educandis 25. pueris, nec non pro Præfecto, qui substantiæ temporalis curam gerit, & quatuor Provisoribus, duobus videlicet pro parte Episcopi Tornacensis, & aliis duobus Laicis sub nomine Civitatis constitutis rationem reddere tenetur, fundatum, variæ exortæ sunt lites, & mota dubia. Et dum alii prædictos Alumnos & Præfectum ab aliis, quàm à Capucinis eligi posse opinabantur, alii econtra fundationem non ad illos ex Lagenia & Media oriundos privativè limitatam, sed & aliis Provinciis Hiberniæ communem esse prætendebant. Contradictionem diremit Senatûs - Consultum emanatum sub tenore subjecto.

Tertio decimo Novembris 1634. Cum consequenter ad litteras scriptas D. D. Magistratibus à Reverendissimo Episcopo Tornacensi, quibus mandavit, eos debere dare aliquam attentionem reparationi Domûs & Collegii studentium Hibernorum hujus Civitatis, cui Domui atque Collegio novum dedit Præfectum post mortem Domini Lalor, prædicti Domini se instrui fecerint de fundatione & prima introductione præfatorum Hibernorum in hanc Civitatem, & hoc medio cognoverint suprà nominatum Collegium seu Seminarium, ideo fuisse institutum, ut in eodem nutrirentur, educarentur, & instruerentur Juvenes ex Provinciis Lageniæ, & Mediæ Regni Hiberniæ, quatenus disponantur & aptentur statui Religionis, etiam Capucinorum, si fieri poterit, vel aliàs idonei reddantur, & capaces tempore congruo succurrendi præcipuè iis, qui in iisdem Provinciis profitentur fidem Catholicam, Apostolicam, & Romanam; cum aliis Provinciis, seu partibus ejusdem Regni sufficienter circa hoc consultum sit aliunde, erectioque dicti Collegii facta promotaque fuerit curis atque sollicitudine R. P. Francisci Capucini ejusdem Nationis, procuratis ad hoc necessariis mediis: primam quoque intentionem hujus institutionis nunquam aliam fuisse, nisi ut inibi recipiantur Juvenes studentes alterutrius Provinciæ Lageniæ vel Mediæ, Præfectumque hujusce Collegii debere esse in iisdem partibus natum; supplicant in hunc finem R. P. Bonaventura Beehan, & alii Religiosi Capucini nomine omnium Capucinorum ejusdem Patriæ vel Nationis, præcipuè dicti R. P. Francisci, quatenus placeret dictis Dominis Magistratibus moderari præfatum Collegium, secundùm consilium præfatorum Capucinorum Hibernorum, præcipiendo nullum in hocce Collegium, ne quidem Præfectum, admitti absque nominatione prædictorum Capucinorum, eorumque

Successorum. Omnibus maturè perpensis, dicti DD. Magistratus declarârunt eorum intentionem esse, nullum recipi posse in eodem Collegio seu Seminario Hibernico, sive Præfectum, sive quemvis alium, nisi sit nominatus à RR. PP. Capucinis ortis in una vel altera Provincia Lageniæ vel Mediæ; præcipientes omnibus, præsertim iis, quibus cura vel regimen hujusce Collegii commissum fuerit, secundùm hoc Decretum se regulare, ita ut non permittant administrationem hujus Collegii alteri dari, quàm illi vel illis, quos DD. Magistratus elegerint, secundùm tenorem litterarum de hac re scriptarum dicto Reverendissimo Episcopo Tornacensi, nullatenus volentes dictum Collegium vel Seminarium debere inservire receptioni Sacerdotum, ut in eo studere queant Theologiæ vel aliis exercitiis, sed debere solummodò servire Juvenibus alio subsidio destitutis, ut in eo possint incipere & complere sua studia, & se vitæ Religiosæ capaces reddere, quò cum pervenerint, vel aliàs se idoneos præbuerint ad inserviendum devotis animis, in iis, quæ ad conscientiam & consolationem spiritualem spectant, indigenarum solummodo dictarum Provinciarum Lageniæ & Mediæ &c.

Gillet &c.

Autog. in Archivo Provinciæ.

Recrudescente lite & prætensione, quod fundatio omnibus Hiberniæ Provinciis esset communis, Romæ appellantem recursum Decreto, per superiùs positas Apostolicas litteras confirmato rejecit, sicut & tentatam novitatis inductionem inhibuit per Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die 20. Aprilis 1648. ita sonans.

Relatâ instantiâ Capucinorum Missionariorum Conventûs Cornovillæ Hibernorum circa Seminarium Insulense, vulgò Lillæ, à P. Francisco Hiberno Capucino Missionario erectum, ne illa fundatio dicti Collegii immutetur, prout nonnulli immutare prætendunt, qui dicti Collegii regimen à Magistratu Insulensi procurant, Sacra Congregatio jussit annotari; nihil transeat, nisi vocatis, & auditis præfatis Capucinis Missionariis.

Franciscus Ingolus Notarius.

Revixit controversia circa nominationem Pro-Præfecti, seu Œconomi, quem independenter à Capucinis constitui posse nonnulli urgebant; quæ & suffocata remansit sententiâ Magistratûs Insulensis sequente;

Visâ differentia &c. inter P. Bonaventuram Donaellii, Capucinum, Custodem, Superiorem Capucinorum Hibernorum, & Actorem ex una- & inter Provisores Collegii Hiberni hujus Civitatis Adversarios & Defensores ex altera. partibus; viso quoque libello supplici D. Caroli Maguire, Hiberni, Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Petrum in hac Civitate Decani sub 4. Octob. dato; auditis Procuratore, & Syndico; consideratis omnibus, quæ considerari debent, & movere possunt, seriâ & matura deliberatione Consilii, nulla attentione ad dictum Domini Maguire libellum factâ declaravimus & declaramus Præfectum, & Pro-Præfectum, seu OEconomum enuntiati Collegii ex Provincia Lageniæ & Mediæ in Hibernia oriundos esse debere, & præsentationem ad Patres Capucinos pertinere.

Insuper ordinamus, ut declaratio nostra sub 13. Novemb. 1634., emanata executioni detur, & mandamus Parti contrariæ, ut Dominum Donnier constitutum interinum OEconomum seu Pro-Præfectum datâ prius redditunm & expensarum ab ipso factarum, dictumque Collegium concernentium ratione dimittat, expensasque inter partes compensamus. Lata in audientia 11. Febr. 1721. præsentibus Prætore, Scabinis &c.

D E C R E T O

Sacræ Congregat. de Propaganda Fide habitæ die 3. Decembr. 1640.

Præfectura Missionis ad Sedanum in personam Fr. Josephi de Morlaix ad instantias Ducis Bullionii transfertur.

REferente Eminentissimo Cardinale Spada litteras Nuntii Galliarum, & Domini Ducis Bullionii ad eundem Nuntium datas, Sacra Congregatio visis, & consideratis rationibus, ob quas dictus Dominus Dux instat Præfecturam Missionis P. Georgii Hiberni Capucini in Sedanum transferri in personam Fratris Josephi de Morlaix ejusdem Ordinis cum sociis, qui juxta progressum dictæ Missionis erunt necessarii: Sacra Congregatio Præfecturam prædictam transtulit in dictum P. Josephum, & de sociis jussit rescribi eidem Nuntio, ut de Religiosis Capucinis ad dictam Missionem idoneis infrascriptos assumat, & nomina eorum, qui erunt ad dictam Missionem necessarii, sicut & pro facultatibus tam pro præfato, quàm pro sociis jussit adiri Sanctum Officium &c.

Exemplar in Archivo generali Ordinis Armario prædicto.

NOTA

NOTA

MOrantes tunc Sedani Fratres Rex Christianissimus in libero Missionis exercitio stabilivit, & litteris protectionis Regiæ communivit sequentibus:

Ludovicus, Dei gratia, Franciæ & Navarræ Rex, omnibus præsentibus & futuris salutem &c.

Non habemus efficaciora media, quibus mereamur nobis, Regno nostro, & Subditis, Dei benedictionem, quàm procurare totis nervis divinum cultum, & honorem, atque ad subditorum instructionem invitare illos, qui per suam vitam exemplarem, paupertatem voluntariam, humilitatem, & morum puritatem ad eum finem possunt conducere, nosque adjuvare per suas prædicationes & colloquia, in reducendis ad Ecclesiæ gremium iis, qui ex subjecto nobis populo à recti tramite deviârunt. Porro in nostra Civitate Sedanensi nobis speciali modo significatum est, maximos progressus continuò fieri à P. Capucinis Hibernis, quà dictæ Urbis nostræ municipes Catholicos instruendo, quà conferendo cum Civibus Heterodoxis, quà destinando Capucinos ad consolationem spiritualem Catholicorum Regni Hiberniæ, & conversionem hæreticorum ejusdem patriæ, apud quam eximios fructus fecerunt, procurantes animarum lucrum, austeritate vitæ, & conversationis suavitate æquè, ac concionibus ad suam vitam quadrantibus, quâ non minus, quàm verbis prædicant ad exaltationem Ecclesiæ Matris nostræ. Quare volentes impertiri dictis P. Capucinis Hibernis statum firmiorem & permanentiorem eo, quem Sedani habuerunt à quindecim annis, illò introducti à charissimo Cognato nostro defuncto Duce Bullionio, ibidemque virtute litterarum ejus 2. Sept. 1641. stabiliti ad postulata omnium Catholicorum ejusdem Urbis, & intercessionem D. Ducissæ Bulloniæ Uxoris ejus, & consensum Episcopi Diœcesani per diversa acta, quæ ab ipso obtinuissent ad celebranda ibi sacra, conciones habendas, confessiones excipiendas, catechesin explicandam, & stationes Missionarias faciendas: quæ acta sub nostro sigillo, hic annexa nobis exhibuerunt, supplicantes, quatenus dignaremur ipsis concedere litteras nostras dicta acta confirmantes, &, si opus sit, nostrum stabilimentum continentes. Has ob causas notum facimus, quod laudantes, & approbantes hoc sanctum Institutum, & desiderantes, quantùm penes nos est, concurrere ad tam pium opus, & eorum sanctas preces participare; ex nostra gratia speciali, plena potentia, & auctoritate Regiâ per præsens placitum nostra manu signatum confirmavimus & confirmamus, &, quantùm necesse est, vel esset, permisimus, & permittimus stabilimentum prædictorum P. Capucinorum Hibernorum in dicta Urbe nostra Sedanensi ad ædificandam ibi Ecclesiam, Domum, & Conventum alium ab eo, quem nunc ibidem incolunt, in quocumque commodiori loco ipsis imposterùm concedendo, In quo non alios ad professionem admittere valeant, quàm ex Regno Hibernico oriundos, qui suam domum, & receptaculum habeant sub moderamine Generalis Capucinorum profecturi ad Missiones, sicut ab ipso ordinatum fuerit, cum eadem independentiâ ab omnibus aliis Ordinis Provinciis, quàm hactenus adepti sunt, & pro qua illis concedenda defunctus Rex, honoratissimus Dominus noster, & Pater se apud Summum Pontificem intercessorem præbuit, ipsis permittentes ibi vivere eodem modo, quo hactenus vixerunt, & nunc vivunt, nec non uti, ac frui iisdem libertatibus, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, quæstibus, functionibus, & aliis exercitiis sui Ordinis (secundùm ejus Religionis statuta) quibus alii quicumque in Regno nostro stabiliti ex eodem Ordine utuntur. Insuper Consiliariis nostris supremam Curiam nostram apud Sedanum componentibus, & omnibus aliis Justitiariis, & Officialibus nostris, ad quos ea res pertinet, præcipimus, quatenus præsens diploma conscribant, & curent, ut in eodem contenti dicti P. Capucini Hiberni plenè, pacificè, & perpetuò utantur, nullamque patiantur molestiam, aut impedimentum in contrarium: nam sic stat nostra voluntas. Non obstantibus quibuscumque ordinationibus, & litteris huic diplomati contrariis, quas per præsentes abrogavimus, & derogamus, &, ut hæc res sit firma, & stabilis in perpetuum, sigillum nostrum apponendum curavimus: salvo in aliis rebus jure nostro, & alieno in omnibus.

Datum Sedani mense Julii, anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, & Regni nostri duodecimo &c.

Ludovicus.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

APOSTOLICA AUTHORITATE.

Fratres in Civitate Galviensi confirmantur, quacumque aliorum Regularium oppositione non obstante.

Nos Joannes Baptista Rinuccinus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus, & Princeps Firmanus, & in Hiberniæ Regno Nuntius Apostolicus extraordinarius.

Universis & singulis præsentes litteras inspecturis salutem.

Coram Nobis comparuerunt Fratres Sancti Francisci Capucini habitantes in hac Urbe Galviensi ad informandum animum nostrum, quatenus in prædicta Urbe possint simul vivere numero competenti, etiam turbulentissimo hoc tempore secundùm Canones, Apostolicas Ordinationes, & Constitutiones suas Regulares, sine magna importunitate benefactorum, aut notabili præjudicio aliorum Ordinum Regularium; Insuper per Reverendissimum D. Malachiam, olim Archiepiscopum Thuamensem admissi & approbati fuerint, non obstantibus oppositionibus aliorum Regularium, in tota Diœcesi, & ad hunc finem etiam per eundem supplicata fuerit Sua Sanctitas, ut sua supremæ auctoritate illos in dicta Diœcesi stabilire dignaretur, non obstantibus privilegiis, & oppositionibus aliorum Ordinum, quos in hac re nullas habere justas causas asseruit; Præterea post illius mortem per Reverendissimum Episcopum Clonfertensem, tunc Præpositum Galviæ, & Vicarium Generalem Apostolicum Thuamensem iterum in hac Urbe Galviensi admissi, approbati & confirmati fuerint, non obstantibus oppositionibus Regularium, ut ex ejus Decreto apparet. Et quia comperimus hæc vera esse, & experientiâ didicimus prædictos Fratres numero competenti posse in præfata Urbe Galviensi bene sustentari: quinimò & alii Ordines nondum confirmati, præter Augustinianos, Dominicanos, & Franciscanos jam receptos, eleemosynis similiter vivunt; nec non considerantes prædictos Fratres Capucinos cum applausu, approbatione, & ædificatione omnium Civium hic inhabitâsse, & exactam, ac perfectam Regulæ S. Francisci observantiam profiteri, multos eorum vitæ exemplis, Dei comitante gratiâ, à vitiis abstrahi, & ad pietatem compelli; & dum assiduæ psalmodiæ, jejuniis, & orationibus, ac Divini verbi prædicationi incumbunt, majora inposterùm ad Divini Nominis gloriam, & Religionis Catholicæ in hoc Regno incrementum polliceantur. Idcirco auctoritate Apostolicâ nobis commissâ, & quâ fungimur, prædictos Fratres S. Francisci nuncupatos Capucinos, eorumque successores in hac Urbe Galviâ approbamus & confirmamus per præsentes, cum plena potestate exercendi omnes suas Regulares functiones, mendicandi, prædicandi, cantandi Divinum Officium &c. tam amplo modo, quàm alibi faciunt. Volentes insuper, ut, si qui forsan defectus in hac concessione intervenerint, omnes & singuli suppleantur.

Datum Galviæ ex Palatio nostræ Residentiæ die 15. Novembris 1645.

N O T A,

In medio persecutionis lætificavit insuper Fratres protectio Reginæ, quæ Archiepiscopum & Primatem Hiberniæ ad interponenda pro fundatione Domûs Galviensis & aliarum suæ authoritatis officia requisivit, litteris sequentibus:

Verè fidelis & maximè dilecte Cognate salutem. Magna Beneficia, quæ Ecclesia Dei istius Regni percipit per pios conatus sancti Ordinis Capucinorum, nobis graphicè intimata sunt, nobisque singularem venerationem erga illum Ordinem inspiraverunt. Quamobrem intelligentes vestram assistentiam atque protectionem illis plurimùm prodesse posse in prosecutione suorum piorum desideriorum, æquum judicavimus his à Te requirere, illis præbeas omnem tutelam in omnibus occasionibus, ubi vestro indiguerint præsidio, & vestram adhibeas authoritatem, ut in Civitate Galviæ recipiantur, & in omnibus aliis locis, quandocunque id à Te requisierint: Insuper enixè harum Tibi commendamus Latorem P. Franciscum Nugentium tanquam hominem ardentissimi zeli, atque exemplarissimæ vitæ; certum te reddentes summoperè nobis placiturum, auxilium illi vel suo Ordini à Te exhibendum, cujus probationem coram nobis reperies, quando nostro favore vel mediatione indigueris &c. 26. Junii 1645.

Autograph. utriusque Documenti in Archivo Provinciæ.

DECRE-

D E C R E T O

Sacræ Congregat. de Propag. 25. Februarii 1650. coram Sanctissimo habita

Fratribus Missionariis in Regno Hiberniæ Conventus, & Hospitia per decem annos erigendi facultas, & pro hujus extensione novus recursus conceditur.

PRoponente Eminentissimo Domino Cardinale Cataffa libellum supplicem P. Ricbardi Oferal Capucini, Procuratoris PP. Hibernorum ejusdem Ordinis, petentis, quod, cum aliàs in ultima Congregatione habita coram Sanctitate Suâ sub die 18. Octobris proximè præteriti circa instantiam eorumdem Patrum pro facultate fundandi, & erigendi Conventus in qualibet parte, & loco dicti Regni Hiberniæ, fuerit resolutum, quod expectaretur adventus Domini Archiepiscopi Firmani Nuntii Apostolici pro informatione, & cum dictus Dominus jam pervenerit Romam, & suam opinionem, & votum dederit, nunc dignetur dictam facultatem concedere.

Sanctissimus Dominus Noster de consilio & voto Eminentissimorum Patrum concessit facultatem Patribus Capucinis Hiberniæ per decem annos, ut possint in qualibet illius Regni Civitate de consensu duntaxat Ordinarii, Conventus, & Hospitia erigere, ibique vitam conventualem, & alias functiones tam extrinsecas & publicas, quàm intrinsecas & privatas juxta regulam, statuta, & privilegia Patrum Capucinorum agere, & exercere cum omnibus juribus, indultis, præeminentiis, honoribus, & facultatibus solitis & consuetis; nec non publicè mendicare more suo, Crucemque in Processionibus ferre, prout in aliis quibuscumque partibus dicti Patres facere & exequi solent: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, Constitutionibus etiam Apostolicis, ac juribus, vel aliis in contrarium facientibus, etiam ad favorem cujusvis alterius Religionis, vel Religionum factis, seu concessis ab aliis Pontificibus Prædecessoribus, licèt hîc non exprimantur. Quibus omnibus & singulis Sanctitas Sua pro hac vice derogavit per totum supradictum tempus, quo transacto, si velint alia loca recipere, fundare, & erigere, iterum ad Sanctam Sedem, vel ad Sacram Congregationem pro extensione gratiæ recurrant, & totum hoc cum conditione, quod non intelligatur ibi ex hoc erecta Provincia, & quod Conventus illi fundandi & erigendi immediatè dependeant à P. Generali, & regantur & gubernentur ad beneplacitum & voluntatem ipsius à Commissario, Vicario, vel alio Superiore, prout ipse constituet, ut jam fit, & ordinatum est in locis, ubi fuerunt recepti, in quibus eos Sua Sanctitas auctoritate Apostolicâ confirmavit cum conditionibus & privilegiis, prout suprà.

A. Card. Capponius.

Exempl. in Arch. generali Ordin. Armario Provincia Hiberniæ.

N O T A.

DEcretum & gratiam cum solo Ordinariorum consensu recipiendi Domos Regulares tum à Sacra Congregatione de Propaganda Fide, tum ab ipso Summo Pontifice concedi, & elapso decennio confirmari ipsi Hiberniæ Antistites sollicitàrunt per litteras subsequentes:

Eminentissimi Patres.

Ratio officii nostri postulat, ut, quos sua virtutum merita Domi commendant, ipsos & Nos apud EE. Vestras commendatos habeamus. Hinc est, quod Reverendos in Christo Patres Fratres Capucinos Pontificiâ in Hiberniam pro lucrandis animabus auctoritate destinatos, ut strenuos in Vinea Domini operarios, EE. Vestrarum favoribus dignos commendemus: ipsorum enim Regularis disciplina, pax cum Pastoribus in Missionibus suis observata, reverentia Ordinariis exhibita, & uberrimi ipsorum ex assiduo labore fructus, ad hoc libenter Nos excitant. Quare EE. Vestris commendatissimos esse percupimus, quatenus Gens religiosa, ad Dei gloriam, & animarum salutem apta, non deficiat, sed vestris piis favoribus ad messem apud Nos crescat, sperantes tales illos subsidiarios in Vinea Domini Ministros evasuros, quales Hiberniæ communis Patriæ postulat necessitas.

Datum in loco Refugii nostri die decimo mensis Maji 1642.

Thomas Archiepiscopus Cassiliensis.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

Nos

Nos infrascripti Præsules & Episcopi Regni Hiberniæ pro nonnullis negotiis in Civitate Kilkenniæ 21. Octobris 1642. congregati inter alia tranquillitatem, & pacem Reipublicæ concernentia consideravimus, quod sacer Ordo Fratrum Minorum Capucinorum in aliquibus Diœcesibus per contrarietates à quibusdam Religiosis ideo factos, ne ex iis locis, in quibus ipsi ab antiquo resideat, recipiantur, graviter vexetur & molestetur, & quidem ex hoc solo fine, quod dicti Regulares, per Patrum Capucinorum adventum, sibi solitum victum in illis locis & Civitatibus defecturum esse timeant. Cum autem certâ experientiâ cognoscamus, quod hic modicus Christi grex non quærat, quæ sua, sed Dei sunt, paucis rebus, vili & simplice victu & amictu contentus, abstineat ab omni recipiendarum vel quærendarum Decimarum cura, & ambitione sepeliendi defunctos, aut defunctorum recitandi officia non feratur, & econtra debito honore, & reverentia locorum Ordinarios, & animarum Pastores prosequatur, ac sine horum licentia nulli Ecclesiasticæ functioni se ingerat: Prætorquam, quod prædicti Patres vitæ suæ exemplo, disciplinâ regulari, continuis concionibus, celebratione Missarum, & zelo confessionum excipiendarum fideliter populo inserviunt, & divina gratia comite amplissimos pietatis, & bonorum operum effectus in Religione Catholica producant. Quapropter rem necessariam, omnibusque universaliter gratissimam fore existimamus, si in prædictis locis, & Civitatibus recipiantur. Hinc & EE. DD. Cardinalibus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide instanter supplicamus, quatenus Capucinos in nostris Diœcesibus & districtibus recipiendi liberam facultatem Nobis concedant, non obstantibus Constitutionibus Canonicis, aliorum Regularium privilegiis, vel quacunque alia causa in contrarium.

Datum loco, die, & anno supradicto &c.

Malachias, Archiepiscopus Tuamensis.

David, Episcopus Ossoriensis.

Richardus, Episcopus Limericensis.

Guilielmus, Episcopus Corcagiensis & Cluanensis.

Joannes, Episcopus Laonensis.

Autograph. in Archivo generali Ordinis Armario Provinciæ Hiberniæ.

BEATISSIME PATER.

Sollicitudo restituendi Catholicam Religionem, in hoc Regno penè collapsam, jam nos, quorum plurimùm interest, valde pulsat ad eos Nobis adjutores & auxiliares adsciscendos, quos jamdiu fuimus experti huic muneri esse aptos, & maximè idoneos huic rerum statui, quo totum hoc Regnum immani schismate, contemptu Cleri, & perdendæ Religionis periculo laborare cernimus. Inter plerosque autem celeberrimos Prælatos, Doctores, Divini Verbi Præcones, homines doctrinâ, pietate, & Religione illustres, tam Sæculares, quàm Religiosos, quorum operâ Deus Optimus Maximus hic Religionem adhuc sartam tectam reservavit, tandem Capucinos huc, horâ undecimâ vocavit, qui tam alacri animo, atque immenso quodam charitatis æstu, saluti animarum invigilant, & tam uberes fructus in hoc agro dominico attulerunt, & quotidie adferre non cessant, ut inter cæteros Ordines, quos Cœlestis Agricola in hac Vinea Domini plantavit, locari, & conduci mereantur: quicumque enim illorum vitam, morum & virtutum exempla, submissionem Ordinariis, Divini Verbi prædicationes, hæreticorum, & peccatorum reductiones, cæterasque Missionariorum functiones mente revolvet, clarè animadvertet, quod Deus Hiberniæ reformationem, magna ex parte Capucinis reservâsse videatur; Quare tot eos antehac Episcopi & Archiepiscopi apud Sedem Apostolicam commendârunt, & nuper etiam 3. Martii 1646. omnes simul Regni Prælati, Abbates, Episcopi, Archiepiscopi cum cæteris omnibus Regni Ordinibus seu Proceribus, communi contentione & suffragio, eorum Religionem in legitimam Regni Filiam cooptare & acceptare non dubitârunt. Nos itaque præmissorum meritorum intuitu Religionem tanto virtutum splendore fulgentem, paterne zelantes affectu, ob Regni & Religionis emolumentum supplicamus & petimus, ut Capucini inter Mendicantes hujus Regni auctoritate Apostolicâ numerentur, ut etiam sit Ordinariis integrum, erigendorum Conventuum illis facultatem præbere, etiam judicio aliorum Religiosorum non expectato, qui quasi communi sententia ad eos ubique excludendos conspirare Nobis videntur; præsertim ubi Ordinariis constiterit, hos cum præexistentibus Religiosis sustentari posse, aut earum oppositiones esse minus justas, aut rationi consentaneas; judicamus enim, & partim experientiâ compertum habemus, quod etiam turbulentissimis temporibus possint Capucini, pluribus in locis numero competenti vivere secundùm Canones, Apostolicas Ordinationes, & Regulares suas Constitutiones, etiam sine nimia suorum Benefactorum importunitate, aut notabili præjudicio Religiosorum, qui simul sustentari possint, uti de facto sustentantur, cum multis aliis Religiosis, & Mendicantibus nondum receptis; Unde expectamus, ut Capucini sic recepti & confirmati possint ad nostrum solatium, Religionis & Ecclesiæ utilitatem exercere sui Ordinis functiones omnes, tam plenè ac liberè, atque alibi facere solent: hoc ipsi promerentur ob singularem observantiam, subjectionem, & obedientiam ergo Nos, ergo Apostolicum

Nun-

Nuntium, & Ecclesiam Romanam, in his extremis fidei periculis, in quibus ferè soli immaculati & inconcussi permanserunt: Idea illos admitti, & per totum Regnum stabiliri in nostris præcipuè Diœcesibus humiliter deprecamur.
Galviæ 7. Novembris 1648.

Joannes, Rapotensis Episcopus.

Walterus, Clonfertensis Episcopus.

Robertus, Corcagiensis Episcopus, & Cluacensis.

F. Antonius, Episcopus Clunmacnensis.

Eminentissimi Domini,

Plures ex Hiberniæ Episcopis, aliisque Ordinariis; considerantes Fratrum Min. Capucinorum in disciplina regulari observantiam, vitæ integritatem, & in Fide amplificanda zelum, uberiorem fructum inde in hanc Ecclesiam profecturum sperant, si hactenus concessa præfatis Religiosis facultas denuo renovetur, nempe, ut cum Ordinariorum licentiâ, absque aliorum Mendicantium consensu, apta sibi domicilia in hoc Regno recipere, & etiam recepta retinere valeant. Ego igitur iisdem rationibus permotus in eundem aliorum Prælatorum sensum conspirare volens, supplex oro EE. Vestras, ut locorum Ordinariis liceat, absque dictorum Mendicantium consensu, præfatos Fratres Capucinos in jam acceptis domiciliis, atque in nova inducere, prout Reipublicæ Catholicæ utiles nobis in Domino visum fuerit. Exosculor reverenter manus vestros.
Rossæ 20. Januarii 1669. stilo veteri.

Jacobus Archiepiscopus Tuamensis.

SANCTISSIME PATER.

Quod olim Prædecessores nostri Hiberniæ Prælati in gratiam RR. PP. Capucinorum meritò fecerunt, idem & nos potiori jure nunc faciendum duximus, dum dicti Patres tanto charitatis æstu, saluti animarum invigilant, ut nec labori sua, nec periculo unquam parcentes, uberes quotidie fructus in agro Dominico adferant, & totius Religiositatis exemplo præluceant. Cumque nuper visum fuerit Eminentis. DD. Cardinalibus de prop. fide in generali Congregatione habito 25. Febr. 1650. facultatem concedere dictis PP. Capucinis Hiberniæ, per decem annos, ut possint in qualibet istius Regni Civitate, seu locis idoneis, de consensu duntaxat Ordinariorum, Conventus & Hospitia erigere &c., prout in dicto Decreto latius patet. Cumque ea fuerit tota istius decennii decursu rerum in Hibernia tempestas, & Ecclesiæ calamitas, ut nullatenus dicti PP. impensâ illis gratia uti possent; Pastoralis nostra pulsat Nos sollicitudo, ut, quatenus tam aptos in Vinea Domini Adjutores auxiliarios adsciscamus, ad S. Sedem, illorum nomine, pro extensione gratiæ recurramus: supplicantes ac petentes Eminentis. Dominos Cardinales de prop. fide, ut libera fiat locorum Ordinariis in Hibernia facultas, prædictos Patres Capucinos in suis respectivè Diœcesibus recipiendi. Non obstantibus Constitutionibus Canonicis, privilegiis regularibus, & cæteris quibuscunque in contrarium facientibus.
Datum in Hibernia 17. Aprilis 1669.

Patritius, Episcopus Ardensis.

Angelus, Goulding Vic. Generalis Dubliniensis.

Thomas, à Burgo Vic. Generalis Tuamensis.

Jacobus, Finaghty Vic. Generalis Elfinensis.

Gyldas, Bunocter Vic. Generalis Clonfertensis.

Virorum Ecclesiæ votis junxère & sua plures Proceres Regni per litteras sequentes:

Eminen-

Eminentissimi Domini.

Quam olim Deus dedit Orbi Terrarum, scelerum mole penè obruto, Franciscanam Familiam, quæ homines à vitiis deterreret, & collapsam in Orbe Terrarum pietatem restitueret, eandem Capucinorum Reformationem de novo ortam, placuit & Deo novis Ecclesiæ Hiberniæ ruinis instaurandis sexaginta ab hinc annis transmittere hujus Ordinis Venerabiles Alumnos, non degeneres, sed redivivos S. Francisci Filios, quos & innocuos Dominicæ Vineæ Cultores experti sumus. Etenim segregati in opus, ad quod assumpti sunt, ignaros quotidie instruentes, ad justitiam erudiunt multos: itemque Viri existentes sobrii, & quieti ingenii, rogantes jugiter, quæ ad pacem sunt, nec non modicum suum victum assiduo labore, non importuno quæstu lucrantes, nemini onerosi, omnibus fructuosi, Regni Clero, & Proceribus, populoque curæ & cordi sunt, quin etiam à primo suæ conversationis exordio, primo simplicitatis suæ spiritui insistentes, nullam unquam scandali ansam præbuerunt. Sed à Wallesiano & alio quovis turbine se abstrahentes, spiritui auræ lenis (in quo Dominus) fixè semper intendunt, ut propterea ipsis Regni habenas moderantibus, ipsisque Hæreticis præ cæteris minus offensi sint: quare in horum ad fidem conversionem, cui acriùs incumbunt, summoperè proficiunt. Insuper Eminentissimi Domini, quandoquidem mediante eximiu Virorum Dei horum verbo & exemplo, dum diu ambulavimus in medio tribulationum & umbra mortis, vivificaret nos Deus, & confirmaverit, ne nos hæresi, Hæreticorum, quæ sævitiei succumberemus, immineantque adhuc plagis nostris, vigeantque pro fide persecutiones satis graves, strenuisque ejusmodi, & fidis operariis jugiter indigeamus; Cumque multoties antehac plures Regni Episcopi & Archiepiscopi Patres hos apud Sedem Apostolicam commendaverint, Kilkeniæ autem anno 1646. 3. Martii omnes simul totius Regni Prælati, Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, cum cæteris Regni Proceribus, communi consensione & suffragio eorum Religionem in legitimam Regni Filium cooptare, & acceptare non dubitaverint. Nos, quorum interest, EE. Vestras enixiùs exoramus, & impensiùs obsecramus, ut præfatos PP. Capucinos, proficuo nostro favore & protectione confoveatis, ut libera sit locorum Ordinariis facultas eos in suis respectivè Diœcesibus recipiendi, prout iisdem aliàs in generali vestra Congregatione habita coram Sua Sanctitate die 25. Febr. anno 1650. ad decennium concessum fuit: non obstantibus quibuscumque in contrarium sonantibus, eisque id omne elargiamini, quo colendæ Vineæ Dominicæ serventur, eorumque pia vigeat disciplina, neque enim minorem vestram, etiamnum de nostra in fide, & pietate constantiâ, & manutenentiâ, paternam sollicitudinem æstimamus, quàm illam, quâ olim Emi DD. Prædecessores vestri, Sanctissimique Antistites, Sanctum Patritium in Hiberniam, S. Augustinum in Angliam &c. ut PP. nostros in eandem fidem & pietatem perducerent, divina charitatis impulsu miserunt. Cæterùm, Eminentissimi Domini, est hæc ad S. Sedem eorum supplicatio, qui pro eadem Sede, quod supremam ejus authoritatem in spiritualibus nefario juramento non negemus, Principalibus Dominiis, ac Sedibus expulsi quasi morimur, & quodammodo vivimus. Vos autem, Eminentissimi Domini, feliciùs vivite & valete.

Ex Hibernia idibus Octobris 1669.

Eminentiarum Vestrarum

Devotissimi Filii.

Carlingford - Comes de Carlingford.

Gormanston, Vice-Comes de Gormanston.

Dillon, Comes de Costologh, Conatiæ olim Præses.

Slane, secundus Regni Baro.

Trembleston, Baro de Trembleston.

Taaffe, Vice-Comes de Coren.

Montharret, Vice-Comes de Montharret.

Barnevvall, Vice-Comes de Kingsland, & Baro de Turvy.

Carolus o Moor, Antiquissimæ Familiæ suæ Princeps.

Autograph. hujus & præced. Documentorum in Arch. Provinciæ.

DECRE-

DECRETO

Sacra Congregationis de Propaganda Fide, habitæ die 26. Novembris 1651.

In beneficium Militum & Nautarum Anglorum &c. in Galliis existentium Capucini, Missionarios declarantur, & sub Præfectura P. Commissarii Hiberni constituuntur.

PRoponente Eminentissimo Domino Cardinali Barberino libellum supplicem P. Procuratoris Generalis Capucinorum, petentis, ut Sacra Congregatio in beneficium Militum & Nautarum Anglorum, Hibernorum, & Scotorum, nec non Germanorum, aliorumque exterorum, qui degunt in Gallia, aliisque Provinciis adjacentibus, velit Missionarios Capucinos declarare sub Præfectura P. Commissarii ejusdem Ordinis Hiberni, & P. Bernardini similiter Hiberni Missionarii Sedanensis Capucini, Eminentissimi Patres petitioni annuentes, pro necessitatibus spiritualibus supradictorum Militum, & Nautarum, Missionem petitam decreverunt sub Præfecturâ P. Commissarii Generalis Capucinorum Hiberniæ, constituendo Vice-Præfectum Fr. Bernardinum ejusdem Ordinis Missionarium Sedanensem, cum conditione tamen, quod dictus Præfectus, vel Vice-Præfectus infra tres menses ad Sacram Congregationem mittere debeant notulam cum nomine, patria, & numero Missionariorum, qui facultates suas extra Milites & Nautas exteros minimè exercere, aut extendere possint, nec valeant, sed eorum tantùm confessiones audire, eisque admonitiones & monita salutaria facere, absolutionem impertiri, aliasque facultates exercere, ne defectu Sacerdotum, qui linguam eorum calleant, in peccatis, ac propria ignorantia computrescant &c.

Card. Pamphilius.

Exemplar in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Hiberniæ.

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Decretum generale de Commissario, seu Custode per canonicam electionem quolibet triennio constituendo, & de facultativo hujus ad Capitula generalia accessu, & concursu confirmatur.

In nomine Domini.

Nos Fr. Joannes Petrus à Busto Ordinis Minor. S. Francisci Capucinorum Minister Generalis.

QUoniam R. P. Cyprianus Armachanus Commissarius nostræ Missionis Hiberniæ, Nobis humiliter dignis de causis supplicavit in Capitulo Generali in hac Alma Urbe mense Maji 1698. congregato, ut constitutio Commissarii dictæ Missionis, quæ usque ad hæc tempora facta fuit ab Admodum R. P. Ministro Generali, inposterùm esset electiva, dictoque Commissario utraque vox in Capitulis Generalibus concederetur; Nos habito per vota secreta consensu majoris partis ejusdem Capituli, cui ex mandato Sanctissimi Domini Nostri Papæ Innocentii Duodecimi utrumque punctum proposuimus, dictam petitionem justam & rationabilem esse judicavimus; Ideoque tenore præsentium decernimus & concedimus, ut inposterùm perpetuis temporibus Commissarius dictæ Missionis Hiberniæ, sub nomine Custodis constituatur in fine cujuslibet triennii per canonicam electionem, ad modum seu formam compromissi limitati faciendam, & concursum nostrorum Religiosorum quartum Religionis annum excedentium, & de Familia in Conventibus Galliæ, ad eandem Missionem pertinentibus existentium constituatur, nec non, ut idemmet Custos tali modo electus sit vocalis in singulis Capitulis Generalibus, gaudeatque omnibus facultatibus & prærogativis, quibus alii Custodes in dicto Capitulo Generali gaudere solent, atque ita judicamus, decernimus, concedimus hoc & omni alio meliori modo, & forma &c.

Fr. Joannes Petrus qui supra &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, Ora- toris

ceris precibus annuendo supraſcriptum Decretum benignè approbavit, & confirmavit 11. Julii 1698.

C. Card. Carpineus.

Exempl. Authen. in Arch. Provinciæ.

RESCRIPTO APOSTOLICO

Fr. N. N. laicus, ad ſtatum Clericalem tranſire volens in ſua vocatione manere jubetur.

Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

FRater N. N. laicus Capucinus Hibernus cupiens ſervire illis Miſſionibus cum majori fructu, ſupplicat EE.VV. quatenus ad gradum Sacerdotii promoveri queat. Inſtant pro eadem cum eo gratiâ Superiores Præfecti ſuæ Miſſionis, & ipſe quoque Illuſtriſimus & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Vizamenſis Primas Connaciæ, quæ eſt Oratoris Provincia: teſtanturque, quod hic ſit ex progenie Nobili, Nepos defuncti Epiſcopi Clonfortenſis, optimorum morum, zeli & doctrinæ ſufficientis; imò ſuperaddunt, quod hæc gratia tendat ad ſpeciale illius Miſſionis commodum attentis præſentibus circumſtantiis perſecutionis, quâ Sacerdotes alias noti, & aliis vicibus tollerati fuêre expulſi, cum ipſe detectus etiam foret.

Reſcriptum primum.

Audiatur Pater Vicarius Generalis Capucinorum, &, quatenus nihil opponat, pro gratia, & cum Sanctiſſimo.

Informatio & Votum P. Vicarii Generalis.

Idem Pater Vicarius diſſentitur, & ſupplicat, ne detur hoc præjudiciale exemplum in ſua Religione &c. præſertim cum in Conſtitutionibus Clementis VIII. & Urbani VIII. caveatur: *Qui ad Converſorum Habitum recepti fuerint, ad Clericalem ſtatum redire aut tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſunt.*

Reſcriptum ſecundum, & deciſivum.

Die Martii 19. 1710. in Audientia Sanctiſsimi.

Sanctitas Sua mandavit Oratorem manere in ſua propria vocatione, quâ vocatus fuit. Ex Prop. &c.

Autogr. in Arch. Secret. Congr. prædictæ.

Ad inſtantias Regis Chriſtianiſſimi Cuſtodiam in Provinciam erigit.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolicæ ſervitutis munus, quo Catholicæ Eccleſiæ per univerſum Orbem diffuſæ regimini divinâ diſpoſitione præſidemus, in id præcipuè ſollicitudinem noſtram intendit, ut Religioſorum Virorum Altiſſimi obſequiis ſub arctioris diſciplinæ Inſtituto mancipatorum, & in Vinea Domini, ac præſertim in nonnullis olim pietatis, & orthodoxæ Fidei laude florentiſsimis Regionibus inter perſecutionum procellas, atque calamitatum tribulos ſtrenuè laborantium ſtatui & felici directioni conſulere peculiari curâ ſtudeamus, ſicut pia Orthodoxorum Regum multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis ſulgentium vota poſtulant, & Nos omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis ad Omnipotentis Dei gloriam, ac Religionis, piorumque operum incrementum, & felicem progreſſum expedire in Domino arbitramur:

Cum itaque, ſicut nomine chariſsimi in Chriſto Filii noſtri, Ludovici, Francorum Regis Chriſtianiſsimi Nobis nuper expoſitum fuit, Cuſtodia Hiberniæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci nuncupatorum, quindecim Conventibus, nempe duobus in Gallia, ac reliquis in Regno ipſius Hiberniæ conſtet, dictus vero Ludovicus Rex eandem Cuſtodiam in novam dicti Ordinis Provinciam adinſtar aliarum dicti Ordinis Provinciarum à Nobis erigi plurimùm deſideret. Nobis propterea dicti Ludovici Regis nomine humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piis ipſius Ludovici Regis votis favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, memoratam Cuſtodiam Hiberniæ in novam Ordinis prædicti Provinciam, quæ ab uno Miniſtro Provinciali, ac Diffinitoribus, aliiſque Officialibus juxta Conſtitutiones ejuſdem Ordinis auctoritate Apoſtolica approbatas, regi & gubernari debeat, ita ut ipſa nova Provincia, illiuſque Miniſter Provincialis, Definitores, cæterique Officiales ac Fratres pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, juribus, præeminentiis, prærogativis, honoribus, gratiis, & indultis, quibus aliæ dicti Ordinis Provinciæ tam de jure, uſu, & conſuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt & poterunt in futurum, pari

modo,

modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere liberè & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus. Præterea, ut Capitula Provincialia Provinciæ, sic à Nobis erectæ, & institutæ triennalia sint, & Discreti non eligantur, sed ad electionem Ministri Provincialis & Diffinitorum eodem modo, quo Custos & Consultores antehac electi fuerunt, procedatur, nec non duo Custodes pro Capitulo Generali eligantur, auctoritate, & tenore prædictis statuimus, ac præcipimus, & ordinamus.

Porro eidem novæ Provinciæ de idoneis Ministro Provinciali ac Definitoribus, quorum operâ Provincia ipsa, adspirante superni favoris auxilio, salubriter dirigatur, hac prima vice providere cupientes, ac de spectata infrascriptorum Religiosorum fide, prudentia, charitate, integritate, vigilantia, & Religionis zelo plurimùm in Domino confisi, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. absolutas fore censentes, Dilectos Filios, Philippum Okennedis, qui Custos, in Ministrum Provincialem, ac Bonaventuram Donellii in primum, Joannem Baptistam Knighte in secundum, Thomam Tyrrell in tertium, ac Joannem Evangelistam Ronan, qui Consultores prædictæ Custodiæ sunt, in quartum Definitorea ejusdem novæ Provinciæ, sic à Nobis erectæ & institutæ, ad triennium proximum, à die publicationis præsentium litterarum inchoandum, cum omnibus & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, auctoritate & tenore prædictis constituimus & deputamus; expleto autem triennio Capitulum Provinciale in uno ex duobus Conventibus in Regno Galliæ existentibus Ministro Provinciali more solito convocandi facultatem concedimus. Mandantes propterea in virtute S. Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus & singulis prædictorum Ordinis, & novæ Provinciæ Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut eandem novam Provinciam, sicut præmittitur, à Nobis erectam & institutam, tanquam veram & legitimam, canonicèque erectam Provinciam, ac, sicut reliquas dicti Ordinis Provincias, in omnibus & per omnia recognoscant, nominent, teneant, ac tractent, ac Religiosos supranominatos ad officia eis respectivè demandata, illorumque liberum exercitium juxta earundem tenorem præsentium recipiant, & admittant, illisque in omnibus eadem officia concernentibus faveant, & assistant, pareantque, & obediant respectivè. Ac decernentes easdem &c. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Custodiæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Septembris MDCCXXIII. Pontificatûs nostri anno quarto.

F. Card. Oliverius.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Reg. mensis, & anni præd. fol. 5.

BULLARIUM

Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci

CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Rescriptorum, & Oraculorum &c. quæ à S. Sede Apostolica pro Ordine Capucino emanârunt.

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

P. SIGISMUNDI A FERRARIA

Totius dicti Ordinis Ministri Generalis

Variis notis & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

Ejusdem Ordinis Concionatore, olim Sacræ Theologiæ Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali.

TOMI QUINTI

PARS SECUNDA

Continens Bullas, Brevia, Decreta, Rescripta, & Oracula, quæ Provincias Hispaniæ, videlicet Cataloniæ, Valentiæ, Aragoniæ, Navarræ, Castellæ, & Andalusiæ, seu Bœticam concernunt, cum Appendice Documentorum Insularum Majoricæ, & Minoricæ, nec non Civitatis Ulyssiponensis &c.

MONUMENTA APOSTOLICA,

Vel omnes, vel plures Hiſpaniæ Provincias concernentia.

I

In Regnis Hiſpaniarum à Fratribus Monaſteria & Domos Regulares recipi, & conſtrui poſſe declarat, Conſtitutione Clementis VIII. non obſtante.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

AD uberes & ſuaves fructus, quos dilecti Filii, Congregationis Capucinorum Ordinis S. Franciſci Fratres in Eccleſia militante, cujus regimini divina diſponente clementia præſidemus, in dies afferunt, mentis noſtræ aciem convertentes, ac uberiores ex ipſa Congregatione fructus in dies proventuros eſſe ſperantes, ad ea meritò libenter intendimus, quæ ipſius Congregationis Capucinorum augmento conducere poſſunt, quæ verò illi in hoc impedimentum aliquod afferre dignoſcuntur, è medio tollere procuramus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire.

Idcirco ſupplicationibus pro parte Procuratoris Generalis prædicti Ordinis, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum, ejuſdem Ordinis Fratrum Capucinorum Superioribus, ut ubique locorum in Regnis Hiſpaniarum nova Monaſteria, ſeu Domos, ſervatâ tamen forma in iis recipiendis Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, accipere liberè & licitè valeant, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus & indulgemus.

Non obſtante fel. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Quoniam ad inſtitutam &c. Sub Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 23. Julii 1603. Pontificatûs ſui anno 12. &c.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XX. Septembris MDCVI. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apoſtol. Regeſto ann. & menſ. prædict. fol. 74.

Fratres

Fratres nostros in Confessarios extraordinarios Monialium Capucinarum in locis & Dioecesibus expressis ab Ordinariis privativè deputari; ab his illarum Monasteria semel saltem annuatim visitari; loca Confessionis, & Communionis vel muro claudi, vel in locis publicis aperiri jubet, & Mulieres sæculares in illarumMonasteria sine expressa Pontificia licentia induci prohibet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

SAcrosanctum Apostolatûs officium, quod ineffabilis divinæ sapientiæ providentia humilitati nostræ, nullo licèt meritorum suffragio, creditum jugiter Nos admonet, ut inter gravissimas multiplicesque Apostolicæ servitutis curas, eam peculiari studio amplectamur, quâ felici sanctimonialium statui, atque directioni opportunè consulitur: Hinc est, quod Nos felici & prosperæ Dilectarum in Christo Filiarum, Abbatissarum seu Priorissarum, & Monialium Ordinis Sancti Francisci Capucinarum nuncupatarum, Barchinonensis, Gerundensis, Valentinæ, & Cæsaraugustanæ Civitatum, nec non de Alzira, ac Madriti oppidorum seu locorum Valentinæ, & Toletanæ Dioecesium, quæ, ut asserunt, omnimodæ Ordinariorum locorum jurisdictioni & gubernio subsunt, primitivamque Sanctæ Claræ Regulam profitentur, directioni, atque progressui, nec non spirituali consolationi, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere, illasque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & illarum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. censentes, supplicationibus illarum nomine &c. inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, omnibus & singulis locorum Ordinariis, quorum jurisdictioni & gubernio dictarum Monialium Monasteria subsunt, ut præfertur, per præsentes committimus, & mandamus, ut Abbatissis seu Priorissis, & Monialibus prædictis Confessarios extraordinarios duntaxat Fratres Capucinos juxta formam à Sacro Concilio Tridentino præscriptam, dummodo expressus Superiorum Ordinis hujusmodi, ac eorumdem Confessariorum ad id deputandorum accedat assensus, ipsique Confessarii ab Ordinario prius prævio examine approbati sint, auctoritate nostra assignent. Præterea dictas Abbatissas seu Priorissas & Moniales, & illarum Monasteria sibi respectivè subjecta singulis annis semel saltem visitent, nec non quascumque fenestellas ad sacras dictarum Monialium confessiones excipiendas, &, ubi sacra communio eisdem Monialibus exhibetur in locis remotis factas, sive constructas muro claudi, & alias in Ecclesia, & locis publicis, ac opportunis fieri, seu aperiri curent & faciant, super quibus omnibus & singulis plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem Apostolicam, auctoritate tenore præsentium concedimus, & impertimur.

Insuper, ut dictæ Moniales spiritualibus exercitiis, piæque vitæ studio quietiùs, & melius vacare possint, etiam providere volentes, ne ullæ Mulieres sæculares cujusvis gradûs, qualitatis, & conditionis existentes in Monasteria prædicta, nisi Habitum Monachalem suscipere voluerint, absque expressa nostra, & Romanorum Pontificum pro tempore existentium licentia, quavis occasione, vel causa introducantur, seu introduci permittantur, sub excommunicationis, aliisque censuris, & poenis Ecclesiasticis Nobis, & Sedi Apostolicæ reservatis auctoritate, & tenore prædictis interdicimus & prohibemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Monasteriorum, & Ordinis hujusmodi, etiam &c. roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque &c. innovatis. Quibus omnibus &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIII. Novembris MDCXXV. Pontificatûs nostri anno tertio.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apost. Reg. mens. & ann. præd. fol. 125.

Decretum Definitorii generalis, circa Capitula Provincialia in Hispania, & præcipuè in Provincia Valentiæ de triennio in triennium celebranda, confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Minister Provincialis, & Definitores Provinciæ Valentiæ, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupa-

patorum, quod aliàs, postquam fel. rec. Clemens Papa IX. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis literas statuerat, ut Capitula Provincialia dicti Ordinis, quæ ante Constitutionem hujusmodi erant annualia, inposterùm celebrarentur de triennio in triennium, rec. mem. Clemens PP. X. etiam prædecessor noster, eamdem Constitutionem moderatus est, factâ facultate Ministro Generali ejusdem Ordinis pro tempore existenti ordinandi Capitula Provincialia de sesquiennio in sesquiennium juxta exigentiam Provinciarum. Verùm in Capitulo Generali Ordinis prædicti anno 1685. Romæ celebrato, dicta Provincia Valentiæ, sicut etiam aliæ Hispaniarum supplicaverunt Definitioni Generali, ut attentis incommoditatibus, quas expertebantur ex Capitulorum frequentia, ipsis permitteretur celebrare Capitula triennalia, cum Congregationibus intermediis, ad præscriptum prædictæ Constitutionis Clementis IX. prædecessoris. Et illarum supplicationibus annuerunt Minister Generalis, & Definitores Generales, expedito super hoc Decreto juxta earum instantiam. Quod Decretum expositum in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ Valentiæ, per secreta Vocalium suffragia nemine discrepante acceptatum fuit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædicti Exponentes dubitantes modò, ne quis aliquo particulari commodo ductus, prædictæ determinationi se opponere, & celebrationem Capitulorum sesquiennalium procurare pergat, Decretum Definitionis Generalis hujusmodi, quod scilicet in supradicta Provincia Valentiæ Capitula celebrentur de triennio in triennium, cum Congregationibus intermediis, ad præscriptum memoratæ Constitutionis Clementis IX. prædecessoris prædicti, Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri plurimum desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, prædictum Decretum Definitorii Generalis auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Februarii MDCLXXXVII. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædictor.

Electionem Discretorum in utriusque Castellæ Provinciis abrogat.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte Charissimi in Christo Filii nostri, Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, Nobis per dilectum Filium Nobilem Virum, modernum Ducem de Medina Coeli, ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem expositum fuit, quod tam Prædicatorum, & Minorum Sancti Francisci de Observantia Ministros, quàm aliorum diversorum Ordinum Fratres in Regnis utriusque Castellæ existentes, sua Capitula Provincialia cum interventu Superiorum localium Conventuum Ordinum hujusmodi absque Discretis seu Sociis, qui olim ab ipsis Conventibus ad effectum sua suffragia ferendi in eisdem Capitulis eligi consue-

verant, de præsenti eligi solent; id siquidem, præterquam quod Decretis Concilii Tridentini sess. xxv. cap. vi. ibi; *Nec inposterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere &c.* magis conforme videtur, necessarium quoque compertum est tum ad tollenda damna, & incommoda, quæ ex eorumdem Discretorum, seu Sociorum electione in Religiosæ pacis & concordiæ, quæ in Ordinibus præfatis semper florere debet, præjudicium, proveniebant, tum ad impediendas relaxationes, quas dependentia, quam tunc Superiores à suis subditis habebant, producebat: Ipsi enim Superiores, ut dictos suos subditos, pro iis in Discretos, seu Socios hujusmodi eligendis, quos ad effectum se in perpetuo suarum Provinciarum gubernio consovendi eligi necesse erat, benevolos haberent, Regularis disciplinæ conservationi, prout eorum officii erat, incumbere negligebant. Quocirca, quoties dictorum Regnorum Religiosi Regularis disciplinæ hujusmodi tuendæ zelo ducti, ad ipsius Caroli Regis patrocinium pro eorumdem Discretorum, seu Sociorum abrogatione ab hac Sancta Sede impetranda confugerunt, illud semper iis adfuit, donec ejusmodi gratiam consecuti fuerunt.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Carolus Rex certior factus fuerit, Fratres Ordinis Minorum, ejusdem S. Francisci Capucinos nuncupatos in Regnis præfatis existentes, non modò eadem incommoda, & damna, quæ olim Religiosi aliorum Ordinum præfatorum ex electione Discretorum, seu Sociorum hujusmodi experti fuerunt, pati, sed & alia multa concurrere, propter quæ Fratres prædicti usum eligendi Discretos, seu Socios præfatos in Provinciis dictorum Regnorum abrogari plurimùm desiderant; adeoque ipsius Caroli Regis zelum sollicitant, ut Apostolicæ desuper auctoritatis nostræ partes interponi similiter curet. Nobis propterea ejusdem Caroli Regis nomine per memoratum Ducem humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ipsius Caroli Regis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, à Nobis specialiter deputatæ consilio, Discretos præfatos in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum dicti Ordinis Capucinorum auctoritate Apostolica tenore præsentium tollimus, & removemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum utriusque Castellæ & Ordinis Capucinorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxix. Martii MDCXCIII. Pontificatûs nostri anno secundo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apost. Regest. mens. & ann. præd fol. 86.

Abolitionem Discretalem prædictam tum ad Castellæ, veteris & novæ, tum Boeticæ & Navarræ Provincias extendit.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs emanârunt à Nobis ad supplicationem Charissimi in Christo Filii nostri, Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: INNOCENTIUS PAPA XII. Ad perpetuam rei memoriam. Nuper pro

parte

parte Charissimi in Christo Filii oostri Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, Nobis per dilectum Filium, Nobilem virum modernum Ducem de Medina-Cœli. *Reliqua uti supra*. Cum autem, sicut pro parte ejusdem Caroli Regis per præfatum Ducem denuo Nobis nuper expositum fuit, in præinsertis nostris litteris trium Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ dicti Ordiois, nempe Castellæ, veteris & novæ ouncupatæ, nec non Bœticæ & Navarræ Provinciarum distincta, & expressa mentio facta non fuerit, quinimo nec in iisdem litteris provisum fuerit, quod loco supradictorum Discretorum Conventualium, sicut præmittitur, sublatorum, & remotorum, pro tempore existeotes earumdem Provinciarum Definitores & Custodes, nec non hic saltem, qui novissimè io illis Provincialatûs officio respectivè functus fuerit, in earum Definitoriis, & Capitulis Provincialibus votum seu suffragium respectivè habere debeant, quemadmodum ipse Carolus Rex pro peculiari suo in Ordinem præfatum devotionis affectu, & commune ipsarum Provinciarum booum promovendi studio ductus, Nobis supplicari fecerat; ac proinde opportunè in præmissis à Nobis provideri, nec non præterea, quod in Provinciis præfatis Capitula Provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrari debeant, quemadmodum fel. record. Clemens Papa X. prædecessor noster pro omnibus ejusdem Ordinis Provinciis per quasdam suas itidem in forma Brevis anno 1676. desuper expeditas litteras præscripsisse dicitur, decerni & ordinari plurimùm desideret: Nos pio, ac laudabili dicti Caroli Regis desiderio bac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis per præfatum Ducem super hoc humiliter porrectis inelinati, de memoratæ Congregationis Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus remotionem, & abolitionem Discretorum Conventualium in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Capucinorum factas, ut præfertur, expeditasque desuper litteras oostras præinsertas intelligendas esse, non solùm respectu Provinciarum Bœticæ, vulgo Andalusiæ, nec ooo Navarræ, & quatenus opus sit, remotiooem, abolitionem, ac nostras litteras hujusmodi ad supradictas Provincias Bœticæ, & Navarræ auctoritate, & tenore præfatis extendimus, & ampliamus; Prætereà eadem auctoritate barum serie decernimus, quod vice, & loco prædictorum Discretorum in tribus Proviociis hujusmodi, sicut præmittitur, sublatorum, & abolitorum, Definitores, atque Custodes, & immediatus Ex-Provincialis earundem Provinciarum in ipsarum respectivè Definitoriis, & Capitulis votum habeant, dictarumque Provinciarum Capitula de sesquianno in sesquianoum deinceps eelebrari debeant. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabilitèr observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super bis à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fr. Friderico, Archiepiscopo Mediolanensi, moderno, & pro tempore existenti nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuntio, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium, seu alios, ipsas præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis babentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium litterarum, & in eis cootentorum eorundem commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere; Non permittens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoslibet & rebelles per seotentias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuoa juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super bis babendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, iovocato etiam ad boc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstaotibus recol. mem. Bonifacii Papæ Octavi, prædecessoris pariter nostri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in judicium non trabatur: aliisque Constitutionibus, & Ordioationibus Apostolicis, ac Provinciarum, & Ordinis bujusmodi, aliisve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; nec non omnibus, & singulis illis, quæ in litteris præinsertis concessimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo per-

personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Septembris MDCXCIII. Pontificatûs nostri anno tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicor. Regesta mens. & ann. prædict. fol. 113.

Nec non ad Cataloniæ, Valentiæ, & Aragoniæ Provincias &c.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs pro parte Charissimi in Christo Filii nostri, Caroli, Hispaniarum Regis Catholici Nobis exposito, quod tam Prædicatorum, & Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quàm aliorum diversorum Ordinum Fratres in Regno utriusque Castellæ existentes, sua Capitula Provincialia. *Reliqua, uti suprà.*

Nos supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Discretos prædictos in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum dicti Ordinis Capucinorum, sub certis modo, & forma tunc expressis, auctoritate Apostolica sustulimus, & removimus, & aliàs, prout in nostris in simili forma Brevis die 29. Martii 1693. desuper expeditis litteris pleniùs continetur; subinde verò pro parte ejusdem Caroli Regis Nobis iterum exposito, quod in præfatis nostris litteris trium Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ dicti Ordinis Capucinorum, nempe Castellæ veteris, & novæ nuncupatæ, nec non Bæticæ, & Navarræ Provinciarum distincta, & expressa mentio facta non fuerat, quinimo nec in eisdem literis provisum fuerat, quod loco supradictorum Discretorum Conventualium, sicut præmittitur, sublatorum, & remotorum pro tempore existentes earumdem Provinciarum Definitores, & Custodes, nec non ille saltem, qui novissimè in illis Provincialatûs officio respectivè functus fuerat, in earum Diffinitoriis, & Capitulis Provincialibus votum, seu suffragium respectivè habere deberent, quemadmodum ipse Carolus Rex, pro peculiari suo in Ordinem prædictum devotionis affectu, & commune ipsarum Provinciarum bonum promovendi studio ductus Nobis supplicari fecerat; ac proinde opportunè in præmissis à Nobis provideri, nec non præterea, quod in Provinciis prædictis Capitula Provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrari deberent, quemadmodum fel. rec. Clemens Papa X. prædecessor noster, pro omnibus ejusdem Ordinis Provinciis, per quasdam suas itidem in forma Brevis anno 1676. desuper expeditas litteras præscripsisse dicebatur, decerni & ordinari plurimùm desiderabat, Nos porrectis Nobis hac in re pro ejusdem Caroli Regis parte precibus benignè annuentes, eadem auctoritate declaravimus remotionem, & abolitionem Discretorum Conventualium in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum dicti Ordinis Capucinorum factas, ut præfertur, expeditasque desuper litteras nostras prædictas intelligendas esse, non solùm respectu Provinciæ utriusque Castellæ, veteris scilicet & novæ, verùm etiam respectu Provinciarum Bæticæ, vulgò *Andalusiæ*, nec non Navarræ, &, quatenus opus esset, remotionem, abolitionem, ac nostras litteras hujusmodi ad supradictas Provincias Bæticam, & Navarram dictâ auctoritate extendimus, & ampliavimus. Præterea eadem auctoritate decrevimus, quod vice, & loco prædictorum Discretorum in tribus Provinciis hujusmodi, sicut præmittitur, sublatorum & abolitorum, Definitores, atque Custodes, & immediatus Ex-Provincialis earumdem Provinciarum in ipsarum respectivè Diffinitoriis, & Capitulis votum habeant, dictarumque Provinciarum Capitula de sesquianno in sesquiannum deinceps celebrari deberent, & aliàs, prout in aliis nostris in eadem forma Brevis die 12. Septembris proximè præteriti desuper emanatis litteris, quarum, & prædictarum nostrarum litterarum tenores, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberiùs continetur.

Cum autem, sicut dictus Carolus Rex Nobis nuper denuo exponi fecit, ipse binas litteras nostras prædictas, ad Provincias Aragoniæ, Valentiæ, Cathalauniæ, Sardiniæ, & Majoricæ dicti Ordinis Fratrum Capucinorum per Nos extendi plurimùm desideret. Nos piis ejusdem Caroli Regis votis, hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus à Nobis particulariter deputatæ consilio, binas nostras litteras supradictas, omniaque in illis disposita, quoad Provincias Fratrum Ca-

Capucinorum utriusque Castellæ, veteris scilicet & novæ, nec non Bæticam, & Navarræ, ad Provincias eorumdem Fratrum Capucinorum Aragoniæ, Valentiæ, Cathaluniæ, Sardiniæ, & Majoricæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus pariter, & amplismus. Decernentes &c. Non obstantibus &c.

Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die v. Aprilis MDCXCIV. Pontificatûs nostri anno tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Regesto mensis, & anni prædict. fol. 79.

PP. Custodes, & Ex-Provinciales immediatos, in Regnis Hispaniarum, quibus per Apostolicas litteras votum loco Discretorum abrogatorum concessum fuerat, hoc non in Definitoriis, sed in Capitulis habere posse, declaratur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper per Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium à Nobis particulariter deputatorum accepto, quod ex abolitione Discretorum Conventualium olim eligi consuetorum pro Capitulis Provincialibus Provinciarum in Regnis Hispaniarum existentium, nec non Sardiniæ, & Majoricæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, nec non ex subrogatione eorum loco Custodum, & Ex-Ministrorum Provincialium immediatorum, ipsarum Provinciarum, quam nos non ita pridem de Congregationis hujusmodi consilio, per quasdam nostras in simili forma brevis litteras feceramus, ortum fuerat dubium: an Custodes, & Ex-Ministri Provinciales hujusmodi votum habere deberent in Diffinitoriis earumdem Provinciarum, vel potiùs in solis functionibus Capitularibus, pro declaratione dubii hujusmodi emanavit ab eâdem Congregatione Cardinalium Decretum renoris, qui sequitur, videlicet: *Sacra Congregatio particularis Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium per Sanctissimum Dominum Nostrum deputata censuit, ac declaravit, Custodes, & Ex-Ministros Provinciales immediatos vigore Brevium, de quibus agitur, non habere vocem in Definitoriis Provincialibus, sed solùm in Capitulis: ac propterea injungendum Nuncio Apostolico Hispaniarum, quatenus ita exequi curet. Romæ 24. Martii 1695. G. Cardinalis Carpineus.*

Cum autem, sicut pro parte charissimi in Christo Filii nostri, Caroli, Hispaniarum Regis Catholici, per dilectum Filium, Nobilem Virum modernum Ducem de Medina-Cœli, ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem Nobis subinde expositum fuit, idem Carolus Rex præmissa, quò firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desideret: nos piis dicti Caroli Regis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejusdem Caroli Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabili Fratri Friderico, Archiepiscopo Mediolanensi, moderno & pro tempore existenti Nostro, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum hujusmodi Nuncio per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios ipsas præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis

sis habentium, seu alicujus eorum desuper fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium litterarum, & in eis contentorum eorundem commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium in judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Provinciarum, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, *uti supra*.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDCXCV. Pontificatûs nostri anno quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Regesto mensis, & anni prædictor. fol. 200.

Electionem Discretorum Provinciis Hispaniæ restituit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum pro parte claræ memoriæ Caroli Secundi, dum vixit, Hispaniarum Regis Catholici, felicis recordationis Innocentio Papæ XII. prædecessori nostro exposito, quod alias ad tollenda damna, & incommoda, quæ Fratres Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ, veteris scilicet & novæ nuncupatarum, Ordinis Minorum S. Francisci Capucini nuncupati ex electione Discretorum, qui à Conventibus ad effectum sua suffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi consueverant, in religiosæ pacis, & concordiæ, ac Regularis disciplinæ præjudicium passi fuerant, idem Innocentius prædecessor per quasdam suas desuper in simili forma Brevis die 29. Martii 1693. expeditas litteras, Discretos prædictos in dictis Provinciis sustulit, ac removit, & subinde inter alia remotionem & abolitionem Discretorum hujusmodi, expeditasque desuper litteras prædictas ad Provincias Bæticæ, & Navarræ per alias suas itidem in simili forma Brevis litteras die 12. Septembris ejusdem anni emanatas auctoritate Apostolica extendit, & ampliavit, & aliàs, prout in dictis Innocentii prædecessoris nostri litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem, sicut dilectus Filius, Hartmannus Briainensis, Minister Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, propter Discretorum hujusmodi abolitionem, licet ad bonum finem petita fuerit, nihilominus maximum tamen detrimentum, ac præjudicium Regulari observantiæ allatum fuerit, & adhuc de præsenti afferatur, ideoque idem Hartmannus Minister Generalis electionem eorundem Discretorum omnibus Hispaniarum Provinciis restitui summopere desideret quemadmodum à recolendæ memoriæ Clemente X I. Belgii, & Innocentio XIII. Romanis Pontificibus, prædecessoribus pariter nostris, Sardiniæ respectivè Provinciis Ordinis prædicti concessum fuisse memoratur. Nobis propterea dictus Hartmannus Minister Generalis, tendentibus etiam in id charissimi in Christo Filii nostri, Philippi, earumdem Hispaniarum Regis Catholici votis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Hartmannum Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, &c. & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicto Hartmanno Ministro Generali re seriò, prudenter, ac diligenter examinatà, omnibus & singulis Hispaniarum Provinciis de cætero electionem Discretorum hujusmodi, si id Divinæ gloriæ, publicæ tranquillitati, ac Regularis observantiæ incremento in Domino expedire judicaverit re-

restituendi facultatem, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur. Non obstantibus prædicti Innocentii prædecessoris litteris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciarum,& Ordinis prædictorum, etiam juramento, &c. & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Septembris MDCCXXVI. Pontificatûs nostri anno quarto.

Autograph. in Arch. Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædict. fol. 5.

Discretos Capitulares in omnibus Hispaniarum Provinciis noviter abrogat, iisque Ex-Provinciales, Ex-Definitores &c. substituit.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs felicis rec. Innocentio Papæ XII. prædecessori nostro pro parte claræ mem. Caroli Secundi, dum vixit, Hispaniarum Regis Catholici exposito, quod tam Prædicatorum, & Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quam aliorum diversorum Ordinum Fratres in Regnis utriusque Castellæ existentes sua Capitula Provincialia cum interventu Superiorum localium Conventuum Ordinum hujusmodi absque Discretis, seu sociis, qui olim ab ipsis Conventibus ad effectum sua suffragia ferendi in eisdem Capitulis eligi consueverant, tunc celebrare solebant; id siquidem præterquam quod Decretis Concilii Tridentini sess. xxv. cap. vi. ibi: *Nec inposterùm liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere &c.* magis conforme videbatur, necessarium quoque compertum erat, ad tollenda damna & incommoda, quæ ex eorumdem Discretorum, seu Sociorum electione in religiosæ pacis & concordiæ, quæ in Ordinibus prædictis semper florere debet, præjudicium proveniebant, tum ad impediendas relaxationes, quas dependentia, quam tunc Superiores à suis subditis habebant, producebat; ipsi etiam Superiores, ut dictos suos subditos, pro iis in Discretos, seu Socios hujusmodi eligendis, quos ad effectum se in perpetuo suarum Provinciarum gubernio confovendi eligi necesse erat, benevolos haberent, Regularis disciplinæ conservationi, prout eorum officii erat, incumbere negligebant, quocirca, quoties dictorum Regnorum Religiosi regularis disciplinæ hujusmodi tuendæ zelo ducti ad ipsius Caroli Regis patrocinium pro eorumdem Discretorum seu Sociorum abrogatione ab hac Sancta Sede impetranda confugerant, illud semper eis adfuerat, donec ejusmodi gratiam consecuti fuerant: & in eadem expositione subjuncto, quod dictus Carolus Rex certior factus fuerat, Fratres Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Capucinos nuncupatos in Regnis præfatis existentes non modò eadem incommoda & damna, quæ olim Religiosi aliorum Ordinum prædictorum ex electione Discretorum, seu Sociorum hujusmodi experti fuerant, pati, sed & alia multa concurrere, propter quæ Fratres prædicti usum eligendi Discretos, seu Socios prædictos in Provinciis dictorum Regnorum abrogari summopere desiderabant; idem Innocentius prædecessor piis ipsius Caroli Regis votis, hac in re favorabiliter annuere volens, Discretos prædictos in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum dicti Ordinis Capucinorum auctoritate Apostolicâ sustulit, & removit; subinde verò pro parte ejusdem Caroli Regis eidem Innocentio prædecessori exposito, quod in prædictis litteris trium Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ dicti Ordinis, nempe Castellæ veteris, & novæ nuncupatæ; nec non Bæticæ, & Navarræ Provinciarum distincta & expressa mentio facta non fuerat, quinimo nec in prædictis litteris provisum fuerat, quod loco memoratorum Discretorum Conventualium, sicut præmittitur, sublatorum, & remotorum, pro tempore existentes earumdem Provinciarum Definitores, & Custodes, nec non is saltem, qui novissimè in illis Provincialatus officio respectivè functus fuerat, in earum Definitoriis, & Capitulis Provincialibus votum, sive suffragium respectivè habere deberent, ac proinde idem Carolus Rex in præmissis opportunè provideri, nec non, quod in Provinciis prædictis Capitula Provincialia de sesquianno in sesquiannum celebrarentur, quemadmodum fel. rec. Clemens Papa X. itidem Prædecessor noster, pro omnibus ejusdem Ordinis Provinciis per quasdam suas in simili itidem forma Brevis anno 1676 desuper expeditas litteras præscripsisse dicebatur, decerni, & ordinari plu-

plurimùm desiderabant, dictus Innocentius prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, auctoritate Apostolicâ declaravit, remotionem & abolitionem Discretorum Conventualium in Provinciis utriusque Castellæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum factas, expeditasque primo dictas litteras intelligendas esse non solùm respectu Provinciæ utriusque Castellæ, veteris scilicet & novæ, verùm etiam respectu Provinciarum Bæticæ, vulgò *Andalusiæ*, nec non Navarræ, &, quatenus opus esset, remotionem, abrogationem, & litteras prædictas ad supradictas Provincias Bæticam, & Navarræ eadem auctoritate extendit, & ampliavit; ac insuper dicta auctoritate decrevit, quod vice, & loco prædictorum Discretorum in dictis tribus Provinciis hujusmodi sublatorum, & abolitorum Definitores, atque Custodes, & immediatus Ex-Provincialis earumdem Provinciarum in ipsarum respectivè Definitoriis, & Capitulis votum haberent, dictarumque Provinciarum Capitula de sesquianno in sesquiannum deinceps celebrari deberent; deinde supradictas litteras ad Provincias Aragoniæ, Valentiæ, Cathalauniæ, & Majoricæ dicti Ordinis extendit, & aliàs, prout in tribus ejusdem Innocentii 29. Martii, & 12. Septembris 1693. & 5. Aprilis 1694. expeditis litteris; quarum tenores præsentibus pro expresso haberi volumus, uberiùs continetur. Deinde verò fel. rec. Benedicto Papæ XIII. prædecessori quoque nostro, dilectus Filius Hartmannus Brixinensis, tunc ejusdem Ordinis Fratrum Capucinorum Minister Generalis exponi fecit propter Discretorum hujusmodi abolitionem, licet ad bonum finem petita fuisset, nibilominus maximum tamen detrimentum, ac præjudicium Regulari observantiæ allatum esset, & adhuc tunc afferretur, adeoque idem Hartmannus Minister Generalis electionem eorumdem Discretorum omnibus Hispaniarum Provinciis restitui summopere desiderabat, quemadmodum à rec. mem. Clemente XI. Belgii, & Innocentio XIII. Romanis Pontificibus, prædecessoribus etiam nostris, Sardiniæ respectivè Provinciis Ordinis prædicti concessum fuisse memorabatur, idem Benedictus prædecessor tendentibus etiam in id claræ mem. Philippi V. dum pariter vixit, earumdem Hispaniarum Regis Catholici votis, hujusmodi supplicationibus inclinatus, dicto Hartmanno Ministro Generali re seriò, prudenter, ac diligenter examinatâ, omnibus & singulis Hispaniarum Provincis de cætero electionem Discretorum hujusmodi, si id Divinæ gloriæ, publicæ tranquillitati, ac Regularis observantiæ incremento in Domino expedire judicâsset, restituendi facultatem eadem auctoritate concessit, & impertitus fuit, & aliàs, prout in ipsius Benedicti prædecessoris litteris die 30. Septembr. 1727. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem, sicut pro parte Charissimi in Christo Filii nostri, Ferdinandi, earumdem Hispaniarum Regis Catholici, Nobis expositum fuit, ipsi Ferdinando Regi innotuerit, quod propter restitutos Discretos in Provinciis Hispaniarum hujusmodi vigore facultatis à prædicto Benedicto prædecessore eidem Hartmanno Ministro Generali attributæ, quî per suam epistolam tunc existentibus Ministris Provincialibus Provinciarum prædictarum sub formali obedientiæ præcepto injunxerat, ut Discretos eligere deberent, multa damna pullulare visa sint, ac scandala diffidentiæ, & partium studia orta reperiantur, quibus occurri nequit, nec Superiores plurimorum libertatem coercere valent, ac proinde idem Ferdinandus Rex hisce incommodis per Nos occurri plurimùm desideret: Nobis propterea ejusdem Ferdinandi Regis nomine supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur Ferdinandi Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratas Benedicti prædecessoris litteras, ac quascumque epistolas à prædicto Hartmanno tunc temporis Ministro Generali, sicut præmittitur, pro deputatione, seu nova electione Discretorum expeditas, & datas, ac concessas harum serie auctoritate Apostolica revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illasque perpetuò revocatas, annullatas, cassatas, abrogatas, & abolitas, viribusque, & effectu vacuas fore, & esse, neminique ullatenus suffragari debere decernimus. Præterea dicta auctoritate volumus, præcipimus, & mandamus, ut sublatis Discretis hujusmodi, ad Capitula celebranda in omnibus Hispaniarum Provinciis Ministri Provinciales, Diffinitores, Guardiani, & Custodes actuales, nec non omnes singuli Ex Provinciales, & Ex-Diffinitores loco Discretorum subrogatorum hujusmodi tanquam Vocales accedere debeant, & concurrant. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac ir-

ritum

rium & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Decembris MDCCXLVII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto anni & mens. prædictorum.

In Locis Missionum, in quibus Fratres Ecclesias proprias non habent, Indulgentias Ordinis, Ecclesiis Sæcularium tum pro ipsis Fratribus, tum pro Personis Sæcularibus communicat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cœlestes Ecclesiæ Thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ credidit Altissimus, iis, potissimum Christifidelibus, quibus opportunitas, & commodum Ecclesiarum, quemadmodum alibi reperitur, non est, libenter erogamus. Aliàs siquidem fel. record. Urbanus Papa VIII. prædecessor noster, ad supplicationem tunc exsistentium Provincialis, & Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Helvetiæ suas in simili forma Brevis litteras dedit tenoris, qui sequitur: Urbanus Papa VIII. Dilectis Filiis Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Helveticæ, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad augendam vestram Religionem, & animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, Vobis omnibus, & singulis verè pœnitentibus, &c. *Residuum uti suprà fol. 19.*

Quoniam autem nuper pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis Nobis supplicatum fuit, ut indultum per præinsertas Urbani Prædecessoris prædicti litteras Fratribus hujusmodi in Provincia Helvetica duntaxat degentibus concessum non solùm ad Fratres omnes ejusdem Ordinis, qui in Provinciis ultra Montes commorantes sacrorum operariorum Missionariorumque functiones, officia, & alia pietatis opera peragunt, verùm etiam ad eos utriusque sexûs Christifideles, qui eisdem functionibus, officiis, & pietatis operibus per dictas Provincias ultra Montes ab ipsis Fratribus fieri solitis intersunt, extendere, & de benignitate Apostolica concedere dignaremur. Nos igitur piis ejusdem Procuratoris Generalis votis, quantùm cum Domino possumus, benignè annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatis exsistit, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, præinsertum hujusmodi Indultum Urbani Prædecessoris prædicti sub iisdem modo, & forma, tam ad memoratos Fratres, quàm ad utriusque sexûs Christifideles in Provinciis ultra Montes prædictis degentes, dummodo præmissa omnia peregerint, extendimus, iisdemque concedimus. Non obstante regula Cancellariæ nostræ Apostolicæ de non concedendis Indulgentiis adinstar, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus, postquam Fratres prædicti proprias Ecclesias in Domibus suis quarumcunque Provinciarum ultra Montes habuerint, minimè valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xiv. Februarii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regest. anni & mens. prædictor.

PROVINCIA CATALONIÆ.

Transiturus ad colophonem Monumentorum Apostolicorum Provinciarum Ordinis specialium, florentissimo Hispaniæ Regno appropinquo, & documentis, quibus Sacra Sedes sex illius Provincias vel decoravit, vel earum jura & usus firmavit, Opus Provinciarum concludo. Floret in vasto hoc Regno Reformatio nostra more & decore, &, dum Fratres indefesso studio saluti animarum incumbunt, non solùm populi charitatem, sed etiam ipsorum Catholicorum Regum affectum mirè sibi conciliant: hinc, præter alia specialissima regiæ benevolentiæ argumenta, Minister Generalis Ordinis, dum Regium accedit thronum, Excellentissimo Magnatum primi Ordinis cœtui aggregatur, eique, ut se coram Rege cooperiat, conceditur. Miro Dei consilio in id inducta videtur; dum enim Patres nostri de colonia ibi plantanda nec etiam cogitabant, & in partibus Galliæ duntaxat propaginem quærebant, evênit, ut, ubi duo hæc Regna Catholica pietas conjungebat, in utriusque sinu Capucini nominis gloria eodem exurgeret tempore. Annus millesimus quingentesimus septuagesimus quintus nobis hanc sortem per Domum Regularem Barcinonæ constructam contulit: dum enim Magistratui Michaël Quirolius magnalia, quæ famam nostræ Reformationis comitabantur, amplo sermone recensuisset, hic extemplò & hanc sibi inquilinam voluit, & petiit litteris sequentibus ad P. Hieronymum â Monte Florum, tunc Vicarium Generalem exaratis.

Reverendissime in Christo Pater.

Michäel Quirolius, hujusce nostræ Urbis Pharmacopola plurima de Religionis vestræ gloria, & sanctimonia ad nos retulit: Nos quoque ex multorum & litteris & sermone percepimus, quanta apud vos vitæ austeritas, ac Regularis observantia vigeat, qua vestri Ordinis Religiosi ubicunque inter populos disseminantur, & ob præclara vitæ exempla, ac Divini Verbi prædicationem, maxima in Christianum populum beneficia conserunt. Quapropter & nostra hæc Urbs, quamvis Dei gratiâ plerisque Religiosorum Ordinum Monasteriis abundet, in quibus Viri vita, & doctrina præstantes nobis sua virtute prælucent, magnopere tamen expe-

expetimus, ut intra hujus Urbis terminos, vestri quoque Ordinis Monasterium extruatur. Eapropter curabimus, ut Domus quadam, & Ecclesia B. Matronæ dicata, quæ juxta Urbis mœnia, ad Jovis Montis radices sita, antiquo Patronatûs jure ad Urbem spectat, vobis in habitationem cedat: quam cùm antehac Barcinonensis Civitas Patribus Societatis Jesu commendâsset, ii haud pridem, ob alias eorum Societatis Domos, quibus tum in Urbe, tum extra Urbem fruuntur, eidem resignârunt. Id P. V. non obscurè manifestum fiet ex ordinarii Concilii, quod hac de causa congregatum fuit, Decreto; quod hac epistola vobis significamus. Quamobrem P. V. obnixè rogamus, ut animosè in hoc tam pium facinus assurgat, manumque sancto operi admoveat: ex quo divino nomini honorem, Urbi utilitatem, communemque Civibus lætitiam accessuram speramus. Huc P. V. aliquos ex suis destinare poterit, quos meliores, atque huic negotio aptiores judicaverit. Quod enim ad Nos spectat, nullis nos officiis deerimus, quibus susceptum negotium, ex animi sententia, Deo benè juvante, conficiatur. Valeat P. V. diu incolumis, quam Deus sua gratia confirmet.

Datum Barcinone sexto Idus Junii 1576.

Detexit ex ipso litterarum stylo seriam Magistratûs pietatem P. Hieronymus, inde et mora non interjecta Fr. Archangelum Alarconium, tunc Provinciæ Neapolitanæ Alumnum, Commissarium Generalem selegit, et quinque Sociis stipatum Barcinonam ablegavit. Recepit Viros Dei Civitas anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo in voce exultationis, Deòque ob eorum benedicebant appulsum. Hi verò ut opus cum adjutorio ex alto ordirentur, Marianum Montis-Serrati Sanctuarium adiverunt, se ibi clientelæ Deiparæ commiserunt, reducesque Barcinonam in loco *de Sarria* vocitato, ipsam paternam S. Eulaliæ Domum, in Oratorium jam conversam, pro sitû Conventûs destinârunt. Fuit & ibi sine mora in signum Crux erecta, quæ adhuc in Monasterii ingressu chrystallo tecta videtur cum hac inscriptione = *hæc est prima Crux, quam nostra Religio in Hispania pro gloria Jesu plantavit anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo* =. Est & hoc S. Eulaliæ Domicilium, non solùm ex solitarii sitûs deliciis, & ex primatu, qui ei inter omnes Hispaniæ Domos competit, sed etiam ex thesauro SS. Reliquiarum venerandum: monstrantur enim ejus in Ecclesia, præter S. Eulaliæ Martyris, & Civitatis Barcinonensis Patronæ Reliquias, integrum S. Stephani Protomartyris brachium, à Philippo IV. Castellæ, & tertio Aragoniæ Rege donatum, & in Presbyterio ex parte Evangelii collocatum cum inscriptione: *Magnus Philippus IV. Hispaniarum Rex dono dedit in devotum grati animi pignus, ob victoriam ex Gallis in castro Fontisrabiæ intercessione Beatæ Eulaliæ Virginis, & Martyris anno* 1638. *obtentam*: Tibia S. Laurentii Martyris: pars brachii S. Theclæ Virginis, & Martyris: pars brachii S. Vincentii Martyris à Comitissa de Monte Rey, & brachium integrum S. Juliani Archiepiscopi Toletani è Capella regia extractum à Serenissimo Principe Joanne ab Austria dono datum &c. Reliquiæ S. Blandæ, S. Donati Martyris, & S. Theodori &c.

Non se continuit Barcinonensium devotio in unius Domûs structura, duas alias primæ adjunxit, videlicet eodem anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo illam Montis Calvariæ extra Civitatis mœnia, & aliam in monte Jovis, quæ à S. Matrona, ob ejus Reliquias ibi in Ecclesia juxta Bollandica Sanctorum acta ad 15. Martii *fol. mihi* 394. repositas nomen tenuit. Cum autem obsidio, quæ anno millesimo septingentesimo decimo quarto Civitatem arctiùs strinxerat, utrum-

utrumque hunc Conventum vix non totos solo æquâsset, ex utroque parvo Philippi V. regia munificentia, & socia Marchionis Castri Rodricii Principis Pii pietas unum majoris formæ intra Civitatem sub S. Matronæ titulo anno millesimo septingentesimo decimo octavo extruxit, Reliquiis Sanctæ Martyris, & pariter Civitatis Patronæ ad aram magnam novæ Ecclesiæ translatis, & sequenti inscriptione appositâ: *Cœnobium armis dirutum regius animus bello major, Philippi hoc nomine V. religiosa liberalitate restaurat: accedit operi Rege minor, cæteris præcellens Excellentissimi Marchionis Castri Rodricii, Principis Pii, augusta pietas.*

Collocati in his & aliis Domibus Fratres manus suas in sancta extollere, sacræ Professionis fidem, perfectioris vitæ observantiâ adimplere, Provinciam Cataloniæ, sub Beatæ Virginis Mariæ de Monte-Serrato, S. P. Francisci, & S. Eulaliæ tutela instituerunt, & ex horum Sanctorum Imagine, hujus sigillum formârunt, cum epigraphe: *Sigillum Provinciæ Matris Dei Cataloniæ.*

Bonum reformationis intra Cataloniæ terminos arctari durum visum fuit Patribus, hinc ad alia Hispaniæ loca id propagari conclusum, & Provinciæ Valentiæ, & Aragoniæ datum fuit principium.

Laus tota non est hujus Provinciæ alias fundâsse Provincias, major forsan est gloria ejus, tum ad suæ vitæ sequelam potentes hujus mundi traxisse, tum alios spiritu virtutis imbuisse, tum alios in scientia perfecisse.

Abjecerunt fastum nobilitatis, eumque sub rudi Capucino habitu occultârunt, præter FF. Archangelum, & Joannem Alarconios ex loco Tordecillas in Regno Castellæ oriundos, & jam tom. 3. fol. 4. commendatos, Frater Josephus Barcinonensis, ex nobilissima & Baronali Roccabertorum Familia, Capprariæ &c. Domina, qui lector PP. Observantium ad nos transiit, & primus orationem 40. horarum in Hispaniam induxit.

Fr. Petrus à Neapoli, regiæ stirpis ramus, seu Nepos Regis Tunetis, cum enim Carolus V. Fratrem hujus secundum in obsidem accepisset, & hic in Hispania, ejuratâ suâ sectâ cum Domina de Mendoza matrimonium iniisset, fuit Fr. Petrus primus horum partus & proles, ac dignus postmodum D. P. Francisci Filius, Capucino habitu anno 1594. in S. Eulaliæ Conventu indutus.

Fr. Franciscus à S. Petro Piscatore, ex Illustri Familia de Caramany, avunculus Benedicti Sala, Ordinis S. Benedicti, Monasterii Montis-Serrati Abbatis, Episcopi Barcinonensis, & Cardinalis nominati.

Fr. Fructuosus à Verdu, Joannis Teres, Archiepiscopi Tarraconensis, & Proregis Principatûs Cataloniæ Nepos:

Fr. Antonius Barcinonensis, in Sæculo Bernardus de Boxados, & de Pax, Comes à Savalla & Valmoll, cujus Familia inter Magnates Hispaniæ clarescit, vocata *Comes à Peralada, gratia Dei*. Habitum quidem Fr. Antonius in S. Eulaliæ Conventu induit, Valentiæ tamen, quò se à Parentela fugiens elongavit, corpus deposuit.

Sinamus, quæ nimia sunt, individua, & Familias nobiles recenseamus, quæ talia nobis dedêre, & quæ sunt:

De Azedo, d' Aguierre de Aren, de Angullot, de Carbonell, de Cardenas, de Cassados, de Descalbar, de Despalau, de Ferrer, de Ferrii, Gomez, Guman & Terrelles, del Yermo, de Omedas, de Oriz, de Ombs, Martinez de Luna, de Mitiavila, Ramirez, de Ros de Pefilla, de Villana &c.

Viros virtute conspicuos exhibent Annales; sileri tamen hic non debet

Fr. An-

Fr. Antonius ab Ordis, qui anno 1726. virtute mediâ confessum Definitorii Generalis occupavit: sileri non debet sacrificium, quod charitas ab anno 1650. usque ad annum 1653. inclusivè in quinquaginta duobus Fratribus, in servitio pestis immolavit: sileri non debet Martyrium 3. aliorum Fratrum, quos in Missionibus Americanis, in Insula Trinitatis 1. Octob. 1699. furor Indorum fustibus & armis, in odium fidei trucidavit, & quorum corpora hiantibus adhuc cicatricibus signata, ad Civitatem S. Josephi de Orunga, magna fidelium veneratione fuerunt translata.

Dedit & hæc Provincia celebri Caramueli Magistrum Fr. Josephum Minorissensem, dum in Monasterio Ordinis S. Benedicti *de Bages* RR. PP. Benedictinis Reformatis sacras litteras prælegit, hinc & in Archivo notata reperiuntur hæc verba: *Magna est Minorissæ gloria dedisse Magistrum Illustrissimo Caramueli in Josepho, dum erat Lector.*

Magnos Hispaniæ, Ecclesiæ, & Ordinis Viros Fr. Alphonsum Lupum, & Didacum à Quiroga totos quidem suos non prætendit, de utriusque tamen gloria dignè participat: de gloria primi, cum in Conventu Montis Calvariæ extra Civitatis Barcinonensis mænia sito anno 1593. ei locum pro requie corporis dederit; de gloria secundi verò, cum illum ad vitam Capucinam per habitum anno 1599. à Fr. Michaële Gerundensi in Conventu Figueriarum collatum regenuerit.

Singulari denique Divinæ Providentiæ consilio sibi post diversorum Religiosorum, præsertim RR. PP. Observantium incolatum obtigisse credit possessionem seu potius habitationem Domûs Conventualis, pro qua in Civitate Vicensi construenda, vivente adhuc S. Patre Francisco, quem iter suum per Vicum duxisse, constans refert traditio, Philippus à Majolis cum Conjuge sua fundum terræ donavit, instrumento desuper confecto, & anno 1610. tempore, quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad prædictæ Domûs nostræ Ecclesiam processionaliter fuit delatum, authenticè reperto, tenoris sequentis:

Cunctis sit manifestum, quod Ego Philippus de Majolis & Uxor mea Berengaria pro salute & remedio animarum nostrarum, parentumque nostrorum donamus & offerimus, & in præsenti tradimus Domino, & Ordini FF. Minorum ipsam nostram petiam terræ, quam habemus in Parochia S. Petri Vici, sub Ecclesia Sanctæ Eulaliæ de Vico, cum ingressibus & egressibus & affrontationibus suis: Et affrontat ab Oriente in honore Mariæ Isernæ, à meridie in honore Vitalis Aurardi, ab occiduo in alia nostra petia, quam ibi habemus, à Circio in Carreria. Tali pacto hoc donum facimus ipsius Ordini, ejusque Patribus, ut Fratres ipsius Ordinis possint liberè facere ipsam Ecclesiam & Domos & hortum & quicquid velint: Et ipsa Ecclesia sit semper obediens in omnibus, & devota Episcopo Vicensi, suisque Successoribus Episcopis, & sub ordinatione & regimine in omnibus.

Quod est factum idibus Decembris anno Domini 1225.

Philippus de Majolis & Berengaria Uxor ejus, qui prædicta omnia laudamus, concedimus, & confirmamus.

Commeat Provincia ad

Conventus Fratrum	XXV.
Missiones in America	VII.
Monasteria Monialium	IV.

Capel-

Capellam, seu Eremitorium Beatæ Virginis Mariæ de Spe, Oppidi Mataronis, cum Domo & Viridario contiguis, Fratribus pro constructione Domûs Regularis concedi, ac hos cum omnium privilegiorum usu in eam induci committit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto Filio Officiali Barchinonensi salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Regimini militantis Ecclesiæ, meritis licèt imparibus, disponente Domino præsidentes, ad ea libenter intendimus, per quæ Religionis propagationi, ac Domorum Regularium multiplicationi consulitur, & ad id tendentia vota, quantùm Nobis ex alto permittitur, ad exauditionis gratiam admittimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Fratris Joannis de Tordesillas, moderni Ministri Provincialis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, & Joannis Palau, Rectoris Parochialis Ecclesiæ Oppidi *de Mataro*, Barchinonensis Diœcesis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod pro spirituali Dilectorum Filiorum dicti Oppidi Incolarum consolatione, & majore Divini cultûs augmento, dictus Frater Joannes unam Regularem Domum Ordinis Fratrum Minorum hujusmodi prope dictum Oppidum erigi & institui desiderat, nec ibi commodior locus ad id inveniri potest, quàm Ecclesia, seu Capella, vel Eremitorium Beatæ Mariæ Virginis de Spe nuncupatum, intra limites dictæ Parochialis Ecclesiæ situm, quam, seu quod aliàs quidam laicus, ipsius Oppidi Incola, in agro suo devotionis causâ construxit, & apud quam, seu quod etiam nonnulli Eremitæ aliquando ibi habitantes unam Domunculam construi, ac viridarium, unà cum Vinea, quæ fortassis eidem Ecclesiæ, seu Capellæ, aut Eremitorio hujusmodi per aliquos Christifideles relicta fuit, aptari curârunt, & quam, seu quod pro illius conservatione pro eo, quod prædictorum Christifidelium devotio inibi plurima erat, Rectores pro tempore existentes dictæ Parochialis Ecclesiæ successivis temporibus gubernârunt, & administrârunt, & quam, seu quod præfatus Joannes ob singularem, quem erga prædictum Ordinem gerit, devotionis affectum, & ad illum propagandum, præfato Fratri Joanni ad effectum unam inibi Domum Regularem construendi concedere, seu illius concessioni hujusmodi consentire paratus existit. Quare pro parte utriusque Joannis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Ecclesiam, seu Capellam, aut Eremitorium hujusmodi Ordini prædicto donare, & concedere, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, statuimus, & ordinavimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm communem extimationem, etiam beneficii, cui aliud uniri peterent, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset; quique inter cætera cordis nostri desideria, ut hæc Religio palmites suos ubique latè diffundat, sinceris exoptamus affectibus, utrumque Joannem à quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. censentes, ac Ecclesiæ, seu Capellæ, aut Eremitorii, & Domûs, Viridarii, ac Vineæ hujusmodi situationes, confines, & qualitates præsentibus pro expressis habentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Dilectioni tuæ &c. mandamus, quatenus Ecclesiam, seu Capellam, vel Eremitorium hujusmodi, unà cum Domo, Viridario, & Vinea illi contiguis, dicto Fratri Joanni, ac universo Ordini Fratrum prædictorum, ad effectum inibi unam Regularem dicti Ordinis Domum construendi, dummodo dicti Joannis ad hoc accedat assensus, auctoritate nostra perpetuò dones, & concedas: Ipsique Fratri Joanni, ac dilectis Filiis ejusdem Ordinis Fratribus, ut apud Ecclesiam, seu Capellam, aut Eremitorium ejusmodi unam domum Regularem dicti Ordinis cum Dormitorio, Refectorio, Claustro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis necessariis, & opportunis, Ordinarii loci, aut Superioris dicti Ordinis, vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, construi, & ædificari facere liberè, & licitè possint & valeant, licentiam & facultatem dicta auctoritate concedas, & impartiaris: Illamque, postquam sic constructa, & ædificata extiterit, in Domum Regularem dicti Ordinis sub dicta invocatione pro perpetuis usu, & habitatione unius Guardiani, & competenti Fratrum ejusdem Ordinis numero, qui in Ecclesia, seu Capella, aut Eremitorio hujusmodi juxta laudabile eorum Institutum, & Regularem observantiam Divina Officia celebrent, & in ipsa Domo vitam Re-

Regularem ducant, fine alicujus præjudicio auctoritate præfata etiam perpetuò erigas, & instituas: nec non eisdem Domui, & Fratribus in ea pro tempore degentibus, quod omnibus & singulis immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, gratiis, concessionibus, indulgentiis, favoribus, & indultis, quibus aliæ dicti Ordinis Domus Regulares, etiam in Italia consistentes, ac illorum Fratres, & personæ de jure, statuto, usu, consuetudine, vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur, & gaudent, aut uti, potiri, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter uti, frui, & gaudere valeant, eadem auctoritate concedas, ac etiam indulgeas: nec non præsentes litteras, etiam ex eo, quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, aut ex quavis alia causa, ullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari, seu sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, & concessionum revocationibus, suspensionibus, restrictionibus, vel aliis contrariis dispositionibus comprehendi minimè posse, neque debere, sed, quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, ac validissimum statum restitutas, repositas, ac etiam de novo sub posteriori data per Provincialem, seu Guardianum Domûs erigendæ hujusmodi concessas esse, & censeri; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, sublatâ eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, nec non, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane dicta auctoritate decernas, non obstante voluntate, ac statuto, & ordinatione Nostris præfatis, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, necnon felicis record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, quâ cavetur, ne cujusvis Ordinis Mendicantium Professores loca ad inhabitandum de novo recipere, seu recepta mutare præsumant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, de prohibitione hujusmodi expressam mentionem faciente, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque Fratribus, nec non Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio &c., seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, quinto Kal. Maji Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Autographum in Archivo Vaticano Regesto Bull. anni 1. ad 5. fol. 227.

APOSTOLICA AUTHORITATE.

Monasterium Monialium Capucinarum sub perpetua Fratrum jurisdictione in Civitate Barcinonæ erigi committitur.

Camillus Cajetanus Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Patriarcha Alexandrinus, & Sanctissimi D. N. Clementis Divina providentia Papæ VIII., ejusdemque Sedis in Hispaniarum Regnis cum potestate Legati de latere Nuntius, Juriumque Cameræ Apostolicæ Collector Generalis.

Venerabili in Christo Patri, pro tempore existenti Episcopo Barcinonensi salutem, & sinceram in Domino Charitatem &c.

EXigit Legationis officium, quod, meritis licèt insufficientibus, exercemus, ut ad ea libenter intendamus, quæ ad Religiosarum Personarum, sacrorumque locorum propagationem, Divinique cultûs incrementum, & fidelium salutem, & commodum pertinent, & iis libenter, cum à Nobis petitur, de Apostolicæ benignitatis provideamus remedio.

Sanè exhibita Nobis nuper pro parte Dilectæ Nostræ in Christo Angelæ Seraphinæ Incolæ Barcinonensis petitio continebat, quod ipsa quindecim annis incirca Habitum per Moniales Capucinas Ordinis Minorum Sancti Francisci gestari solitum gestat, & zelo erigendi unum Monasterium in hac Civitate,

vitate, ſub eaque, quam Urbis Rnmæ, & Granatenſes Mnniales Capucinæ Ordinis Miror. Sancti Franciſci profitentur, Regula & Inſtitutis, in quadam Domo cum undecim probatæ vitæ Mulieribus piè, & in quaſi Religionis forma commoratur, cum eiſdem Domino ſamulatur, & quamplurimis ex Nobilioribus præſentis Civitatis probatæ vitæ, & ſalutis animarum cupidis Monaſterium hujuſmodi Ordinis Capucinorum extrui, & erigi in hac Civitate quamplurimum deſiderat. Quare prædicta Exponens Nobis humiliter ſupplieari fecit, ut laudabili huic propoſitn benignè annuere, aliàſque ſibi in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſufficienter ad infraſeripta per litteras dictæ Sedis facultate muniti, ipſamque Exponentem à quibuſvis excommunieationis &c. abſolventes, & abſolutam ſore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibns inclinati, circumſpectioni Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, ſi ita in Domino expedire judieaveris, & commodè, ac ſervata fn-ma Cnncilii Tridentini, Monaſterium hujuſmodi erigi & inſtitui poſſit, eidem Exponenti, ut in domn prædicta, in qua de præſenti commoratur, ſeu in alin locn, ad id tibi beneviſo, ſine tamen alicujus præjudicio, Monaſterium cum ſua Eccleſia, & aliis requiſitis erigere, & inſtituere ſub Regula Minorum Sancti Franciſci Capucinorum, nee nnn nfficiis, nfficinis, choro, locutoriis, juribns, & inſiguiis neceſſariis, & in Mnnaſteriis ſimilibus frui conſuetis, pro una Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, quæ ibi præeſſe debeat, & hujuſmodi mulieribus & aliis, quæ relicto ſæculo ibi ſub Habitu Regulari, quem Moniales Capucinæ de Urbe, & Granatenſes ferunt, profiteri, & poenitentiam agere voluerint, præſit: ipſaque vnta per eaſdem Mnniales emitti conſueta, in manibus ejuſdem Abbatiſſæ, ſen Prioriſſæ prn tempore exiſtentis, ſervatis ſervandis, emittant; & ſub arctiſſimâ inviolabilique elauſura perpetuò contineantur, & ſub cura & juriſdictione Fratrum Capucinorum præſentia Civitatis Bareinnnenſis in perpetuum degant, & eis ſint ſubjectæ, & aliàs ſervata forma Coneilii Tridentinl, & prædicti Ordinis Conſtitutionibus, licentiam noſtra Apoſtolicâ, quâ in hac parte fungimur, auctoritate concedas, & impartiaris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis prædicti Sancti Franeiſei Capucinnrum, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia rnboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis, aliiſque quomodolibet cnnceſſis, approbatis, & innnvatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ Superioribus, & Fratribus ejuſdem Monaſterii Capucinorum præſentis Civitatis, quatenus Monaſterium hujuſmodi, poſtquam ſundatum fuerit, ſub cura, & cuſtodia, ac ſub juriſdictione ſuà recipiatur, & Moniales eaſdem gubernent ſàlubriter in Dominn, & regant juxta ſui Ordinis, & inſtituti conſtitutiones, & ordinationes: & Confeſſorem, ſeu Vicarium deputent, qui earundem Mnnialium Confeſſiones audiat, ſub fnrma, quæ in Monaſteriis Monialium hujuſmodi de Urbe, & Granatenſi ſervatur: Dantes præterea tibi facultatem, & auctoritatem, nt, cum Deo dante, Monaſterium hujuſmodi erectum, & inſtitutum fuerit, duas vel tres Moniales è Mnnaſterio Granatenſi ejuſdem Ordinis, pro gubernin, & ſundatione ejuſdem Mnnaſterii Barcinnnenſis ad idem Monaſterium cum comitatu honeſtn, etiam ſub eenſuris & pœnis, ſi npus fuerit, venire præcipias, & mandes, ſine tamen prædicti Monaſterii Granatenſis jactura, aut damnn. Nos enim ad præmiſſa omnia, & ſingula facienda, exequenda, & fine debito terminanda, Tibi vices noſtras in hac parte cnmmittimus, & auctoritatem impartimur.

Datum Barcinonæ Anno Domini milleſimn quingenteſimn nonageſimo nono, ſeptimo Kalendas Junii, Pontificatús prædicti Sanctiſſimi Domini nnſtri Papæ Annn Octavo &c.

Exemplar Auth. in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Cataloniæ.

N O T A.

PEr alias Apoſtolicas Litteras, quibus Moniales prædictas ad Profeſſionem Regularem admitti indultum fuit, cura & juriſdictio ſuperius Fratribus collata in Epiſcopum, ejuſque Succeſſores fuit tranſlata: fuère autem Litteræ Apoſtolicæ Epiſcopo Barcinonenſi inſcriptæ tenoris videlicet:

Perilluſtris, & Reverendiſſime Domine uti Frater.

Sub nomine Monialium Capucinarum illius Civitatis Sanctiſſimo Domino Noſtro factæ fuerunt inſtantiæ pro facultate, ut ad Sacram poſſint admitti Profeſſionem, dubio exinde orto, quod nec Barcellonæ,

nec

nec in aliis Hispaniarum Locis Moniales ejusdem Ordinis reperiantur. Cumque Sanctitas sua difficultatem desuper non habeat, Sacra Congregatio Episcoporum, cui à Sanctissimo negotium hoc fuit remissum, Amplit. Tuæ scribi jussit, quatenus, si Clausura sit completa, & juxta Decreta S. Concilii Tridentini, Constitutiones Pii V., & Gregorii XIII. fel. mem. Amplit. Tua non solùm possit, sed debeat illas ad Professionem admittere sub regula, sub qua in Monasterio fuerunt collocatæ, & sub conditione, ut curæ, guberaio, & jurisdictioni Amplit. Tuæ, & Successorum ejus pro tempore subjectæ existant, & semper sub eâ permanere debeant. Et Deus &c.

Romæ 27. Novembris 1603.

Ex Regesto Sac. Congregat. anni, & mensis prædict. fol. 106.

Erectionem Monasterii Monialium prædictarum Barcinonæ approbat, iis omnium privilegiorum Ordinis usum concedit, ac curam Monasterii loci Ordinario addicit.

Dilectis in Christo Filiabus & Conventui Monasterii Monialium Capucinarum in Civitate Barchinonensi nuper erecti

CLEMENS PAPA VIII.

Dilectæ in Christo Filiæ, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis Apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quæ sanctimonialium Monasteriorum erectiones stabiliantur, & earumdem Sanctimonialium spirituali consolationi opportunè consulatur, dum præsertim Catholicorum Regum vota id exposcunt, ac aliàs in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque vestrum Monasterium Ordinis Capucinarum Sancti Francisci auctoritate Dilecti Filii nostri, & Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncii nuper erectum fuerit, Nos erectionem hujusmodi auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, Vobisque nunc & pro tempore existentibus ejusdem Monasterii Monialibus, ut omnibus & singulis privilegiis, gratiis, indultis, & indulgentiis, quibus alia quæcumque Monasteria Monialium Ordinis Capucinarum Sancti Francisci, eorumque Moniales utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui, & gaudere solent, possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia uti, frui, potiri, & gaudere possitis & debeatis, auctoritate & tenore prædictis perpetuò concedimus & indulgemus. Volumus autem, ut curæ & gubernio loci Ordinarii, quousque à Nobis aliter ordinatum non fuerit, subesse debeatis. Non obstantibus nostrâ, de non concedendis indulgentiis adinstar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Decembris MDCIV. Pontificatûs nostri anno decimo tertio.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apost. Reg. mens. & ann. præd. fol. 24.

Erectionem prædicti Monasterii, privilegiorum usum, ac curam Monasterii confirmat.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

PRudentûm Virginum votis, quæ spreto mortalis Viri thoro, Ei, qui speciosus est præ filiis hominum, desponsare se voluerunt, debemus & volumus favorabiliter subvenire. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ, Ministra & Moniales Monasterii Monialium Capucinarum nuncupatarum, Ordinis Sancti Francisci, Barchinonensis, quod, cum aliàs tunc existens in Regnis Hispaniarum Sedis Apostolicæ Nuncius dictum Monasterium erexisset, fel. rec. Clemens Papa VIII. prædecessor noster, erectionem Monasterii hujusmodi perpetuò confirmavit & approbavit, & Ministræ & Monialibus dicti Monasterii, nunc & pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, gratiis, & indultis, quibus alia quæcumque Monasteria Monialium Ordinis prædicti, & illorum Moniales utebantur, fruebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere solebant, sine aliqua differentia uti, frui,

frui, & gaudere possent & deberent, perpetuò concessit, prout in litteris Apostolicis desuper in simili forma Brevis, sub datum vigesima secunda Decembris, Pontificatûs sui anno decimo tertio, expeditis pleniùs continetur. Et, sicut eadem expositio subjungebat, Ministra & Moniales prædictæ plurimùm cupiant erectionem, & illius confirmationem prædictas, pro earum firmiori subsistentia per Nos, Apostolica auctoritate confirmari & approbari; idcirco Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè de benignitate Apostolica providere dignaremur.

Nos igitur dictas Ministram & Moniales, ac earum singulas à quibulvis &c. censentes, dictarumque litterarum tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, erectionem dicti Monasterii, & illius confirmationem, ut suprà factas, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quàm facti, & solemnitatum defectus, si qui in illis intervenerint, supplemus. Denique prædictis, & pro tempore existentibus dicti Monasterii Ministræ & Monialibus gratias, indulgentias, non tamen à Nobis, & Sede Apostolica revocatas, & privilegia quæcumque Monasteriis Monialium Sanctæ Claræ, & illorum Monialibus concessa, ita tamen, quod Ordinarii loci jurisdictioni & curæ subsint, similiter concedimus, & impartimur. Non obstantibus nostrâ, de non concedendis Indulgentiis adinstar, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Aprilis MDCVIII. Pontificatûs nostri anno tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædictor. fol. 316.

N O T A.

Dubitantibus postmodum hujus Parthenonis Monialibus, an ex eo, quod Ordinario essent subjectæ, ordine Divini Officii, seu Calendario Ordinis nostri uti possent, &c. Sacrorum Rituum Congregatio declarando respondit, ut sequitur:

BARCHINONENSIS.

Pro parte Monialium primi Monasterii Conventûs Capucinarum Hispaniæ, Civitatis Barchinonensis, pro securitate earum conscientiæ supplicatum fuit à Sac. Rit. Congregatione declarari.

Primo. *An prædictæ Moniales gaudeant privilegiis, quibus Fratres Capucini fruuntur, etiamsi Ordinario subjaceant, & non Capucinis?*

Secundo. *An, ex quo bon. mem. Leo X. concessit Religionibus omnibus in quadam relata à Brunone Casaud in suo tract. de Privileg. Regular. tract. 8. cap. 3. propos. 5. quod Ministri Provinciales in suis Capitulis Provincialibus respectivè possint, de consilio Definitorum nominare duos, vel tres Fratres, qui sic nominati possint ordinare, & instituere unum Calendarium Sanctorum feriarum, & Dominicarum pro toto Anno, cum regulis necessariis, ita quod semper in quocumque Provincia, tanquam Moniales illarum Provinciarum respectivè, idem officium, & de eodem Sancto, vel festivitate, vel feria faciant, ne varietati, vel discordiæ locus detur, dum tamen non multo discrepet à Calendario Romano, prædictæ Moniales, etsi Ordinario, & non Religiosis Capucinis subjectæ sint, debeant se conformare cum Calendario sic formato à Patribus Capucinis?*

Et eadem Sacra Congregatio referente Eminentissimo Domino Cardinali de Laurea respondit. Ad primum. *Adeant Sacr. Congregationem Episcoporum, & Regularium.* Ad secundum. *Posse uti Ordinario Patrum Capucinorum, & ita declaravit.*

Romæ die 24. Januarii 1688.

Card. Cybo Præfectus.

Autograph. in Archivo Secret. Sac. Congreg. mens. & anni prædict. fol. 109.

Lega-

Legatum duorum millium scutorum, à Michaële Grimosats cum onere tot Missas, & anniversaria celebrandi Fratribus relictum in Fabricam Domûs Regularis Arenarum, sive *de Arens* converti, ac à Fratribus duo millia Missarum pro Testatoris animæ refrigerio semel celebrari indulget, seu committit.

Venerabili Fratri Episcopo Gerunden.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis ouper fecerunt dilecti Filii, Provincialis, ac Definitores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Cataloniæ, quod aliàs quondam Michaël Grimosats in suo ultimo, quod condidit, & sub cujus dispositione ab humanis decessit, testamento, summam duorum millium scutorum, vel circiter Fratribus dictæ Provinciæ, cum onere tamen tot Missas & anniversaria pro illius animæ refrigerio celebrandi, reliquit, prout in dicto testamento pleniùs dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Fratres prædicti, juxta Regularia ejusdem Ordinis instituta, Legati hujusmodi incapaces existant; fabrica verò Domûs Regularis *de Arens*, Gerundensis Diœcesis, Ordinis & Provinciæ hujusmodi, aliquo subventionis auxilio maximè indigeat, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictæ Domûs necessitatibus, quantùm cum Domino possumus, prospicere, ac illius Guardianum & Fratres specialibus &c. volentes, & à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus suprà narratis, OEconomo Domûs prædictæ, quod summam duorum millium scutorum hujusmodi in dictæ Domûs fabricam convertere, & erogare, ita tamen, ut Missarum duo millia pro ipsius Testatoris animæ refrigerio à Fratribus prædictis celebrentur, liberè & licitè valeat, auctoritate nostra licentiam concedas. Non obstantibus prædict Testatoris voluntate, quam in—& quoad præmissa sufficienter commutamus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non prædictis, & quibusvis aliis dicti Ordinis, etiam juramento &c. roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDCXVIII. Pontificatûs nostri anno decimo quarto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicor. Regesto mens. & ann. prædict. fol. 224.

EPISTOLA

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Circa Fabricam RR. PP. Carmelitarum Discalceatorum in territorio Villæ de Sarria attentatam, Apostolica Decreta servari, instantibus Fratribus nostris, Episcopo Barcinonensi committitur.

QUæ per Sanctissimum Dominum nostrum Urbanum VIII., aliosque Romanos Pontifices, Sanctitatis Suæ prædecessores, circa novorum Conventuum sive Monasteriorum erectionem salubriter sancita sunt, ex annexo litterarum Apostolicarum desuper emanatarum exemplo, Amplitudo Tua percipiet; quia verò Fratres Ordinis Min. S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, apud Sacram hanc Congregationem Cardinalium Episcoporum, & Regularium negotiis præpositam ouper conquesti sunt, Fratres Ordinis Carmelitarum Discal. ceatorum novum Conventum in Territorio Villæ *de Sarria* prope, & extra mænia istius Civitatis, contra præfatarum litterarum tenorem, ac ipsis Capucinis renuentibus extruere prætendere, Illustrissimi ejusdem Sacræ Congregationis Patres Amplitudini Tuæ, ut præter memoratarum litterarum Apostolicarum dispositionem, per prænominatos Fratres Carmelitas, aut alios quoscunque Regulares quidquam attentari haud permittat, sed easdem perpetuò, & inviolabiliter observari, harum serie injungendum censuerunt. Hæc igitur debitæ executioni demandare non omittat Amplitudo Tua, cui ego interim à Deo optimo maximo bonorum omnium cumulum precor.

Romæ die quarta Augusti 1625.

Exempl. Auth. in Arch. Generali Ordinis Armario Provincia Cataloniæ.

Onus Missæ menstruæ, ex relicta Bibliotheca Conventui Oppidi Figueriarum impositum, ad ducentas Missas semel dicendas reduci committit.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Guardianus, & Fratres Domûs Regularis Fratrum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Oppidi Figueriarum, Gerundensis Diœcesis, quod aliàs quondam Vincentius Vilar, dictæ Diœcesis, dum vivebat, Magister in Theologia, testamentariâ, seu alia, sub qua decessit, dispositione ab humanis, inter alia per eum tunc piè disposita, tunc existentibus Guardiano, & Fratribus dictæ Domûs Regularis totam Librariam suam, amore Dei legavit, volens, quod dicti Fratres ratione hujusmodi Librariæ Missam unam quolibet mense pro suffragiis animæ ipsius Vincentii celebrare tenerentur, illis verò onus prædictum recusantibus, prædicta Libraria hæreditati suæ consignaretur, ac aliàs, prout in dispositione hujusmodi pleniùs contineri dicitur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, Librariæ hujusmodi, quæ alioquin dictæ Domui Regulari admodum necessaria, & perutilis futura est, valorem in proprietate centum scutorum non excedat, proinde Fratres prædicti tantum onus illius ratione subire non possint, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt Exponentes prædicti, ut eis in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Exponentes prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, nec non Guardianum, & Domûs prædictæ singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. censentes, certam tamen scientiam de præmissis, & notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Episcope, sive Discretioni Tuæ, Fili Officialis, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus constito Tibi legitimè de præmissis, onus celebrationis unius Missæ menstruæ, ad ducentas Missas semel, etiam in diversis Ecclesiis celebrandas, auctoritate nostra reducas, & modereris, dictique Vincentii voluntatem quoad hoc commutes, & interim Librariam prædictam non devolvi, sed penes ipsos Exponentes remanere, minusque illos à quoquam, eo prætextu molestari, aut inquietari posse, sed per celebrationem ducentarum Missarum hujusmodi modo præmisso, prædicti Vincentii voluntati satisfecisse dici, & censeri debere, irritum quoque, & inane decernas, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus voluntate hujusmodi, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictæque Domûs Regularis, etiam juramento &c. & innovatis; quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis specifica, expressa, & individua mentio in præsentibus facienda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Julii MDCXXVI. Pontificatûs nostri anno tertio.

Exempl. in Archivo generali Ordinis Armorio Provincia Cataloniæ.

Legatum pium, seu eleemosynam, in beneficium fabricæ novi Conventûs, prope Villam Balneolarum, commutat.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, sive dilecti Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Guardianus, & Fratres Domûs Conventualis Fratrum Ordinis Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum prope, & extra Villam Balneolarum, Gerundensis Diœcesis, quod, cum dicta Domus prope quoddam stagnum existat, ut ab aëris illius loci intemperiem (prout plurium annorum decursu notatum fuit) tam ex aquarum ejusdem stagni vaporibus, & nebulis, frequentibusque dictæ Domûs recessu, & illius loci depressione procedentibus, Religiosi pro tempore in dicta Domo commorantes, diversis infirmitatibus sint obnoxii; propterea que dilecti Filii, Universitas, & homines dictæ Villæ, nec non Abbas Monasterii Sancti Stephani prædictæ Villæ jurisdictionem forsan spiritualem, & temporalem in dicta Villa exercens, eisdem Exponentibus commodiorem, & meliorem situm in dicta Villa, seu prope illam, ad effectum aliam dicti Ordinis Domum Conventualem construi faciendi

di concesserint, & ad effectum fabricam Domûs construendæ hujusmodi incipiendi, & perficiendi, quamdam eleemosynam, seu legatum pium annui redditûs ducentarum librarum monetæ illarum partium, & octo quarteriorum frumenti, de anno Domini 1306. per nonnullos Christifideles illarum partium relictarum, seu assignatarum, ad effectum redditus eleemosynæ, seu legati hujusmodi annuatim in quatuor vel quinque diebus cujuslibet anni, pauperibus ejusdem Villæ tantùm, cuilibet pauperi unum pauem, vix quatuor denariis monetæ æquivalentem, per pro tempore Jutatos dictæ Villæ per Universitatem, & homines prædictos deputatos, seu electos distribuendi, & erogandi, ad certum tempus (videlicet duodecim annorum) recedere, seu applicare decreverint, sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito, itaquod interim de eisdem redditibus, seu eleemosyna annua portio quatuordecim librarum, & octo quarteriorum frumenti pauperibus dictæ Villæ, nec non præsentibus, & pro tempore existentibus in Domo construenda hujusmodi Fratribus, & Conventui viginti tres libræ, & decem solidi ejusdem monetæ, pro usu eorum Sacristiæ annuatim, & suis loco & tempore distribuantur, finitoque lapsu duodecim annorum, prædictæ eleemosynæ, seu legati hujusmodi redditus, ut priùs, juxta benefactorum intentionem perpetuò integraliter Villæ pauperibus distribuendi remaneant. Ideoque Nobis humiliter supplicari fecerunt Exponentes prædicti, ut eis in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eosdem Exponentes specialis gratiæ favore prosequi volentes, nec non Guardianum, & Conventûs hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, certam tamen de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Episcope, seu Discretioni Tuæ, Fili Officialis, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus eisdem Exponentibus eleemosynam hujusmodi, ad effectum præmissum, ad duodecim annos proximè decursuros, dilectorum Filiorum modernorum eleemosynæ, seu legatorum hujusmodi Patronorum, vel Administratorum ad hoc accedente consensu, auctoritate nostra concedas, & applices, ita quod desuper dictis duodecim annis durantibus à nemine molestari, & perturbari, aut inquietari possint, & eosdem Exponentes, dictis duodecim annis durantibus, in locum quorumcumque pauperum ad præfatam eleemosynam vocatorum subroges. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non illorum, qui eleemosynam, seu legatum hujusmodi instituerunt, voluntate, quam in—& quoad hoc sufficienter volumus commutari, & derogari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII. Februarii MDCXXXV. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Exempl. in Archivo generali Ordinis Armario Provinciæ Cataloniæ.

NOTA

Conventus, ad cujus favorem suprafata Legati pii permutatio facta fuit, non amplius existit.

Pium Legatum pro construendo in terra de Reus novo Conventu aliàs relictum, ad reparationem aliarum Provinciæ ædificiorum impendi indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti Filii, Ministri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Cataloniæ, expositum fuit, quod ab anno citra, vel circiter quondam cognominatus Ferres ex Terra de Reus, Tarraconensis Diœcesis, legatum mille, & quingentorum ducatorum, pro fabricanda in dicta Terra nova Domo Regulari Ordinis hujusmodi reliquit, ac ejusdem Ordinis Superioribus, in eventum, in quem ipsis Domum hujusmodi in Terra prædicta fabricare non liberet, facultatem applicandi dictos mille & quingentos ducatos fabricæ alicujus alterius novæ Domûs Regularis, in dicta Provincia fabricandæ concessit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, mille & quingenti ducati hujusmodi pro fabricanda nova Domo Regulari non sufficiant, dictaque Provincia fabricâ novarum Domorum hujusmodi ad præsens non indigeat; Nobis propterea dictus Minister Provincialis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis, ut infra providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum Ministrum Provincialem specialibus favoribus, & gratiis prosequi

qui volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod mille & quingenti ducati prædicti in subventioneui fabricæ jam cœptæ aliarum Domorum Regularium Ordinis & Provinciæ hujusmodi, vel reparationem jam fabricatarum applicari, & insumi liberè, & licitè possit, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, dictique cognominati Ferres voluntatem, quoad præmissa, sufficienter, & expressè commutamus. Non obstantibus eâdem, & aliâ quavis dicti cognominati Ferres, etiam ultima voluntate, ac Constitutionibus Apostolicis, &, quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciæ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI. Januarii MDCXXXVIII. Pontificatûs nostri anno decimo quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Regesto mensis, & anni prædictor. fol. 81.

LITERIS

Sac. Congregat. Episc. & Regular.

Erectionem Domûs, Conventui Fratrum Barcinonæ dominantis, à Sacerdote Bernardo Mascaro intentam inibi committitur.

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini.

PRovincialis FF. Capucinorum Provinciæ Cataloniæ in Hispaniis Illustr. Domin. VV. humillimè supplicando exponit, quod Barcinonæ Sacerdos, Bernardus Mascarus nuncupatus, Domum Conventui Capucinorum illius Civitatis vicinam construere, & eousque elevare intendat, ut Fratribus dominetur. Quapropter Eminentiis Vestris humillimè supplicatur, ut, quod justum videbitur, desuper decernere dignentur. Quod totum &c.

Habitâ, quam requisivit, negotii & fabricæ informatione, ad Episcopum Sacra Congregatio sequentes dedit litteras:

Perillustris ac Reverendissime Domine, uti Frater. Cum Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præposita perceperit ea omnia, quæ citatis & auditis hinc inde partibus Amplitudo Tua eidem Congregationi intimavit circa Domum, quam Presbyter Mascarus prope Fratrum Capucinorum istius Civitatis Conventum ædificare intendit, Eminentissimi ejusdem Sacræ Congregationis Patres Amplitudini Tuæ, prout facimus, committendum censuerunt, ut eandem Domûs ædificationem omnino prohibeat. Ita igitur exequatur Amplitudo Tua, cui salutem plurimam à Deo precamur.

Romæ 4. Junii 1632.

F. Antonius Card. S. Onuphrii.

Autograph. in Archivo Secret. Sacr. Congregat. mensis, & anni prædictorum fol. 32.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Fratrem ad PP. Observantes transeuntem, in Provincia suscepti Habitûs permanere non debere, nec posse, & per novissimas Constitutiones litteris Alexandri VII. non derogatum fuisse declaratur.

FR. N. N. Ordinis Capucinorum vigore generalis indulti Sanctissimi Domini Nostri emanati pro Apostatis & fugitivis, obtinuit ab hac Sac. Congregatione die 25. Junii 1695. licentiam transeundi ad Ordinem Minorum Observantium, in quo invenerat benevolos receptores, & modo reperitur in uno ex Conventibus dictæ Provinciæ.

Cum autem in particulari Bulla san. me. Alexandri VII. in ordine 157. prohibeatur, quod Capucini transeuntes ad aliam Religionem non possint permanere in eadem Provincia, in qua erant prius inter Capucinos recepti; Hinc Provincialis Capucinorum Cataloniæ, supplicat pro observantia dictæ Constitutionis, declarari dicto Fr. N. N. non licere permanere inter Fratres Observantes ejusdem Provinciæ Cataloniæ, quemadmodum etiam declaravit Nuntius Apostolicus Hispaniarum, cui justitiæ adhæret etiam Procurator Generalis ejusdem Ordinis Capucinorum desuper auditus. E converso dictus Fr. N. N. instat declarari vigore novissimi Decreti Sanctissimi Domini Nostri emanati pro Apostatis fuisse derogatum dictæ Bullæ Alexandrinæ ex eo, quia in eo sit amplissima dero-

rogatio omnibus Bullis Apostolicis in contrarium facientibus. Cumque Orator fuerit acceptatus à Provinciali Cataloniæ, in quâ Provincia Novitiatum peragit, si contingat ab ea expelli, præjudicium Oratoris erit irreparabile: quocirca supplicat saltem pro hac vice secum, quatenus opus sit, dispensare circa dictam Bullam Alexandrinam. Super quibus precibus auditus idem Procurator Generalis consentit, ut pro hac vice tantùm concedatur dispensatio, injuncto præcepto de non laceranda fama Capucinorum.

Die 15. Decembris 1696.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit committendum, prout præsentis Decreti tenore committit Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut Bullam 157.san.mem. Alexandri VII. servari, dictumque Fr. N. N. collocari mandet in aliquo Novitiatu extra Provinciam Catalonensem, quatenus adhuc tempus sui Novitiatûs non expleverit &c.

J. Card. Sacripantes Præf.

Autograph. in Arch. S. Congreg. prædictæ lib. 45. fol. 528.

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regular.

Transactio inter Capitulum Cathedrale Gerundæ, & Syndicum nostrum circa novum Conventum in Domo per Marchionem Petrum de Cartalla vendita reædificandum facta ratihabetur.

Eminentissimi, & Reverendissimi Domini.

Religiosi Regulares Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum Provinciæ Cataloniæ exponunt Eminentiis Vestris, quod ipsi Conventum reædificare intendunt in Domo vendita per Marchionem Petrum de Cartalla prope Ecclesiam Cathedralem Civitatis Gerundæ; sed quia Domus subjacet directo Dominio admistrationum dicti Capituli, ideo prædicti Capitulum, & Canonici consensum dederunt ædificandi Conventum pactis, & conditionibus stipulatis penes Ignatium Roiq Notarium publicum Gerundæ die 27. Octobris 1733. ut ex instrumento, quod annectitur: nempe primò, quod præsens concordia auctoritate Apostolica roboretur. Secundò, quod Syndicus Apostolicus supradictæ Religionis Capucinorum fateator unam partem Domûs de Cartalla esse de directo dominio administrationis Sacristiæ secundò dictæ Cathedralis Ecclesiæ cum præstatione annuali decem solidorum Barcinonen.: insuper alteram partem Domûs esse de dominio directo administrationis anniversariorum Presbyteralium dictæ Ecclesiæ, cum annua præstatione solidorum quinque Barcinonensium, quos omnes tum præsentes, tum decursos promittat solvere prædictus Syndicus Religionis, & etiam laudemia respondentia valori dominii utilis dictæ Domûs, & habeat redimere directum dominium, & census annuales, depositandos ad utilitatem dictarum administrationum: promittat etiam solvere pensiones cessas & cedendas usque in diem solutionis dicti censûs pretio quadraginta librarum, & pensionia annuæ totidem solidorum spectantium ad administrationem anniversariorum Presbyterallium. Insuper teneatur præstare, & redimere annuam pensionem duarum librarum, & duodecim solidorum Barcinonensium favore administrationis cereorum, & lampadum dictæ Ecclesiæ Gerundensis, aliquas verò ex dictis partitis, quamvis non sint in venditionis contractu denuntiatæ, teneatur tamen solvere Syndicus supradictus intra sex menses, nisi supradictus de Cartalla eas solverit, & in casu, cum jurium cessione ad repetendum ab eodem de Cartalla.

Tandem concordatum est, quod ultra terminos præsentes dictæ Domûs de Cartalla non possint ullo unquam tempore fabricare dicti Religiosi Capucini aliquod novum opus exterius, sine consensu Capituli Gerundensis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, quoad ampliationem Domorum dictis Religiosis concessis.

Quibus conditionibus Capitulum supradictum consensum præstitit, ut reædificetur Conventus, & non aliàs, aliter, nec alio modo propter præjudicium, quod inferri potest domibus & officinis ejusdem Capituli sitis juxta Domum de Cartalla. Ideo tam Oratores supradicti, quàm Capitulum, & Canonici dictæ Cathedralis Ecclesiæ supplicant Eminentiis Vestris pro confirmatione, & approbatione præsentis concordiæ, ut supra stipulatæ, cujus executio committatur Episcopo Gerundensi, attentâ Oratorum Capucinorum paupertate. Et Deus.

Antequam Sacra Congregatio oraculo suo instantias firmaret, libellum supplicem sub 22. Januarii 1734. P. Procuratori Generali

rali pro informatione remisit & voto, quod expressum dedit, ut sequitur:

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

Procurator Generalis Capucinus eâ, quâ par est, promptitudine, EE.VV. nutibus obtemperans reverenter dicit; quod, cum conditiones, sub quibus Capitulum & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Gerundæ consensum præstare contendunt pro reædificatione Conventûs Capucinorum in eadem Urbe, præseferre videantur aliquid, Seraphico Instituto minimè consentaneum, attentè perpendi debuerunt conditiones ipsæ, exquirendo aliunde notitias ad hoc necessarias. Quibus habitis, ac Definitorio Generali expositis, & in eo pariter perpensis, judicatum fuit præstari posse consensum ex parte Religionis ejusmodi propositioni, in terminis tamen explicatis in annexo folio, à toto Definitorio subscripto. Quod totum supremo EE.VV. judicio subjicit, ac supposita earumdem EE.VV. clementissima approbatione, gratiam beneplaciti Apostolici reverenter implorat

Fr. Petrus Maria Procurator, & Commissarius Gener.

Notitias, quæ pro clariore conditionum lumine fuerunt requisitæ, conclusit folium, Diffinitorio Generali ita porrectum.

Reverendissimi PP. Generalis, & Definitores Generales.

Fr. Joachimus à Barcinona, S. Theologiæ ex-Lector, & Secretarius Generalis Hispanus eâ animi submissione, qua par est, proponit Reverendissimis PP. Vestris, quod aliquibus abhinc mensibus ex parte Capituli, & Canonicorum Civitatis Gerundensis, & nostrorum Patrum Minorum Capucin. Provinciæ Cataloniæ præsentatum fuit Memoriale S. Congregationi Episc., & Regul. ut concordia inter Partes stabilita pro reædificatione Conventûs, auctoritate Apostolica confirmaretur. Verùm cum eadem S. Congregatio supplicationis libellum Reverendissimo P. Procuratori Generali remiserit pro informatione & voto, placuit ipsi de hoc Reverendissimum Definitorium Generale consulere; quod quidem distulit suum præbere consensum, propter quasdam difficultates, quæ ad tres sequentes reducuntur:

Prima est, quod Domus de Cartalla, quæ per nostrum Syndicum Apostolicum, ad hoc specialiter electum, empta est pro reædificatione Conventûs Gerundensis solvere debeat administrationibus Cathedrslis Ecclesiæ Gerunden. præstationes aliquas annuales, quarum onus translatum videtur ad Conventum, sicque adversatur nostræ altissimæ Paupertati, ratione cujus nullo onere & canone perpetuo obligari possumus.

Secunda est, nimium gravamen ex parte Canonicorum nostris Religiosis impositum pro Conventûs reædificatione, cum absque illorum consensu nihil fabricari posse contendant.

Tertia est, quod noster Syndicus Apostolicus in casu alicujus contrafactionis conditionum se obligaverit pro quacunque vice, ex bonis propriis solvere centum libras Barcinonen. Quamvis enim spontaneè, & ex motu proprio se obligaverit, non videtur tamen expedire, quod ex parte nostra permittatur, ut tantum onus ille eum sua Familia sustineat.

Cæterùm, Reverendissimi Patres, si concordia ipsa bene, attentèque consideretur, nihil est, quod nostræ adversetur paupertati, nec est ullum gravamen ex parte fabricæ, nec ex parte nostri Syndici Apostolici, uti constabit ex prædictarum difficultatum solutione.

Ad primam igitur dico, quod, licèt Domus de Cartalla, antequam venderetur, esset obligata ad solvendas aliquas præstationes annuales, (quæ tamen simul sumptæ sunt parvi momenti, nam pro omnibus in solidum redimendis, ad rationem unius libræ pro solido, ut moris est, requiruntur & sufficiunt in moneta Romana 70. scuta, parum plus, minusve) hæ autem jam non remanent annexæ dictæ Domui, nunc Conventui, nam ex pretio Domûs, quod ejus Domino solvetur per Syndicum nostrum Apostolicum, Canonici Gerundenses recipient quantitatem prædictam, scilicet 70. scuta, quorum cura erit illa applicare, ut modicas illas præstationes fructificare possint. Et sic Domus, seu Conventus manebit pro Religiosis nostris omnino liber ab omni onere & canone, ac per consequens nibil est, quod nostræ contrarietur paupertati.

Ad secundam dico, quod Canonici Gerundenses solùm intendant, nihil fabricari posse sine ipsorum licentia, in partibus exterioribus, terminantibus cum Domibus ipsorum, nihil in aliis partibus prohibendo; adeoque restrictivè & relaxativè intelligi debet prohibitio fabricandi, scilicet, quoad opus exterius, & terminans cum Domibus Capituli. Et licèt aliquæ concordiæ clausulæ circa hoc aliter intelligi possent, D. Villar tamen Canonicus dictæ Cathedralis in Curia Romana de-

degens Procurator Capituli Gerunden. omnimodam facultatem habens, eas delendi, modificandi, ipsasque interpretandi, expressè asserit eas ita & non aliter intelligi debere: Unde si nullus in alieno solo sine illius Domini beneplacito fabricare valeat, meritò Capitulum Cathedrale Gerunden. sine eujus consensu Domibus illius nullum potest inferri præjudicium, prohibuit, ne in partibus exterioribus, terminantibus cum Domibus illius nihil sine ejus licentia fabricari queat, cum hoc esset fabricare in alieno solo, & mittere falcem in messem alienam; Sicque pactum istud dici nequit onus nobis impositum, nec nostris statutis contrarium, imo omnibus juris & æquitatis principiis conforme.

Ad tertiam dein repono, quod, etsi Syndicus in casu contraventionis ad centum libras Barchinonen. sese obligaverit solvendas, hæc tamen obligatio non est absoluta & perpetua, sed conditionata & temporalis, nempe, donec concordia auctoritate Apostolica confirmetur; ut clarè patet ex dictæ concordiæ sequentibus verbis: *Interim, donec obtentum fuerit beneplacitum Apostolicum, dictus Syndicus promittit in quocumque casu contrafactionis prædictorum solvere de bonis suis propriis centum libras monetæ Barchinonen.* Et ultrà. *Hoc intellecto, & expressè declarato, quod ejusmodi obligatio per dictum Syndicum nomine proprio facta quoad dictam pœnam spiret, & finiat statim, cum præsens concordia fuerit per Sedem Apostolicam autenticata.* Unde ex talis concordiæ confirmatione nullum onus noster Syndicus, ejusque Familia sustinebunt, imò dicti oneris absolutionem. Quia verò, quantò magis confirmatio, seu beneplacitum Apostolicum retardatur, tantò magis durat Syndici obligatio, ideo ipsemet clamat pro concordiæ confirmatione, ut immunis omnino maneat ab obligatione propter nos contracta, donec obtentum fuerit beneplacitum Apostolicum.

Igitur, cum ex dictis clarissimè constet, nostram paupertatem manere undequaque illibatam, Religiosis nostris ob licentiam à Capitulo Gerunden. pro fabrica exteriore, cum solo ejusdem terminante postulandam nullum inferri præjudicium, nec Syndicum nostrum cum onere pœnæ pecuniariæ sibi impositæ esse permansurum, imo à dicto onere absolvendum, ideo ego suprafatus Fr. Joachimus, Provinciæ Cataloniæ Alumnus, in consideratione, quod ex retardata confirmatione concordiæ fabrica Conventûs continuari nequeat, nec Syndicus à vinculo solvi, & quod aliàs, si Canonici Gerunden. (quos inter—& nostræ Provinciæ Patres maxima hucusque floruit harmonia, & plausibilis uniformitas) suspicarentur ob horum culpam, concordiam non fuisse confirmatam, posset esse origo discordiæ, perpetuæ obligationis Syndici, & plurium contra paupertatem expensarum, à RR. PP. VV. humillimè postulo, enixèque precibus flagito, ut suum quamprimùm dignentur præbere consensum, ut in Rescripto detur votum favorabile pro concordia auctoritate Apostolica roboranda, quio decernatur alium supplicationis libellum formari, in quo nulla fiat mentio de præstationibus annualibus; nam supradictus Canonicus Villar U. J. Doctor in rebus ad Curiam Romanam spectantibus valdè peritus, de hoc consultus, pro tali formando se opponit, asserens, hoc nullatenus expedire; nam, cum concordia simul cum supplicationis libello sit præsentanda, sicut de facto Sacræ Congregationi præsentata fuit, in isto summariè debet narrari, quod in illa ad longum continetur &c. Et pro gratia &c.

Ad quod Definitorium Generale rescripsit:
Veris existentibus supra expositis annuimus,
Et Sacra Congregatio decrevit, ut sequitur.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, referente Eminentissimo Domino Cardinale S. Clementis, audito Patre Procuratore Generali Ordinis, ac attenta relatione Episcopi Gerunden. eidem benignè commisit, ut veris existentibus narratis, &, postquam compererit, in evidentem utriusque Loci pii utilitatem fore cessuram petitam concordiam cum pactis, & conditionibus supra expositis, pro suo arbitrio & conscientia approbet, atque confirmet.

Romæ die 23. Julii 1735.

F. Cardinalis Barberinus
Præfectus.

Exemplar Authen. in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Cataloniæ.

DECRETO

Sac. Congregationis Episc. & Regul.

Concordia inter R. P. Provincialem Societatis Jesu, Provinciæ Aragoniæ, & Residentiam Sanctæ Speluncæ Sancti Ignatii de Loyola extra muros Civitatis Manresæ=& P. Provincialem, ac Diffinitores nostræ Provinciæ Cataloniæ, ac Conventum Sancti Bartholomæi, ejusdem Civitatis, & Syndicum Apostolicum circa dictam Sanctam Speluncam conclusa, ac ab utriusque Religionis PP. Generalibus approbata, cum pactis & conditionibus in ea expressis ratihabetur, & à Sanctissimo confirmatur.

Beatissime Pater.

Cum inter partes Provincialis Societatis Jesu Provinciæ Aragoniæ, & Domûs Residentiæ Sanctæ Speluncæ Sancti Ignatii de Loyola extra muros Civitatis Manresæ ex una=& PP. Provincialis, & Diffinitorii Religionis Capucinorum Provinciæ Matris Dei Cataloniæ, & Conventûs Sancti Bartholomæi, ejusdem Ordinis, extra muros ejusdem Civitatis, aut Syndici Apostolici ejusdem Conventûs ex altera partibus, agitatæ & prosequutæ fuerint in diversis Tribunalibus quatuor lites, altera super unitate, & veritate prædictæ Speluncæ Sancti Ignatii de Loyola, quam possident PP. Societatis Jesu = altera super fabrica quarundam fenestrarum, quæ apertæ fuerunt in prædicta Domo Residentiæ = altera super quodam Vico, seu Via, quæ à Platea prædicti Conventûs Sancti Bartholomæi procedit ad Viam, quæ ex prædicta Spelunca pergit ad molendinum, & applicanda erat prædictæ Domui Residentiæ = & altera demum super fundatione ejusdem fundamenti, seu constructione parietis, quem de novo fecerat Guardianus, & dictus Conventus Sancti Bartholomæi in Via, quæ à præfata Sancta Spelunca, & Domo Residentiæ tendit ad viam Regiam Barcinonæ: verentes, ne ulteriora suscitarentur litigia, & cupientes PP. Provincialis, & Diffinitorium Provinciæ Matris Dei Capucinorum Cataloniæ, & Syndicus Apostolicus præfati Conventûs Sancti Bartholomæi, & P. Provincialis Societatis Jesu Provinciæ Aragoniæ finem imponere, & terminare amicabili tractatione, & concordia prædictas lites pendentes, & inposterùm futuras, pro majori utriusque partis bono & quiete, & pro non minori totius Reipublicæ ædificatione, & exemplo convenerunt, & concordârunt transactionem & concordiam, quæ celebrata est in Civitate Manresæ Principatûs Cataloniæ, Diœcesis Vicensis, die 26. mensis Octobris anni 1734. coram Doctore in utroque jure, Josepho Sala, ejusdem Civitatis Manresæ Notario publico, quam utriusque Religionis Generales approbârunt & confirmârunt. Ut autem prædicta concordia, & transactio firmior in perpetuum evadat, iidem Provincialis, & Diffinitorium Capucinorum Provinciæ Matris Dei Cataloniæ, & Conventûs Beati Bartholomæi prædicti, seu ejus Syndicus Apostolicus, & Provincialis Societatis Jesu Provinciæ Aragoniæ ad Sanctitatis Vestræ pedes humiliter provoluti, S. Vestram suppliciter exorant, ut prædictam concordiam, & transactionem, per suas litteras in forma Brevis Apostolico robore munire & confirmare dignetur. Tenor autem transactionis talis est, prout sequitur:

In Civitate Manresæ Principatûs Cataloniæ die vigesima sexta mensis Octobris à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo trigesimo quarto inita, & facta fuit inter partes infrascriptas transactio, & concordia, quæ sequitur:

In Dei nomine.

Cum sit, quod inter partes Reverendissimi P. Provincialis Societatis Jesu Provinciæ Aragoniæ, & Domûs Residentiæ Sanctæ Speluncæ Sancti Ignatii de Loyola extra muros Civitatis Manresæ ex una=& RR. PP. Provincialis, & Diffinitorii Religionis Capucinorum Provinciæ Matris Dei Cataloniæ, & Conventûs S. Bartholomæi ejusdem Ordinis extra muros ejusdem Civitatis, aut Syndici Apostolici supradicti Conventûs, ex altera partibus agitatæ & prosequutæ fuerint binæ lites, una in tribunali Nuntiaturæ Hispaniæ Matriti super unitate, & veritate S. Speluncæ Patriarchæ S. Ignatii de Loyola, Fundatoris Societatis Jesu, quæ possidetur à Patribus ejusdem Societatis Jesu, posita & sita extra mænia, & parum distans à præcitata Civitate Manresæ, in qua retinent iidem Patres Domum Residentiæ: & altera de præsenti Romæ coram Sanctissimo vigore appellationis, & antea in prædicta Nuntiatura super constructione aliquarum fenestrarum, quæ apertæ fuerunt in prædicta Domo Residentiæ, dum prætendunt supradicti RR. PP. Provincialis, & Diffinitorium, & prædicti memoratus Conventus Sancti Bartholomæi, & præcita-

tus

tus Syndicus Apoſtolicus debere claudi ſuprà prædictas feneſtras, eò quod habent proſpectum in dictum Conventum, & ejus hortum.

Pariterque ſit, quod ſuſcitatæ, & proſequutæ fuerint duæ aliæ lites inter prædictum Conventum Sancti Bartholomæi Capucinorum, vel ſupradictum Syndicum Apoſtolicum, & præcitatam Domum Reſidentiæ, una ſcilicet in Curia Regiæ Audientiæ Principatûs Cataloniæ ſuper determinatione, quæ fuit facta favore Domûs Reſidentiæ ſupradictæ Sanctæ Speluncæ cujuſdam angiportus, ſeu vici, qui tendit ex nova platea dicti Conventûs Sancti Bartholomæi, uſque ad viam, quæ dirigitur ex præcitata Spelunca ad molendinum: & altera in tribunali Regiæ Audientiæ præfati Principatûs Cataloniæ ſuper formatione fondamenti, ſeu conſtructione parietis, quem de novo fecerant P. Guardianus, & dictus Conventus Sancti Bartholomæi in via, quæ tendit à ſupradicta Sancta Spelunca, ex Domo Reſidentiæ ad viam Regiam Barcinonæ, & verendo pariter ſupradicti RR. Patres, ne poſſint inter ipſos alia excitari litigia, & cupiens Reverendiſſimus Pater Fr. Bernardinus de Barcinona, Provincialis PP. Capucinorum Provinciæ Mstris Dei Cataloniæ, & admodum RR. PP. Ioſeph Antonius de Barcinona, Diffinitor primus, & Frater Andreas de Solſona, Diffinitor ſecundus, & Frater Franciſcus de Vilaſſa Diffinitor tertius, & Fr. Marianus de Petaſita, Diffinitor quartus præcitatæ Provinciæ ſupradictorum PP. Capucinorum, & Ioſeph Figarola Albeiter habitans in prædicta Civitate Manreſæ, Syndicus, Procurator, ac Actor Sedis Apoſtolicæ pro dicto Conventu Sancti Bartholomæi nominatus, & electus à Reverendiſſimo P. Felice de Premia, Miniſtro Provinciali Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum ſuprà memoratæ Provinciæ, prout de ejus nominatione conſtat ex litteris patentibus, expeditis de ordine dicti Reverendiſſimi Patris Provincialis à R. P. Cyrillo de Barcinona, ejus Secretario, die octava menſis Septembris anni milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi octavi in Conventu Fr. Minorum Capucinorum Villæ de Blanes cum ſigillo ordinario dicti ſui officii ſignatis, & ſubſcriptis caractere & manu ejuſdem R. P. Provincialis, & cupiens etiam Reverendiſſimos P. Franciſcus Bono, Provincialis Provinciæ Aragoniæ, Societatis Jeſu, finem imponere, & terminare tandem amicabili tranſactione, & concordia omnes, & ſupradictas lites pendentes, & inpoſterùm futuras pro majori bono, & quiete ambarum partium, & non minori ædificatione, & exemplo totius Reipublicæ convenerunt, & concordârunt tranſactionem, & concordiam, prout continetur in ſequentibus Capitulis.

Primò. Convenerunt & concordârunt, quod Reſidentia Sanctæ Speluncæ, & pro ipſa Reverendiſſimus P. Franciſcus Bono, Provincialis Societatis Jeſu Provinciæ Aragoniæ deſiſtet, & renunciabit in forma debita, prout cum præſenti deſiſtit, & renunciat liti, quæ agitatur in Tribunali Barcinonæ ſuper via, aut vico, qui tendit à parva platea ſupradicti Conventûs PP. Capucinorum uſque ad conſpectum viæ præcitatæ Sanctæ Speluncæ ad molendinum, clauſæ à dicta Reſidentia ex ambabus partibus cum pariete ex lapidibus conſtructo, in quo impoſitum, & ſignatum eſt nomen Jeſu, & cedet, prout cum præſenti cedit dicto Conventui omne jus, quod habet, aut excogitat habere ſuper dicto vico & via, aperiendo ſuis expenſis parietem, quem conſtruxit, otendo in ſui favorem, ſi voluerit, cæmentis, quæ poſuit, relinquendo in omnibus & per omnia vicum, aut viam, prout antea reperiebatur, pacto tamen, & conditione adjecta, quod dictus Conventus PP. Capucinorum debeat permittere, & dare per dictam viam aut vicum liberum tranſitum aquæ ad effectum irrigandi aliquas terras Reſidentiæ, & aliorum, qui jus haberent ad ipſam.

Secundò. Quod dictus Conventus, & pro eo ſupradicti RR. PP. Provincialis, & Diffinitorium, & præcitatus Syndicus Apoſtolicus cedent, prout cum præſenti cedunt favore Reſidentiæ dictæ Sanctæ Speluncæ omne jus, quod habent, aut habere excogitant ſupra uno petio Terræ in majori parte incultæ, & paulo ante aliquibus arboribus olivæ ditatæ, ſitæ ſubtus viam, quæ tendit ex dicta Sancta Spelunca ad Civitatem, quæ terra poteſt proficere prædictæ Reſidentiæ, dum habet alias terras ibi propinquas, & ſupradicto Conventui non poteſt eſſe commoda, nec utilis, cum reperiatur omnino ſeparata, & diſtans à ſua clauſura, & mediante iſta voluntaria ceſſione evitantur diſſenſiones, quæ de facili poſſent inpoſterùm evenire, tradendo Reſidentia Syndico Apoſtolico dicti Conventûs, vel pretium, vel & eleemoſynam, ad valorem præcitati pretii terræ juxta æſtimationem, quam facient de eo periti & practici.

Tertiò. Quod conveniet, & bene concordabit ſuprà dictus Conventus PP. Capucinorum, & præcitatus Syndicus Apoſtolicus, prout pro eo conveniunt, & aſſentiuntur ſupradicti Reverendiſſimi P. Provincialis, & Diffinitorium, & dictus Syndicus Apoſtolicus in eo, quod in ſolo, quod nunc occupat paries, aut murus diviſorius, qui dividit ejus hortum à fabrica Reſidentiæ dictæ Sanctæ

ctæ Speluncæ ex parte, quæ respicit ponentem, erigat hæc suis expensis parietem fortem, qui similiter erit divisorius, & debet inservire loco inferiori, & superiori Communitati destinato ad necessariam latrinam, cedendo ad hunc effectum, si necessarium fuerit, unum aut duos palmos supradicti horti, & frangat, & scalpro rumpat silicem, qui super eminet, in quantum sit necessarium, ita, ut fabrica maneat in perfectione, sed tamen, si ex hoc proveniret aliquod præjudicium parieti dicti horti, qui respicit ad Meridiem, obligata erit dicta Residentia ad reficiendum omne damnum, & suis expensis illum denuo ædificare: & ita mediante constructione dicti fortis parietis tutum reddetur, ex una parte, quod locus communitatis designatus ad necessariam latrinam, habeat debitam proportionem, & profunditatem, ita ut nequeat inferre damnum, nec præjudicium, & ex altera parte, quod canalis, qui jam apertus reperitur ad effectum transferendi aquas fontium, & pluviales, maneat omnino stabilis, & tutus, prout prævenitur, & jubetur in sententia Nuntiaturæ.

Quartò. Quod dicta Residentia elevabit suis expensis, prout pro ipsa dictus Reverendissimus P. Provincialis Societatis Iesu Provinciæ Aragoniæ promittit elevare dictum parietem fortem ex parte, qua respiciet, & erit è conspectu fenestræ Ponentis de suo primo transitu ad talem proportionem & altitudinem, ita ut ex prædicta fenestra non possit conspici hortus, nec dictus Conventus PP. Capucinorum; claudet superiùs locum prædictum Communitati destinatum, & eum non relinquet apertum, ad effectum evitandi omne periculum, etiam remotius præjudicii, aut molestiæ; disponet suum tectum tali modo, ita ut per eum nemo possit transire, nec ex horto ad Residentiam, nec ex Residentia ad hortum, & si in prædicto loco communitati destinato erit aperienda aliqua, vel aliquæ fenestræ tam ex parte Aquilonis, quàm ex Ponente, illas relinquet adeo altas, ut tantummodo inserviant ad lucem, & aëris ventilationem, & non sint, neque præstent minimam servitutem horto, nec Conventui Patrum Capucinorum.

Quintò. Quod dictus Conventus PP. Capucinorum non permittet, quod arbor de Almezo nuncupata plantata in suo horto prope murum sit præjudicialis fabricæ Sanctæ Speluncæ, extendendo in illam partem tali forma suos ramos, ut auferat prospectum, minusque ex illis possit formari ascensus in forma scalæ ad ingrediendum in ejus clausuram, ideoque semper, & quandocumque super hoc fuerit reconventus, debeat ordinare excidi ex illa parte ramos, qui præjudicent, & maneat Sancta Spelunca absque hac servitute.

Sextò. Quod Residentia dicta Sanctæ Speluncæ claudet, prout pro ea cum præsenti supradictus Reverendissimus P. Provincialis promittit claudere, tres arcus, aut fenestras Lodiæ, quæ respiciunt partem Aquilonis; quod elevabit circa duos palmos fenestram Laquearii, quod respicit partem Ponentis tali modo, & ita, ut nemo possit ex illa prospicere, & tantummodo inserviat ad lucem, & aëris exhalationem, non verò ad aliud; quod elevabit pariter circa mensuram palmi unius & medii, aut plus, si fuerit necessarium, ad effectum evitandi omnino scrutari hortum, & Conventum, fenestram secundi transitûs, quæ respicit partem Ponentis, id est addet palmum, & medium, aut quod sit necessarium, parietis ex calce & silice supra illum, qui nunc supra eminet marginato limbo fenestræ, ut non tollatur perfectio, & decus fabricæ nec intra, nec extra, & idem exequetur in casu necessario, quoad illam dicti transitûs, quæ respicit partem Aquilonis, etiamsi videatur, quod non erit necessarium, quia jam ex latere auferet omnem servitutem, & prospectum paries loci communitati ad latrinam destinati, & è conspectu paries, quem debet elevare dictus Conventus in limine sui horti, juxta sequens Capitulum.

Septimò. Quod dictus Conventus PP. Capucinorum, ne sit subjectus Residentiæ dictæ Sanctæ Speluncæ, nec illam prospiciat, & scrutetur, elevabit suis expensis, prout pro eo cum præsenti dicti Reverendissimi P. Provincialis, & Diffinitorium, & supradictus Syndicus Apostolicus promittunt, elevare totum parietem, seu clausuram ab illo loco communitati ad latrinam destinato, qui debet construi usque ad Capellam S. Antonii octo, aut novem circiter palmorum, cum eo quod nunc est, & eo, quod postea est addendum, ita ut nemo possit ex illa prospicere, nec scrutari fenestras amborum transituum, nec territorium dictæ Sanctæ Speluncæ: & non permittet, quod in calce dicti parietis construatur podium, seu scamnum lateritium, ex quo possit nasci servitus ad lustrandum ea, quæ fuerint in suo horto, & in casu, quo construeretur, debebit elevare dictum parietem ex podio, seu scamno lateritio sursum usque ad eandem altitudinem octo, aut novem palmorum ex podio, ita ut ex dicto podio non possit prospici, nec lustrari, quod jam dictum est; prout nec permittet dicta Residentia id agi in calce fenestrarum, de quibus fuit sermo in Capitulo antecedenti, & in casu, quo construeretur, debebit illas ele-

elevare ad eandem proportionem & altitudinem, ac si non fuisset constructum.

Octavò. Quod ex parte dicti Conventûs PP. Capucinorum non ponetur, prout pro eo cum præsenti promittunt dicti Reverendissimi P. Provincialis, & Diffinitorium, & supradictus Syndicus Apostolicus non ponere, obstaculum, licèt minimum, nec leve impedimentum novæ fabricæ Residentiæ dictæ Sanctæ Speluncæ, quæ designata est, & quantò magis crescet, magis erat distans à dicto Conventu, & ex parte Residentiæ dictæ Sanctæ Speluncæ, si per accidens, & quando solùm, aut dejiciendo silices inferretur aliquod præjudicium ejus clausuræ, id totum reficiet suis expensis propriis, & in eundem pristinum statum reddet, sicut pariter, si aliqua, aut aliquæ fenestræ novi ædificii non obstante majori distantia inferrent aliquam servitutem horto, aut Conventui, claudentur, aut elevabuntur juxta illud, quod dictum est in Capitulis sexto, & septimo.

Nono. Quod Residentia dictæ Sanctæ Speluncæ cedet, sicut pro ea cum præsenti dictus Reverendissimus P. Provincialis cedit supradicto Conventui PP. Capucinorum, palmum circiter unum, vel palmum & medium soli, ita ut serviat pro antemurali, & vulgariter loquendo *per scarpam* cuidam petio parietis, aut muri ejus horti non bene tuti, qui manet è conspectu horti Collegii Societatis in ascensu dictæ Sanctæ Speluncæ versùs viam Regiam Barcinonæ, & pariter se obligabit, sicut cum præsenti se obligat, ad non ampliandum, excavandum, nec effodiendum ambitum Cisternæ, aut fontis, quem habet dicta Sancta Spelunca subtus montem, supra quo manet paries, aut murus horti PP. Capucinorum prope Capellam Sancti Antonii; ut supradictus Conventus PP. Capucinorum non permittat relinqui apertam portam in toto pariete sui horti superiori & inferiori, nec spiraculum aliquod vel foramen, ex quo possit projicere aquam coram Domo dictæ Sanctæ Speluncæ, minusque intra illam, nec in ejus terras; & permittet, quod construatur in suo horto inferiori exterius dictæ Sanctæ Speluncæ tantus conductus ad projiciendas aquas in viam aut vicum, qui refertur in Capitulo primo, & in quo reperitur conductus Civitatis.

Decimò. Quod ad auferendam penitus penitusque omnem occasionem exacerbationis, vel discordiæ inter supradictas duas Communitates, & ambas Religiones, ex ambabus partibus renuntiabitur, sicut cum præsenti renuntiant Instantiæ, & prosecutioni litis pendentis in Nuntiatura Hispaniæ Matriti inter easdem partes super unitate, realitate dictæ Sanctæ Speluncæ Sancti Ignatii: non aperiet dictus Conventus Patrum Capucinorum, nec permittet aperiri in Speluncam, quam habet in suo horto, nec ex Ecclesia, nec alia parte communicationem aliquam ultra quatuor, quas de præsenti habet dicta Spelunca in eademmet sua clausura, id est illæ tres, quæ manent è conspectu horti, & alia ex una parte dictæ clausuræ: non dabit ex illa, nec distribuet lapidem, nec terram tradet devotis, nec assentietur, nec permittet fieri in dicta Spelunca ullum actum positivum publicum, in quo populus possit concurrere.

Undecimò. Quod manendo subscripta hæc concordia à Reverendissimo P. Provinciali, & Diffinitorio PP. Capucinorum dictæ Provinciæ Matris Dei Cataloniæ, & à supradicto Syndico Apostolico, atque à Reverendissimo P. Provinciali Societatis Jesu Provinciæ Aragoniæ habeat illicò suam virtutem, & effectum, & quælibet pars debeat exequi id, quod respectivè ad eam pertinet, dum de præsenti non reperitur impedimentum, nec obstaculum, & possit esse multum præjudicabilis dilatio.

Duodecimò. Quod, ut alioquin inposterùm, aut ex mutatione gubernii in Communitatibus, aut Provinciis, vel in aliis circumstantiis maneant omnia exempta, & libera ab omni, licèt remoto contingenti, se obligent ambo Reverendissimi PP. Provinciales ad transmittendam Romam in manus Procuratorum Generalium suarum ambarum Religionum authenticam, & legalizatam hanc concordiam, ut eam subscribant etiam sui Reverendissimi PP. Generales, eamque approbet non solùm Congregatio, ad quam pertinebit, sed etiam pariter Sanctitas Sua, ita ut hoc modo habeat in futurum & semper invincibilem & incontrastabilem validitatem.

Et hoc modo & formâ nos dictæ ambæ partes laudamus & approbamus, ratificamus, & confirmamus supradictam concordiam, & omne, & totum id, quod continetur in præscriptis Capitulis, & promittimus una pars alteri ad invicem habere eam firmam, & validam omni tempore, & eam non revocare, quoque modo, jure, ratione, aut caussa, quæ possit excogitari, & ita subscribimus, & juramus coram Deo Nostro Iesu Christo, & ejus sanctis quatuor Evangeliis, corporaliter manibus nostris tactis, & supra nostris pectoribus more Sacerdotali positis, in manibus, & coram Doctore utriusque juris Iosepho Sala, auctoritate Regia, & insignia Civitatis Manresæ Notario publico infrascripto, præsentibus respectivè Testibus infrascriptis ad hunc effectum vocatis.

Testes subscriptionum dictorum Reverendissimorum PP. Provincialium, & dicto-
rum

ac recipiatur justum pretium, quod in necessitates dictorum Patrum Capucinorum erogetur. Romæ &c.

F. Card. Barberinus.

Exemplar Authent. in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Cataloniæ.

D E C R E T O

Sac. Rit. Congregationis.

Electio B. V. Mariæ de Monte Serrato in Patronam Provinciæ Principalem, & S. Eulaliæ Virg. Martyris in minus principalem concesso officio, rituque præscripto confirmatur.

Eminentissimi, & Reverendissimi Patres.

OMnes & singuli Fratres Ord. Minor. S. Francisci Capucinorum Provinciæ Matris Dei Cataloniæ humillimi Oratores Purpuram deosculantes, exponunt - Quod à felici exordio fundationis nostræ Provinciæ Cataloniæ, nempe ab anno 1578., nostri primi Parentes Fundatores, tutelæ ac Patrocinio Beatæ Mariæ de Monte Serrato se supposuerunt, incidentes nostræ Provinciæ superiori loco sigilli suam sacram Imaginem, prout hic in sigillo posito demonstratur; quia tunc Mater illa Sanctissima nostros primos Fundatores magnopere juvit, imo totam Provinciam adhuc protegit, Filiosq; suos defendit. Ideoque ùt Filii attracti tantæ Matris amore, ritum majorem appetentes, Capitulo ultimo Provinciali Villanovæ celebrato die 5. Octobris anni 1736. propositum fuit, ut in Patronam principalem nostram Eam reciperemus, servatoque Decreto Urbani VIII. edito 23. Martii 1630., ritè, secretisque suffragiis nostrorum omnium, eum omni votorum plenitudine, nostræ Provinciæ principalem Patronam & Tutelarem B.V. Mariam de Monte Serrato volumus. Similiter illi nostri primitivi Parentes eligentes Domum S. Eulaliæ Virginis, & Martyris, Civitatis Barcinonensis Patronæ principalis, pro primo Conventu Provinciæ & totius Hispaniæ, ponentesque ejus Imaginem in Tutelarem illius Conventûs, & dantes illi locum minus principalem in sigillo, prout patet, & assignantes Domum illam pro Novitiatû perpetuo, ut castissimo lacte illius Virginis, Novitii nutrirentur, & in spiritu regenerarentur, vocantes illam toto tempore vitæ suam Matrem; Idcirco nostræ Matris devotione pariter allecti, Patronam nostram minus principalem desiderantes, servato supradicto Decreto Urbani VIII., ritè, secretisque suffragiis, votorum omnium etiam plenitudine, sanctam Virginem, & Matrem Eulaliam, nostræ Provinciæ minus principalem Tutelarem volumus. Ideoque humillimè & enixè Eminentiis Vestris supplicamus, ut pias preces, votaque nostra fovere dignentur, concedendo Nobis, ut de prædicta Virgine Maria de Monte Serrato die 8. Septembris in perpetuum recitare possimus, & debeamus, tanquam de Patrona principali, & Titulari totius nostræ Cataloniæ Provinciæ officium cum octava Ecclesiæ Universalis: Et etiam de sancta Eulalia Virgine & Martyre, ut de Patrona minus principali die 12. Febr. cum oratione, & lectionibus secundi Nocturni propriis, prout jam aliàs ritè approbatis à S.R.Ecclesia, & utrique Clero concessis. Sic speramus de VV.EE. benignitate, & gratia.

Barcinonæ in Catalaunia die 23. Febr. 1737. &c.

EE. VV.

Minimi, & humillimi Filii Ordinis Min. Capucinorum Provinciæ Matris Dei Cataloniæ.

Porrectis ex parte PP. Capucinorum Conventuum Provinciæ Matris Dei Cataloniæ Sac. Rit. Congregationi humillimis precibus, quibus pro approbatione Electionum B. Mariæ de Monte Serrato in Patronam principalem, & sanctæ Eulaliæ in Patronam minus principalem Conventuum Ordinis Capucinorum supradictæ Provinciæ, nuper ab ipsis in Capitulo Provinciali, servatis servandis, ac legitimè factarum; nec non pro concessione officiorum, nempe de dicta B. Maria de Monte Serrato sub ritu duplici primæ Classis cum octava pro die 8. Septembris; & de sancta Eulalia sub ritu duplici pro die 12. Febr. cum oratione, & lectionibus secundi Nocturni, jam pro Regnis Hispaniarum approbatis, illisque relatis; S. eadem Congregatio electiones, ut suprà, factas approbavit, & prerogativas omnes Sanctis Patronis principalibus, & minus principalibus competentes, cum Officio, & Missa, juxta petita attribuit, atque concessit die 8. Martii 1738.

F. J. A. Card. Guadagni Pro-Præf.

Autograph. in Archivo Secret. S. Congreg. mensis, & anni præd.

DECRE-

DECRETO

Sac. Congregationis Episc. & Regul.

Erectio novi Monasterii Assumptionis B. V. Mariæ Monialium Capucinarum Oppidi Mataronis approbatur; Paulo Marti nomen Protectoris, electio omnium Puellarum prima vice ad Habitum suscipiendum, & postmodum duarum; illo autem vita defuncto tum nomen Protectoris, tum nominatio duarum puellarum Magistratui addicitur, & pro loco Archivi, & capsæ pecuniariæ Sacratium Ecclesiæ Parochialis destinatur.

In causa Barcinonensi erectionis, & fundationis novi Monasterii Sororum Capucinarum sub invocatione Assumptionis B. M. Virginis, & sub Regula Sanctæ Claræ in Civitate Mataronis ejusdem Diœcesis Barcinonen.

SAcra Congregatio Eminentissimorum; & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, referente Eminentissimo Domino Cardinale Caraffa, Ponente, maturè perpensis omnibus instantiis, ac rationibus allatis, censuit committendum esse, prout præsentis Decreti tenore benignè committit Episcopo Barcinonensi, ut, dummodo sibi constiterit ædificium hujusmodi Domûs Regularis cum Ecclesia, campanili, sacristia, choro, refectorio, dormitorio, hortis, officinis necessariis, spatiis, numerisque omnibus esse absolutum, & supellectile tam sacra, quàm profana sufficienter instructum, eique annuum perpetuum redditum pro alendis Monialibus verè, & cum effectu fuisse assignatum, ad petitam Monasterii erectionem sub invocatione Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & sub Regula Sanctæ Claræ servatis servandis deveniat juxta sequentem modum, nempe: Quod Paulus Marti ejus vitâ naturali durante Fundator, & Protector Monasterii nuncupari possit, & post ejus mortem Magistratus Mataronis potiatur titulo Protectoris ejusdem, eique Marti competat facultas eligendi duas Moniales, quarum monitit & exemplo faciliùs monachandæ ad Regulæ observantiam instruantur: desumendæ tamen ex Monasterio Barcinonæ, præcedente earum consensu, & approbatione Ordinarii, & in casu, quo ex dicto Monasterio desumi non possint, vel quia nolint, vel quia idoneæ non reperiantur, liceat eidem ex alio Monasterio vel Gironæ, vel Minorissæ eum dicta approbatione eligere, nec non pro prima vice nominandi, & præsentandi omnes puellas ad Habitum suscipiendum, & Professionem emittendam, & inposterùm duas capitulariter acceptandas, quibus defunctis possit alias in earum locum subrogare, quas binas nominationes vivens retineat Paulus Marti, & eo vitâ functo Magistratus Mataronis, cum obligatione præferendi Puellas consanguinitate, vel affinitate dicto Paulo Marti conjunctas, & dummodo in prædictis omnibus nominationibus approbatio Ordinarii accedat, prævio examine, & inquisitione super qualitatibus Puellarum admittendarum: & quoad locum ad retinendum Archivum, & capsam pro repositione pecuniarum redditμum, & librorum ad causæ piæ administrationem pertinentium, destinetur Sacrarium Ecclesiæ Parochialis, & Episcopo Barcinonensi pro supradictorum executione.

Romæ 23. Decembris 1740.

Autograph. in Arch. Secret. S. Congregat. præd. Regesto Monialium *manus. & anni pariter prædict.*

N O T A.

LIteræ, quibus Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo Barcinonensi Decreti executio fuit commissa, fuerunt tenoris sequentis:

Perillustris, & Reverendissime Domine uti Frater. Relatâ ab Eminentissimo Domino Cardinale Caraffa, Ponente, causâ Barcinonensi erectionis & fundationis novi Monasterii Sororum Capucinarum Mataronis unà cum causa pia ad instantiam Pauli Marti, omnibusque etiam instantiis & rationibus, Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium nedum rescripsit pro gratia, juxta modum expressum in Decreto edito & expedito, quod dictus Orator Amplitudini Tuæ exhibuerit, & ab ipso, quidquid in eo præcipitur, pro debita executione percipies, verùm etiam mihi injunxit, ut præsentes ad eandem darem ad hoc, ut Amplitudo Tua insinuet, atque hortetur dictum Paulum Marti ad augendos redditus causæ piæ usque ad summam librarum annuarum septingentarum quinquaginta, vel, quatenus renuat, consulat, ut Moniales nominandas reducat ad minorem numerum. Quapropter totum Amplitudini Tuæ significo, quatenus ejus solito zelo executioni demandare dignetur, & eidem veriores felicitates exindè precor à Domino. Romæ 23. Decembris 1740.

J. Cardinalis Firrao.

Autograph. in Archivo supradicto.

Con-

PROVINCIA VALENTIÆ.

A Sanguine quoque notionem habet; non illo, cujus vox olim de terra ad vindices clamavit nubes, nec eo testamenti, qui inquinatos sanctificavit ad emundationem carnis, sed illo, per quem Pontifex futurorum bonorum introivit in Sancta æterna Redemptione inventâ, quo vinctos suos emisit de lacu, & qui de latere ejus lanceâ aperto exivit, ac in calice benedictionis ad incruentas aras communicatur, *à Sanguine*, inquam, *Christi Jesu Domini Nostri*: cum enim Venerabilis Joannes Ribera, Antiochiæ Patriarcha, & Regni Valentiæ Pro—Rex, ac Archipræsul, celebre DD. Canonicorum Collegium ad Juventutis institutionem ab eo in sua Metropoli erectum Sacrosancto Christi Corpori jam dicâsset, Provinciam nostram Valentiæ, in qua primæ Domûs Conventualis constructionem tum valido contra obloquentium consilia patrocinio, tum largo in fabricæ expensas converso ære oppidò adjuverat, titulo Sanguinis Christi insigniri voluit, ut tenerior sua erga hæc divinæ charitatis mysteria devotio in Collegii, & Provinciæ perennaret nomine.

Nacta est hæc ortum suum anno Virginei partûs millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, obstetricante suprafati Fr. Joannis Alarconii operâ, mansitque sub communi Provinciæ Cataloniæ gubernio usque ad annum 1602. quo ab hac segregata sub Commissarii Generalia jure permansit, usque dum Provinciæ acquisivit prærogativam. In quocunque mutationis statu firma mansit in congenio virtutis Zelo, & hausta à Matre Provincia Regularis Observantiæ, & operariæ charitatis principia fido semper servavit studio, & adhuc in hodiernum servat, ita ut venerabilis sit memoria illius, & nota apud Deum & homines in Viris, quos habuit dignos Sanguinis Filios, & (præter plures Musegetes, quos consultò reticeo, & inter quos in nostro Scriptorum Bibliotheca Fr. Ludovicus Flandrensis insignem occupat locum) nobilitate, virtute, & Ordinis officiis insignes.

Exhibet tertius fastorum nostrorum tomus ad annum 1613. Fr. Eugenium ab Oliva, à RR. PP. Observantibus ad Nos translatum, hujus Provinciæ Con fundatorem, & primum Ministrum, Virum, qui doctrinâ celebris velut imbres effudit eloquia Sapientiæ suæ, innocentis vitæ spiritu eleva-

tus in coelum, vidit mirabilia, coeli donis repletus prædixit futura, eamque virtutis fragrantium per plateas Valentiæ defunctus sparsit, ut ejus cadaver armato milite contra pietatis rapinam muniri, & sepultura per triduum ad populi consolationem differri debuerit.

Fr. Thomas à Valentia, in Sæculo Dux *de Ixar*, à Petro Ferdinando Aragoniæ Rege, Ducibus de Ixar, Marchionibus de Belchite, Baronibus de Xalon, de Jaca &c. ortum ducens, Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico summè charus, & Jacobæo Equitum Ordini ab eo aggregatus, mortuâ Excellentissima Conjuge Maria de Agramont, Domûs avitæ pompam, locadominationis, &, quod rariùs est, septem Proles reliquit, & sub rudi Ordinis nostri Habitu, Ducalis vanitatis luxum occuluit, in actibus humilitatis ita mirabilis, ut in Clericali statu, & minoribus ordinibus constitutus ad recipiendum Sacerdotii gradum persuaderi non potuerit, imò nec inter Sacerdotes, aut coram eis sedere, se dignum censuerit. Meritis plenus, & dono prophetiæ clarus anno 1622. in nostro Valentino Conventu Reliquias sui Spiritûs deposuit, patrato ad sui cadaveris in feretro expositi contactum restitutæ sanitatis prodigio opinionem sanctæ vitæ confirmante.

A' Patre separari non debet, qui gloria ejus est, Filius, noster Fr. Hieronymus, quem Thomas secundùm carnem genuit, & precibus & lachrymis in D. Francisco regenuit, qui sicut paternæ virtutis æmulator fuit integer, ita Provinciam sui memoriâ dignè illustrat.

Fr. Hieronymus à Cordova, prosapiâ illustris, in bello Belgico sub Philippo altefato strenuus militiæ Dux, regiusque ærarii bellici Præfectus, mundi, honorumque fastum pariter pertæsus, Seraphicæ inter nos militiæ Sacramentum dixit, & gloriosior Christi & Francisci miles effectus omni virtutum genere enituit. Quò intensiùs Segorbicensis Præsul viventem ceu illuminatum mysticæ scientiæ Doctorem coluit, eò tristiùs inter ejus assistentiam defuncto indoluit, & tum in amoris, tum doloris argumentum, Ejus exequias Canonicis, Clero, & amplissimo populo assistentibus celebravit, Coelo virtutem Viri inclyti signis probante.

Fr. Angelicum Tudelensem ille Dei Spiritus in pulpitis rexit, ut verba illius, quæ ceu faculæ ardebant, non hominis, sed Dei, populus miraretur, eumque Apostolum Hispaniæ nuncuparet. Sortem æternitatis felicis in celebri RR. PP. Ordinis S. Benedicti *de Oliva* defuncto obtigisse non leviter monstravit corpus post multos annos integrum & palpabile, oculisque ceu stellis ac faculis fulgorem vibrantibus repertum.

Fr. Josephus ab Osseria, & stirpe & scientia fuit clarus, famâ tamen sanctitatis clarior, etiam post mortem in odorem suavitatis diffusâ, & in *Hagiographis prolegomenis, seu præmialibus in universam Sacram Scripturam typo datis* adhuc spirante.

Fr. Melchiorem ab Oriola, Joannis Garziæ, Episcopi Oriolensis Fratrem Germanum vitæ Apostolicæ ratio ita commendavit, ut alii eum ceu alterum Joannem Baptistam ex poenitentiæ baptismo, & alii alterum Paulum Apostolum ex conversione populi collaudarent, omnesque opinionem sanctitatis de eo tenerent.

Fr. Michaël à Valentia ex nobilissimo *de los Escribanos* satu ortus, Religionem SS. Trinitatis prius ingressus, & in ea Doctoratûs Laurea insignitus gloriam suam in humilitate inter nos quæsivit, arctissimaque paupertate munivit; hinc perfectus Sancti Patris Francisci Sectator audiit, & vitæ meritis decorem generis ampliavit.

Con-

Concludat mutilum Virorum illustrium selectum Servus Dei Fr. Joannes Franciscus à Velasco in hac Provincia Habitu indutus, solo suo nomine, cum fusior de illius merito relatio Provinciæ Castellæ proemio reservetur: Concludant Viri, quos probata virtus, & prudentia per meritorum gradus ex hac Provincia ad Generalis Definitorii consessum evexit, videlicet Fr. Bonaventura à S. Matthæo annis 1656. & 1662. Fr. Josephus à Zurita 1691. & 1698. & novissimè Fr. Cyrillus à Cubla, hujus Provinciæ Filius, qui ad regendam Bæticam Provinciam merito Sanctæ Obedientiæ compulsus, & anno 1733. Definitor Generalis electus, Romæ piissimè ultimum diem clausit.

Provincia hæc Deifici Sanguinis nomine ornata, sanguine quoque charitatis gloriatur; quemadmodum enim Missionarios semper in Americana Provincia *de Moracaybo* tenet, ita plures, qui stolas sui Zeli in Sanguine suo lavârunt, barbaro furore in odium Fidei trucidati, in annalibus suis numerat.

Dividitur

Ad Fratrum Conventus	XIX.
Ad Missiones in America	VII.
Ad Monasteria Monialium	VI.

Controversiam RR. PP. Recollectos inter — & Fratres nostros circa fabricam Domûs nostræ Oriolæ versantem, terminari committit.

Venerabilibus Fratribus Carthaginensi, & Conchensi, ac Seguntino Episcopis, sive dilectis Filiis eorum Officialibus, & eorum cuilibet.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabiles Fratres, seu dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte dilectorum Filiorum Guardiani & Fratrum Domûs Regularis Sanctæ Annæ, seu Sancti Antonii Recollectorum nuncupatorum Ordinis Sancti Francisci, Oriolsnensis Dioecesis, fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus causam & causas appellationis, & appellationum pro ipsorum supplicantium parte infra legitima, ut ipsi asserunt, tempora à quadam definitiva sententia per dilectum Filium nostrum, & Sedis Apostolicæ Nuntium in Regnis Hispaniarum commorantem ad favorem dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum Minorum Capucinorum ejusdem Sancti Francisci, etiam Oriolensis, supra constructione, seu fabrica cujusdam novi Monasterii, seu Conventûs, rebusque aliis in actis causæ, & causarum hujusmodi latiùs deductis, in secunda instantia latâ, interpositæ, & interpositarum, ac nullitatis, & nullitatum ex tribus iniquitatis, & notoriæ injustitiæ, nec non attentatorum, & innovatorum, aliorumque gravaminum quorumcunque, ac restitutionis in integrum, prout de jure, nec non quam, & quas dicti Supplicantes super præmissis contra prædictos adversarios, omnesque alios sua interesse putantes, habent, & movent, habereque, & movere volunt, & intendunt, alicui ex Ordinariis illarum partium viciorioribus audiendas, & decidendas committere, & demandare, aliâsque eis in præmissis de opportuno Juris remedio subveniri paterna sollicitudine curaremus.

Nos igitur unicuique justitiam, ut decet, ministrare cupientes, ac statum, & merita causæ, & causarum hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ipsosque Supplicantes, & eorum singulos à quibusvis excommunicationis &c. absolutos fore censentes, ac certam de præmissis scientiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Vestræ, Fratres Episcopi, eum, sicut iidem Suppli-

cantes etiam afferunt, vos ex Ordinariis illarum partium vicinioribus existatis, seu Discretioni Vestræ, Filii Officiales, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrûm, vocatis ad id, qui fuerint evocandi, causam, & causas prædictas cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali summariè, prout in beneficialibus, auctoritate nostra audiatis, cognoscatis, fineque debito terminetis, & decidatis. Nos enim vobis, & cuilibet vestrûm, omnes, quos opus fuerit, citandi, eisque inhibendi, etiam sub censuris Ecclesiasticis, & pecuniariis arbitrariis pœnis, nec non attentata, & innovata quæcunque, prout de jure, revocandi, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria quomodolibet, & opportuna faciendi, & exercendi plenam, & liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, ac Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Januarii MDCXXIV. Pontificatûs nostri anno primo.

N O T A.

AD instantias RR. PP. Recollectorum Apostolicum hoc Breve fuerat expeditum, quod cum in Fratrum nostrorum præjudicium vergeret, illius moderamen fuit petitum, & causa ad Sacram Congregationem evocata per litteras sequentes, Illustrissimo Domino Episcopo Gravinæ, & Nuntio Apostolico Matriti inscriptas:

Illustris, ac Reverendissime Domine uti Frater.

Vertente lite in isto Tribunali Sacræ Nuntiaturæ inter Provincialem, & Definitores FF. Capucinorum Provinciæ Valentiæ, & inter Fratres Min. Observantes, Recollectos nuncupatos, qui translationem unius Conventûs Capucinorum in Civitate de Origuela, *de nocivi aëris situ, ad alium locum meliorem impugnârunt, dicti Capucini obtinuerant sententiam favorabilem. Cum autem Recollecti prædicti ab hujusmodi sententia appellaverint, & evicerint, ut causa appellationis per Breve, Reverendissimo Domino Episcopo* Conchensi *committeretur, qui & Capucinis progressum ad ulteriora inhibuit, Sanctitas Sua mandavit, ut hujusmodi causa in hac Sacra Congregatione cognoscatur, & terminetur, mihique Dominationi Vestræ scribere injunxit, ut nomine Suæ Sanctitatis Episcopo præfato inculcet, quatenus inhibitionem suam moderetur, ab ulteriore progressu abstineat, & utramque partem ad Sacram Congregationem ita remittat, quasi prædictum Breve ipsi nunquam fuisset præsentatum. Itaque &c.*

Romæ 23. Augusti 1624.

Cardinalis Bandinus.

Rationes, & jura prætensa intra præfixum quatuor mensium terminum, RR. Patribus Adversariis non producentibus, Sacra Congregatio novum, & peremptorium duorum mensium ad hunc finem fixit, sequenti Epistola, P. Guardiano S. Annæ Recollectorum inscripta:

Reverende in Christo Pater.

Ab anno jam, & ultra Sacra hæc Congregatio, ex speciali Sanctissimi D. N. mandato, causam sibi advocavit, quæ inter Provincialem, & Definitores FF. Capucinorum istius Provinciæ ex una, & Te, vel Monasterium istud tuum, partibus ex altera, jam pridem dicebatur indecisa pendere super istius eorumdem Fratrum Capucinorum Monasterii translatione ab eo, in quo nunc reperitur, situ, ad alium salubrioris, ut præfertur, aëris. Eodemque tempore Nuntio Apostolico mandatum fuit, ut tibi, ac Monasterio isti tuo, præviâ Causæ hujusmodi advocationis intimatione, quatuor mensium terminum, ad jura vestra quæcunque, causam istam tangentia, in eadem Sacra Congregatione proponenda præfigeres; Quod certè ab eodem Nuntio factum fuisse non dubitatur. Verùm, cum ex parte tua, vel Monasterii tui, nil prorsus deductum, allegatumve hactenus fuerit, iidem verò Fratres Capucini pro expeditione causæ jam diu institerint, ac indesinenter instent, Sacra Congregatio, antequam ad id deveniat, novum tibi, & Monasterio isti tuo, sed omnino peremptorium duorum mensium a die præsentationis earumdem hujusmodi computandorum, terminum statuendum, & assignandum fore duxit, prout Nos harum serie, ipsiusque Congregationis nomine, statuimus, Vobis & assignamus, ad vestra incumbentia in eadem Sacra Congregatione facienda, dicendumque, & allegandum, vel dici, & allegari faciendum, quidquid vobis occurrerit, vel conferre vi-

videbitur ad causam istiusmodi: ad cujus terminationem, prædicto termino elapso, absque alia dilatione, vel temporis mora procedetur, prout juris esse censebitur. Vale.
Datum Romæ 2. Octobris 1626.

Fr. Antonius Cardinalis S. Honufrii.

Exempl. utriusque Epistolæ in Archivo Generali Ordinis Armario *Provinciæ Valentiæ*.

Pro quiete Monialium Civitatis Valentiæ nec regulam (quinque punctis exceptis) nec Constitutiones, eas sub peccato obligare, illasque, sub jurisdictione Episcopi existentes, privilegiis Ordinis frui posse declarat.

ALEXANDEX PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ Abbatissa, & Moniales Monasterii Capucinarum nuncupati, Civitatis Valentinæ in Hispania Tarraconensi primæ Regulæ Sanctæ Claræ, & secundæ Sancti Francisci, quod, licèt ipsæ ex antiqua traditione habeant, Constitutiones, & statuta, quæ observant, per Sedem Apostolicam confirmata fuisse, nihilominus in illis, quæ primam Regulam Sanctæ Claræ concernunt, magno conscientiæ scrupulo vexantur propter varias diversasque declarationes, quæ super illa à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris emanârunt, ac propter diversas opiniones, quæ ex causa tenentur; unde ut majori securitate, & spiritûs libertate in earum statu religioso per viam perfectionis, ac cum securiori observantia dictæ primæ Regulæ Sanctæ Claræ, quàm perfectè observare cupiunt, ambulent, eamdem Regulam servare, & semper sequi decreverunt juxta declarationem Regulæ hujusmodi à fel. record. Eugenio Papæ IV. Prædecessore nostro factam per quasdam suas die 5. Februarii 1447. expeditas literas, quarum initium est, *Ordinis tui &c.* per quas idem Eugenius Prædecessor determinavit, eamdem regulam sub peccato mortali obligare solùm quoad quinque puncta, nempe tria vota, obedientiæ, paupertatis, & castitatis, perpetuam clausuram, ac electionem, & depositionem Abbatissæ. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictæ Exponentes decretum, sive declarationem hujusmodi specialiter pro prædicto earum Monasterio, in quo ratio vitæ juxta dictam primam regulam, ipsiusque Monasterii Constitutiones semper viguit, à Nobis confirmari plurimùm desiderent; ita scilicet, ut clausulæ, quæ repetitæ ponuntur in eadem prima regula, quod Moniales obligentur ad observationem totius Sancti Evangelii sub vi, & rigore præcepti, ac cum pœna culpæ gravis, & peccati mortalis, ipsas Exponentes non obligent ad servanda sub hac pœna culpæ gravis, & peccati mortalis ea, quæ non tamquam præcepta in eodem Sancto Evangelio scripta sunt, nec eædem Exponentes vigore earum Regulæ, & Constitutionum illa strictiori, quàm per Sanctum Evangelium impositâ, obligatione servare teneantur, sed præcepta quidem Evangelica sint eis præcepta, quemadmodum cæteris omnibus Christifidelibus, consilia verò Evangelica sint pariter ipsis Exponentibus consilia tantùm, exceptis tamen quinque punctis suprà expressis; atque ita, licet dictæ Exponentes vigore earum Regulæ observantiam Sancti Evangelii profiteantur, non tamen majorem culpam, quàm cæteri Christifideles incurrant, nisi quoad quinque puncta supradicta, vota scilicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis, clausuram perpetuam, ac electionem, & depositionem Abbatissæ, seu Superiorissæ, idemque intelligatur de earum Constitutionibus, quæ juxta eam vitæ rationem ordinatæ fuerunt.

Cumque dictæ Exponentes, tametsi sub jurisdictione, & gubernio Ordinarii dictæ Civitatis vivant, cupiant nihilominus Indulgentiis, indultis, & privilegiis, quæ Monasteriis Monialium Sanctæ Claræ, & Ordini S. Francisci concessa fuerunt, frui, & gaudere posse: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsas Exponentes specialibus &c. volentes, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui relationem Venerabilis Fratris Archiepiscopi Valentini audiverunt, remque diligenter considerârunt, consilio,

atten-

attentis narratis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, easdem Exponentes, seu ipsarum Monasterium pro arbitrio, & prudentia ejusdem Archiepiscopi relinqui posse sub Regula Sanctæ Claræ juxta declarationem memorati Eugenii IV. Prædecessoris. Non obstantibus in contrarium adductis rec. mem. Pauli Papæ V. Prædecessoris pariter nostri in simili forma Brevis expeditis litteris, ipsisque Esponentibus, & earum Monasterio, ut indulgentiis prædictis, frui, & gaudere, liberè & licitè possint, & valeant, concedimus, & indulgemus; salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes pariter easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eisdem Exponentibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum &c. attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Monasterii, & Ordinis hujusmodi, etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima Novembris MDCLXV. Pontificatûs nostri Anno Nono.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Regesto mensis, & anni prædictor. fol. 81.

In Ecclesia Monialium loci de Cocentayna supellectilem ex argento, & Corallis confectam retineri, ad instantiam Comitis S. Stephani Proregis &c. indulget.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti Filii, Nobilis Viri, moderni Comitis Sancti Stephani, Regni Neapolis Proregis, Nobis expositum fuit, quod, cum aliàs ejus Majores Monasterium, & Ecclesiam Monialium Capucinarum nuncupatarum loci de Cocentayna Regni, & Diœcesis Valentinæ sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis *del Milagro* nuncupatæ fundavissent, ipse pro eo, quem erga Monasterium, & Ecclesiam hujusmodi gerit, devotionis affectu, eidem Monasterio pro majori illius Ecclesiæ ornatu, & cultu, nonnulla suppellectilia argentea, & corallina eidem Ecclesiæ donavit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatis Monialibus per regularia ipsarum instituta Apostolica auctoritate confirmata ejusmodi pretiosorum suppellectilium retentio, & usus expresè interdicatur, Nobis propterea idem modernus Comes, & Prorex humiliter supplicari fecit, ut eisdem Monialibus in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ipsius moderni Comitis, & Proregis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, annuere, nec non dictas Moniales specialibus &c. volentes, illasque, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Monialibus præfatis, ut suppellectilia hujusmodi ex argento, & coralio confecta, memorato Monasterio à prædicto moderno Comite, & Prorege hactenus dumtaxat, ut præfertur, donata, retinere, ac iisdem pro ornatu, & cultu earum Ecclesiæ uti liberè, & licitè, ac absque ullo conscientiæ scrupulo possint, & valeant, licentiam auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impertimur. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Monasterii, & illius Ordinis, etiam &c. consuetudinibus; privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter ex-

expressis &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima Decembris MDCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicor. Regesto mens. & ann. prædict. fol. 36.

EPISTOLA

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Constructio Domûs Conventualis in Villa de Monavar Ordinario loci committitur.

In causa Oriolensi fundationis Conventûs in Villa de Monovar vertente inter PP. Capucinos Provinciæ Sanctissimi Sanguinis Christi Regni Valentiæ, & litis consortes ex una, & PP. Observantes nc Minores Discalceatos Ordinis S. Francisci ex altera partibus, propositum fuit infrascriptum dubium, nempe — An sit locus fundationi Conventûs Capucinorum in dicta Villa de Monovar &c.?

SAcra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negot. Episc. & Regul præposita, Referente Eminentissimo Domino Cardinali Petra Ponente, Partibus hinc inde auditis, ac re maturè discussa, affirmativè respondendo, censuit committendum, prout præsentis Decreti vigore benignè committit Episcopo Oriolensi, ut veris existentibus narratis, postquam sibi constiterit, fabricam præfati Conventûs cum Ecclesia, Campanili, Choro, Refectorio, Dormitorio, Hortis, & spatiis numeris omnibus esse absolutam, & supellectili tam sacrâ, quàm profana sufficienter instructam, ac ex eleemosynis piorum Benefactorum inibi commodè sustentari posse duodecim hujusmodi Religiosos, qui numerus augeri in futurum non possit, ad petitam fundationem, ac Religiosorum introductionem, pro suo arbitrio & conscientia, servatis servandis, deveniat; ita tamen, ut ea omnia, quæ circa hujusmodi novarum Religiosarum Domorum erectiones, per sacros Canones, Sac. Concilium Tridentinum, & Constitutiones Apostolicas, & Ordinis prædicti præscripta sunt, religiosè serventur &c.

Romæ 1. Octob. 1734.

Autograph. in Archivo Secret. Congreg. mensis, & anni prædictor.

Hospitium Fratrum in Villa Biar in Conventum erigi, Archiepiscopo Valentino committit.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Universitas, & homines Villæ de Biar in Regno Valentiæ, quod jam tunc ab anno 1678. Conventus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum in dicta Villa de consensu illius Populi, Cleri, & Parochi localis à tunc existente Archiepiscopo Valentino, & Patriarcha Antiocheno, necessaria & opportuna ad hoc facultate suffulto, erectus fuit, sed sæviente postmodum peste in Oppido Alonii Oriolensis Diœcesis dicti Fratres ejusdem Conventûs coacti fuerunt sese in Oppidum præfatum transferre, ut ægrotis assisterent, eaque occasione hujusmodi Conventum, ubi numero pauci erant Religiosi, deseruerunt. Porro anno 1716. ipsi exponentes piis operariis in Villa prædicta opus esse considerantes, Ordinario loci, ac Clero præfato assentientibus, dictos Fratres revocârunt, ut vel ad antiquum suum Conventum reverterentur, vel saltem ibidem Hospitium fundarent: quod, ubi Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum nuncupatorum sub Reformatione S. Petri de Alcantara Oppidi de Villena Carthaginensis Diœcesis innotuit, ii sese opposuerunt fundationi Hospitii hujusmodi, quæ tamen die 14. Julii 1717. decreta fuit. Verùm subinde per exponentes prædictos animadverso, eisdem Fratribus Minoribus Capucinis, qui Hospitium præfatum à dicta Villa aliquantulum dissitum fundaverant, ob distantiam hujusmodi valde incommodum fore illius incolis in spiritualibus eorum necessitatibus, statuerunt situm ejusdem Hospitii mutare, prout re ipsa præstiterunt, erigendo ex eleemosynis incolarum supradictæ Villæ novam Domum Hospitii propius eandem Villam cum Ecclesia, in qua prima Missa à prædicto Parocho, interes-

ressentibus Clero, ac Exponentibus prædictis celebrata fuit, & insuper administratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod successivè anno 1723. de licentia Ordinarii in dicta Ecclesia repositum, & subinde usque in præsens continuò asservatum est, prout quoque Pœnitentiæ Sacramentum ministratum, cæteræque omnes functiones, quæ in aliis Ecclesiis fieri consueverunt, peractæ fuerunt, atque pro tempore existens Archiepiscopus Valentinus dum Parochialem Ecclesiam ejusdem Villæ anno 1726. visitavit, ad Ecclesiam quoque dicti Hospitii accessit, & ad augendam fidelium devotionem, concessit indulgentiam quadraginta dierum omnibus, qui Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ad quodlibet altare ipsius Hospitii recitâssent.

Cumque interim evenisset obitus quondam Ludovici Ferris incolæ dictæ Terræ, qui licentiam obtinuerat à Ministro Generali eorundem Fratrum Minorum Capucinorum sese sepeliri faciendi in dicta Ecclesia prædicti Hospitii, quod juxta Constitutiones Ordinis hujusmodi, ut asseritur, fatis erat, ejusque Cadaver ibidem in forma depositi tumulatum fuisset, sicuti per ultimam suam dispositionem fieri mandaverat, Parochus, & Clerus prædicti, qui antea pro persistentia ipsorum Fratrum Minorum Capucinorum steterant, conjunctis studiis petierunt demolitionem præfati Hospitii, & restitutionem Ecclesiæ Parochiali dicti Cadaveris, proditque die prima februarii 1728., sententia, quâ decernebatur, ut Hospitium præfatum subsistere deberet, sed illius Fratres ab opere cessarent, Ecclesiam clauderent, Campanile auferrent, ac sè eodem modo continerent, quo idem Hospitium eis concessum fuerat, duos tamen religiosos addere possent, hacque sententia sic emanatâ, dictus Parochus & Clerus unà cum Fratribus memoratis Oppidi de Villena instantiam suam intentârunt coram eodem Ordinario, qui anno 1731. denuo decrevit, ut præfatum Hospitium permaneret, dicti verò Fratres Minores Capucini januam Ecclesiæ occluderent, ibidem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non asservarent, neque mortuos sepelirent, ac cadaver dicti Ludovici Ecclesiæ Parochiali restituerent: à postrema sententia ambæ Partes collitigantes, ad hanc Sanctam Sedem provocârunt, introductâque causâ appellationis coram Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, hæc relationem suam super præmissis, ut moris est, exquisivit, quæ necdum pervenit, vel eâ partibus prædictis communicata non fuit.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipsi Exponentes, ad tollendam de medio enarratam litem &c. utque Fratres Minores Capucini præfati tandem à dicta Villa, in grave detrimentum animarum ejus incolatum non recedant, sed eorum permanentia cum incremento Divini cultûs, & spiritualis profectûs incolarum prædictorum firmiùs constabiliatur, ad duodecim Fratres Minores Capucinos, ex propriis eleemosynis alendos, & sustentandos sese obligare statuerint, sicque pro reintegratione supradicti antiqui Conventûs in eadem Villa olim existentis Hospitium præfatum in novum Conventum pro duodecim Fratribus dicti Ordinis Minorum Capucinorum, non obstante ejusmodi litis pendentia, erigi, & institui, summopere desiderant; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, ac constito Tibi, quod ex fidelium eleemosynis numerus prædictus duodecim Religiosorum commodè in dicta Villa ali possit, nec non, postquam fabrica novi Conventûs cum Ecclesia, Campanili, Choro, Sacristia, Dormitorio, Refectorio, aliisque Officinis, Hortis, & spatiis fuerit numeris omnibus absoluta, & supellectilibus sacris, & prophanis sufficienter instructa, ad petitam erectionem Hospitii prædicti in novum Conventum pro duodecim Fratribus ejusdem Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio, & conscientia procedas, servatâ tamen in reliquis Constitutionum Apostolicarum circa istiusmodi novorum Domorum erectionem editarum formâ & dispositione, non obstante dicta litis pendentia, aliisque præmissis, nec non præfatorum Ordinum, ac Villæ, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis &c. cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xi. Decembris anno MDCCXXXIV. Pontificatûs nostri Anno quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apost. Regesto mensis, & anni prædictorum fol. 336.

In

In Provincia Custodias erigi, & alternativam circa præcipua Provinciæ Ministeria stabiliri &c. Fratri Felici Mariæ à Parma, Sanctæ Inquisitionis Qualificatori, Examinatori Synodali, ac Capellano Regio, & Visitatori committit.

Dilecto Filio, Felici à Parma, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis Zelus, vitæ, ac morum honestas, alisque laudabilia probitatis, & virtutum merita, super quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut dilectus Filius, Bonaventura à Ferraris, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, Te, qui, ut idem Bonaventura Minister Generalis asserit, Frater expresse professus ejusdem Ordinis, & Officii Inquisitoria contra hæreticam pravitatem in Regnis Hispaniarum auctoritate Apostolica instituti Qualificator, & Examinator Synodalis Toletanæ Diœcesis, nec non Capellanus Regius existis, Visitatorem Generalem ad Provinciam Valentiæ ejusdem Ordinis destinaverit; Ipso verò Bonaventura Minister Generalis amplas facultates, quas suis Visitatoribus Ministri Generales Ordinis hujusmodi impertiri solent, in præfata Provincia Custodias, quemadmodum in aliis Provinciis, non sine magno religiosæ concordiæ, & justitiæ distributivæ profectu, & nuperrimè in Provincia Salertina memorati Ordinis factum fuisse agnitum fuit, per Te erigi, ac alternativam, quoad superioritates, & præcipua ejusdem Provinciæ Ministeria promoveri, & constitui, nec non in Visitatione per Te peragenda Provincialem, & duos Diffinitores eligi, & deputari posse summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsius Bonaventuræ Ministri Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & vestrûm singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, ut in Visitatione prædicta, prout secundùm Deum, propriæque conscientiæ lumen, & observantiæ Regulari, ac ejusdem Provinciæ quieti, & paci necessarium, & opportunum esse censueris, per Te ipsum Custodias in ejusmodi Provincia erigere, & instituere, & independenter à Capitularibus, & Vocalibus unum Ministrum Provincialem, ac duos ex quatuor Diffinitoribus, (permittendo tamen Vocalibus, ut eorum interpositis suffragiis capitulari scrutinio ad electionem reliquorum duorum Diffinitorum procedere valeant) eligere, & publicare, nec non ea omnia, quæ utilitati, ac reformationi supradictæ Provinciæ conducibilia noveris, præstare liberè, & licitè possis, plenam, & amplam facultatem auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & impertimur. Decernentes easdem præsentes litteras, omniaque, & singula in illarum executionem à Te, ut præfertur, faciends, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDCCXXXV. Pontificatûs nostri anno quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædictor. fol. 10.

Commissione præpositarum litterarum Apostolicarum finem suum non attingente, Fr. Paulum à Colindres Apostolicum Provinciæ Visitatorem, & Reformatorem motu proprio constituit.

Dilecto Filio, Paulo de Colindres, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Professori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PAstoralis officii nostri divinitus commissi sollicitudo Nos admonet, ut paternam Religiosorum Virorum, qui se se sub suavi arctioris vitæ jugo devoverunt, curam gerentes, iis interdum providere studeamus, sicut temporum, locorum, & personarum qualitatibus maturè consideratis, ad Omnipotentis Dei gloriam, felicemque Religionis progressum, regularisque disciplinæ observantiam expedire in Domino arbitramur:

Cum, sicut accepimus, in Provincia Valentiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum quamplurimæ perturbationes, inordinationesque, ob quasdam ordinationes anno 1735. à tunc existente Provinciæ prædicta Visitatore præscriptas vigeant, Nos ex injuncto Nobis divinitus Pastoralis Officii hujusmodi debito, præmissa, quàm celerrimè removere, & eamdem Provinciam, illiusque membra in pristinæ charitatis compagem restitui, & Ecclesiasticam Regularemque disciplinam, ubi, benedicente Domino, viget, firmiùs constantiùsque perseverare, ubi vero excidit, opportunis rationibus reintegrari cupientes, ac Te, qui ejusdem Ordinis Frater expressè professus existis, à quibusvis excommunicationis &c. absolutum fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Te, de cujus fide, prudentia, dexteritate, charitate, integritate, vigilantia, & Religionis zelo plurimùm in Domino confidimus, Visitatorem Apostolicum, ac Reformatorem memoratæ Provinciæ Valentiæ dicti Ordinis Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, tenore præsentium constituimus, & deputamus, Tibique motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus committimus, & mandamus, ut eamdem Provinciam, illiusque Superiores, Fratres, & Personas cujusvis statûs, gradûs, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis existant, ac Conventus, Ecclesias, Domos, & alia loca Regularia quæcumque tam in capite, quàm in membris visites, ac in illorum statum, vitam, mores, ritus, & disciplinam diligenter inquiras, nec non Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, sacrorumque Canonum, & Sanctorum Patrum traditionibus, regularibusve Ordinis prædicti institutis, Constitutionibus, & Ordinationibus generalibus auctoritate Apostolica approbatis, & dictæ Provinciæ municipalibus inhærendo, quæcumque reformatione, mutatione, correctione, emendatione, revocatione, ac renovatione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, revoces, renoves, ac etiam de novo condas, ac condita Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Institutis præfatis non repugnantia exequi facere cures, illaque confirmes, abusus quoscumque tollas, Regulas, Institutiones, & Ecclesiasticam, Regularemque disciplinam, si fortasse exciderint, modis congruis restituas, & reintegres, dicti Concilii Tridentini Decreta custodiri præcipias, & mandes, ac personas prædictas, ad debitum & honestum vitæ modum revoces, aliaque facias, atque decernas, quæ pro majori divini cultûs augmento, & disciplinæ Regularis propagatione magis in Domino expedire arbitraveris. Præterea, ut quæcumque Ordinationes in Visitatione ejusmodi Provinciæ, per Te unicâ vice tantùm habenda & explenda, pro majore illius utilitate, pace, & tranquillitate, juxta datam Tibi à Domino prudentiam præscribendæ suum sortiantur effectum, si contingat, quod absit, in Ministrum Provincialem, & Definitores Provinciales dictæ Provinciæ eligi eos, qui suis potiùs studiis, & cupiditatibus obsecundant, quàm ad Regularem Observantiam, in dies collabentem confirmandam, tuaque mandata, & jussiones exequendas advigilant, eo casu Ministrum Provincialem, & duos tantùm Definitores Provinciales illos, qui magis idoneos, & ordinationum tuarum magis observantes, eximiisque virtutibus præditos, & ad pacem, tranquillitatemque hujusmodi memoratæ Provinciæ reddendam habiles esse judicaveris, deputes, & constituas: Nos enim Tibi quamcumque necessariam, & opportunam ad præmissa explenda facultatem motu, & potestate similibus tribuimus, & impartimur. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac

sub

ſub indignationis noſtræ omnibus, & ſingulis Superioribus, Fratribus, & perſonis præfatis, ut Te tanquam Viſitatorem Apoſtolicum, & Reformatorem à Nobis, ut præfertur, deputatum reverenter ſuſcipientes, & recognoſcentes, Tibi in omnibus, & ſingulis præmiſſis promptè pareant, & obſequantur, tuaque ſalubria monita & mandata humiliter recipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus Auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

Volumus autem, ut, ſi quæ graviora in hujuſmodi Viſitatione repereris, illa ad Nos, ſeu Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam, ſub tuo ſigillo clauſa quamprimum diligenter tranſmittas, ut, quod deſuper ſtatuendum fuerit, matura deliberatione adhibitâ decernatur. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non dictorum Ordinis & Provinciæ, etiam juramento &c. ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatia plenitudine paribus, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis &c. expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die x. Martii MDCXLV. Pontificatûs noſtri anno quinto.

Breve formatum in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Valentiæ.



PROVINCIA ARAGONIÆ

EST felix & secunda Provinciæ à Matre Dei nuncupatæ, seu Cataloniæ Filia, quæ ab ea segregata, in floridam & ipsa anno millesimo sexcentesimo septimo adolevit Provinciam, tantùm semper pro colendo Domûs suæ decore sollicita, quantùm pro multiplicando animarum lucro laboriosa. Usque ad barbaras Nationes Zelum suum extendit, & in partibus Americæ, Regnoque Cumanæ animas quærit, veræque Fidei lumen dispergit. Aperuit Missionariam hanc viam Frater Franciscus Pampelonensis, de quo sequens Provinciæ Navarræ proœmium fusiùs aget: penetravitque per eam Spiritu Dei armatus Servus Dei Frater Josephus à Carabantes ex clara de Delazquez progenie plura, & cum Sociis sudore Apostolico arentem, sterilescentemque Americæ campum ad eam irrigavit messem, ut ultra decem millia infidelium sacrilegas dæmonum aras, & fana conculcâsse, & veri Dei cultui se consecrâsse vario idiomate conscripta ejus commemoret vita. Cum & redux ad partes Hispaniæ, laborem & fructum per Missiones in Gallicia, Andalusia &c. peractas continuaverit, Americæ & Hispaniæ Apostolus dignè fuit proclamatus. Probavit & cœlum vastos zeli successus, dum à Domo Villæ *Monforte de Lemus*, in qua exuvias mortalitatis Josephus deposuit, ad Monasterium Sanctæ Claræ, in cujus Ecclesia tumulari eum contigit, iridem mira colorum luce ludentem extendit, & usque dum cadaver fuerat inhumatum, lucentem conservavit, variisque gratiis, quæ in processibus pro Sacro illius cultu confectis amplè recensentur, accurrentem ad tumbas, aut aliàs auxilium Joseph implorantem populum cumulavit, & adhuc cumulare non cessat.

Si & Filios in generatione sua nobiles in hac Provincia inquiramus, occurrunt Fr. Joachim à Cæsaraugusta, in sæculo Comes *de Sobradiel*, ex illustrissima, & in Aragoniæ Regno notissima *de Cabero* Familia: Fr. Orentius, pariter à Cæsaraugusta, & clarissima *de Zamora* Familia, & (ut pluribus recensendis supersedeam) Fr. Franciscus à Turiasona, in sæculo Franciscus Angulo ex Comitum *de Torrubia* prosapia, qui, postquam ejus Conjux in Monasterio S. Joachim Monialium S. Theresiæ in Civitate Turiasonæ, communi

eorum

eorum ære conſtructo, ſacrum velum ſuſcepiſſet, noſtrum induit Habitum, & geſta ſuæ Profeſſioni perfecta virtute conformavit.

Viros, qui in doctrina, & librorum editione excelluerunt, aptâ laudis epitome nova Scriptorum Ordinis Bibliotheca commemorat. Eâ virtutem autem hanc Fr. Ludovicus à Cæſaraugusta, Carpenſis aliàs vocitatus, perfecit, ut aſſeſſum Definitorii Generalis anno 1637. meruerit. Quo in munere Succeſſorem habuit Fr. Timotheum à Rodenas, nobilis Familiæ ramum, & magnæ virtutis Virum, anno 1702. electum

Provincia hæc per Regnum Aragoniæ protenſâ numerat

Conventus Fratrum	XVIII.
Miſſiones extra Provinciam in America, & Regno Cumanæ.	varias.
Monaſteria Monialium.	IV.

Concordiam RR. PP. Carmelitas Diſcalceatos inter — et Fratres noſtros circa Domûs Conventualis conſtructionem in Oppido de Tamarite factam, firmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNiverſalis Eccleſiæ regimini, nullis licèt noſtris ſuffragantibus meritis, à Domino præpoſiti, in id potiſſimum vigilantiæ noſtræ ſtudium intendimus, ut inter Chriſtifideles quoslibet, præſertim verò Divinis obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipatos concordia vigeat, & pax Chriſti exultet in cordibus eorum. Quapropter, ſi quæ propterea litium, & diſcordiarum ſemotis anfractibus facta fuiſſe comperimus, ea, ne in recidivæ contentionis vitia prolabantur, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Expoſitum ſiquidem Nobis nuper fuit pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo Diſcalceatorum nuncupatorum, Congregationis Hiſpaniarum, ac Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Aragoniæ, quod poſt longam litem in partibus diverſis inſtantiis, inter dilectos etiam Filios Priorem, & Conventum primodicti Ordinis Oppidi de Tamarite de littera Illerdenſi Diœceſis ex una, & Fratres Capucinos prædictos ex altera partibus, de, & ſuper fundatione novæ Domûs Regularis per dictos Fratres Capucinos in dicto Oppido facienda, cui juxta Conſtitutiones fel. rec. Clementis VIII., & Gregorii XV. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtram deſuper editam, primodicti Fratres ſe opponebant ſub prætextu præjudicii, quod eleemoſynæ non ſufficerent, & dilecti Filii Univerſitas, & homines dicti Oppidi, occaſione prædictâ introducendi ipſos Fratres Capucinos in nonnullis ex præmiſſis, & conventis cum Fratribus primodictis in limine fundationis deficere intendebant, licèt à 40. circiter annis obſervâſſent: tandem verò causâ hujuſmodi ad Venerabiles Fratres noſtros S. R. E. Cardinales, negotiis Regularium præpoſitos devolutâ, Fratres utriuſque Ordinis hujuſmodi ad tollenda ſcandala, & Religioſam charitatem perpetuò, præſertim in dicto Oppido conſervandam ad infraſcriptam ſub noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito devenerunt concordiam, videlicet, quod P. Procurator Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum, nomine dicti ſui Conventûs præſtat ſuum conſenſum, ut PP. Capucini fundent Conventum in dicto Oppido ſub conditione, & non aliter, nec alio modo: Quod Univerſitas, ſeu Conſilium dicti Oppidi, Iurati &c. dignentur præſtare, & mini-

niſtrare integraliter omnia, quæ in ſcriptura contractus initi in ingreſſu continentur, aliaque, quæ miniſtrare ſolebant, exceptis ſcutis centum monetæ annuis, promiſſis pro eleemoſyna prædicationis, pro anno ſcilicet, quo Carmelitæ non prædicabunt. Quia Patres ipſi Carmelitæ, & Capucini de alternis vicibus, ſeu alternis annis, tam in Quadrageſima, quàm in Adventu, & aliis Dominicis, & Feſtis prædicandi convenerunt, & conveniunt, niſi in aliquibus Feſtivitatibus aliter amicabiliter, & ex urbanitate permittant ad invicem, itaut duobus annis continuis nullus ex dictis Religionibus, altera invitâ prædicare prætendat, per quod tamen non derogetur Juri ejuſdem Villæ eligendi, & aſſumendi ſibi Concionatorem aliunde pro anno, quo ipſimet non placuerit Concionator aſſignatus à dictis PP. Carmelitis, vel Capucinis. In anno verò, quo in ſuo turno Carmelitis prædicare contingat, integraliter omnia ſolita præſtari debeant, ac etiam pro illo anno illa ſcuta centum pro eleemoſyna prædicandi præmiſſa; ita ut præmiſſa omnia & ſolita præſtari Carmelitis, præſtentur, & de novo, ſi opus fuerit, promittantur, ſtipulentur, & aſſicurentur, & non antea liceat Capucinis fundare, & aliàs concordia ipſa nulla ſit, & pro non facta habeatur. Romæ 12. Julii 1633.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Exponentes prædicti plurimùm cupiant concordiam hujuſmodi pro illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus ſavoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, de eorumdem Cardinalium conſilio, concordiam præinſertam hujuſmodi, ſervatis tamen juribus Venerabilis Fratris Epiſcopi Illerdenſis circa alternativam, & jus prædicandi, & circa approbationem juris, quod, ut præponitur, Univerſitas, & homines habent nominandi Prædicatorem, ac dummodo in reliquis erectio hujuſmodi Domûs novæ Regularis, ſervatâ formâ Decreti noſtri, nec non Conſtitutionum Clementis, & Gregorii prædeceſſorum prædictorum ſuper novorum Conventuum erectione editarum, fiat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes concordiam hujuſmodi, ac præſentes litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum prædict., etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenorem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Auguſti MDCXXXIII. Pontificatûs noſtri anno undecimo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſ. & anni prædict. fol. 28.

NOTA

N O T A.

Concordiam Apostolica confirmatione munitam, Sede Episcopali vacante Illustrissimus D. Vicarius Generalis executioni mandavit, ut sequitur.

Nos Hieronymus Nogues Presbyter, DD. Canonicus Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, ac in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis, & Officialis Illerderis pro Illustribus, & Admodum RR. DD. Decano, & Capitulo Canonicorum dictæ Ecclesiæ Cathedralis Administratoribus Episcopatûs, ejusdem Sede vacante.

Dilectis Nobis in Christo Reverendis Patri Ministro Provinciali, ac Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum, etiam nuncupatorum Provinciæ Aragoniæ, salutem in Domino Nostro Jesu Christo, qui omnium est vera salus.

Oblata Nobis fuit pro Vestri parte sub die vigesima prima præsentium, & infrascriptorum mensis, & anni supplicatio quædam tenoris sequentis: *Illustris, & Admodum Reverende Domine Vicarie Generalis. Vertente lite, & causa in Congregatione Eminentissimorum Cardinalium in secunda instantia, & in gradu appellationis à sententia jamdiu per V. D. lata de anno retrolapso super fundatione Monasterii facienda in Villa Tamariti de littera Illerdensis Diœcesis per Fratres Ordinis Sancti Francisci Capucinorum ex una, & Conventum, Priorem, & Fratres Carmelitas Discalceatos Monasterii ejusdem Ordinis, & Villæ partibus ex altera: Ex prædictorum Fratrum Discalceatorum, & eorum nomine per Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis, & legitimum Procuratorem Fratrum Capucinorum Provinciæ Aragoniæ partibus ex altera, ad concordiam venerunt sequentem, sub beneplacito, auctoritate, & Decreto Sedis Apostolicæ -- Videlicet, quod Universitatis, seu Concilium dicti Oppidi, seu Villæ Tamariti de littera, Jurati, & Consiliarii ejusdem Villæ præstent, ministrent, dent, & erogent integraliter Conventui, & Monasterio Discalceatorum dictæ Villæ omnia illa, quæ in scriptura contractûs initi, in ingressu dicti Monasterii Discalceatorum continentur, & alia, quæ Universitas dicti Oppidi ministrare solebat, exceptis scutis centum promissis singulis annis pro charitate Prædicationis Quadragesimalis, & Adventûs, cum divisione, & modificatione, explicatione, & qualitate, prout in Brevi, vel Indulto inferius exhibito latiùs continentur, ut ita exinde restituto Conventu in dictis præstationibus, liceat Capucinis prædictam facere fundationem, prout constat sub Indulto, & Brevi Sanctissimi Domini Nostri Urbani Divina Providentia Papæ VIII. sub datum Romæ die decima octava Augusti millesimo sexcentesimo trigesimo tertio sub Annulo Piscatoris, quod exhibetur pro hac parte Capucinorum Villæ Tamariti, ad quorum requisitionem, petitionem, & expositionem, cum Jurati. Concilium, & Universitas dictæ Villæ Tamariti se obtulerint promptos, & paratos Apostolicis obedire conditionibus injunctis, sub dicto Brevi Apostolico, & annuere modis in eodem indulto expositis, prout constat ex instrumento recepto, & conciliariter habito in Villa Tamariti de littera, die vigesima currentis, quod exhibetur in forma probante, & consequenter constat de justificatione modorum, seu conditionum in dicto indulto, & licentia fundationis expressorum, & similiter per merita primitivi processûs in prima instantia fulminati coram Vestra Dominatione, & illius sententia de requisitis, juxta formam Constitutionum Romanorum Pontificum Gregorii XV., & Urbani VIII. super similibus fundationibus editarum; in executionem prædicti Brevis petit, & supplicat legitimus Procurator licentiam sibi impertiri ad dictam fundationem, decernendo gratiam Apostolicam justificatam ob adimplementum qualitatum, conditionum, & modorum &c. &c., declarans constare de illorum adimplemento, & observantia: & , qui comporet, fidem facis de mandato, exhibendo primitivum processum originalem, indultum Apostolicum desuper mentionatum, instrumentum in Villa de Tamarito sumptum, & stipulatum, super adimplemento ex parte dicti Oppidi in forma probante, simul cum instrumento insinuationis, & notificationis factæ Priori, & Conventui Discalceatorum ejusdem Villæ, de adimplemento ex parte Villæ Tamariti, petens inseri &c. & de litteris opportunis provideri, implorans officium &c., quæ, licet &c. Ferrer. &c.*

Qua quidem supplicatione Nobis oblatâ, & per Nos benignè susceptâ, mandavimus de ea, ac in ea productis processum ad Nos informandum fieri; quo facto, ac viso, fuit à Nobis desuper facta provisio, sive Decretum hujusmodi, die vigesima tertia Januarii millesimi sexcentesimi trigesimi quarti -- Vicarius Generalis, & Officialis, à Decano, & Capitulo Sedis Illerdensis, Sede Episcopali vacante, deputatus in facto justificationis Brevis Apostolici, sub Annulo Piscatoris expediti, & Nobis præsentati, pro parte legitimi Procuratoris Capucinorum, seu illorum Ministri Provincialis Aragoniæ, & Hospitii eorundem Villæ Tamariti de littera præsentis Diœcesis, super facultate fundandi, seu erigendi Monasterium, jamdiu coram Nobis introducta, & appellationem ad Sanctissimum transmissa &c. Visâ in primis supplicatione oblatâ pro parte Fratrum Capucinorum dicti Hospitii, seu Ministri Provincialis, qua exponitur, inter Procuratores Generales Ordinis Beatæ Mariæ de

Monte

Monte Carmelo Discalceatorum, & dictos Capucinos Provinciæ Aragoniæ initam fuisse concordiam, sub certis modo, & formis, qualitatibus, & conditionibus, auctoritate Apostolica confirmatam, qua conceditur, sub illarum adimplemento, licentia prædictis Capucinis fundandi Monasterium in dicto loco Tamariti de littera, & cum sint conditiones & modi, per adimplere debentem, seu debentes ad executionem perducti, seu perductæ, & consequenter sit sufficienter justificata gratia Pontificis. Quod propterea dignaremur prædictam Breve juxta illius seriem noscere justificatam, prout hæc, & alia in dicta schedula latiùs continentur, ad quam sit relatio: Visâ provisione per Nos in calce dictæ supplicationis decretâ: Viso indulto Apostolico super dicta concordia à Sanctissimo Domino Nostro Urbano, divina providentia Papa VIII., cujus data fuit Romæ die decima octava Augusti proximè elapsi: Viso instrumento approbationis, laudationis, & ratificationis, & restitutionis contentorum in supra præcalendato Brevi laudato, firmato, & jurato per Juratos, Concilium, & Universitatem, ac singulares conciliariter congregatos, sub die vigesima currentis: Visâ intimatione, seu notificatione de dicta laudatione facta Priori, & Conventui Discalceatorum dictæ Villæ: Visâ demum potestate comparentis, & demum visâ tota præsenti summaria informatione, attentis contentis in ea providemus: Quod constet ex præcalendato Brevi Apostolico desuper exhibito, concessam, & tributam esse facultatem à Santissimo Domino Nostro, Capucinis Provinciæ Aragoniæ, seu illorum Ministro Provinciali fundandi, erigendi, & ædificandi Monasterium prædicti Ordinis Capucinorum, in prædicto Oppido Tamariti de litteru Regni Aragoniæ, præsentis Diœcesis, sub conditione tamen, & non aliter, nec alio modo, quod Villa, Concilium, & Universitas dicti loci Tamariti de littera restitueret Fratribus, & Conventui Monasterii Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Ordinis Discalceatorum ejusdem loci, omne illud, quidquid, & quantum in ingressu suæ fundationis fuerat per dictum Universitatem, Juratos ejusdem loci, seu Villæ, eisdem concessam, tributam, & elargitam, exceptâ eleemosyna centum librarum pro predicatione Quadragesimali, & Adventûs, singulis annis tribuenda, cum modificationibus, & restrictionibus in dicto Brevi contentis: quod constet dictis Juratis, & Universitati fuisse præsentatum, & per dictos Juratos, & Universitatem conciliariter fuisse receptum, laudatum, & approbatum, offerendo se promptos, & paratos ad illius executionem, obedientiam, & integram restitutionem, & consequenter constet conditionem, sub qua Sanctissimus regulavit gratiam super dicta concordia concessam, fuisse justificatam, adimpletam, & ad executionem perductam, & consequenter gratiam exinde justificatam, & licentium ædificandi, & fundandi, remanere liberam & puram, ob adimplementum conditionis. Quibus & aliis attentis providet sufficienter constare de justificatione gratiæ, & consequenter locum fuisse, & esse, darique locum illius executioni, prout cum præsenti executionem illius providet juxta illius seriem, & tenorem, dando, & impertiendo, quatenus opus sit, juxta dicti Brevis dispositionem, non aliàs, aliter, nec alio modo, sed tantùm ad illius executionem, & implementum, licentiam opportunam, & necessariam, & pro his fiant litteræ opportunæ juxta stylum D. Hieronymus Nogues Canonicus Illerden., Vicarius Generalis, & Officialis &c.

Quocirca dictum provisionem, & Decretum exequentes Auctoritate ordinaria, quâ in hac parte fungimur, tenore præsentium, Vobis præfatis Reverendis, Patri Ministro Provinciali, & Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Capucinis nuncupatis, Provinciæ Aragoniæ, quatenus opus est, juxta superiùs memorati Brevis Apostolici dispositionem, ac præinserti nostri Decreti seriem, & tenorem, & non aliàs, aliter, nec alio modo, ut in dicta Villa Tamariti de littera, Illerdensis Diœcesis, in Regno Aragoniæ, & in loco, seu Hospitio jam ad id aliàs specialiter designato, seu forsan de novo designando, Monasterium Capucinorum erigere, instituere, fundare, construere, & ædificare, & in eo conventualiter juxta sanctas regulas dicti Vestri Sacri Ordinis Capucinorum à Sancta Sede Apostolica approbatas vivere, & inibi, postquam à Nobis visitatum fuerit, seu ab alio, ad id commissionem habente recognitum, Ecclesiam, seu Capellam erigere, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in eo reservare, & alia omnia, & singula ad prædictam fundationem necessaria quomodolibet, & opportuna facere, liberè, & licitè possitis, & valeatis, licentiam concedimus, & impertimur facultatem. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes manu nostra firmatas, sigillo dicti Reverendi Capituli signatas, & per Notarium, & Scribam Curiæ Ecclesiasticæ Illerdensis infrascriptum, datas, fieri jussimus, & expediri.

Datum Illerdæ die vigesima tertia mensis Januarii, anno à Nativitate Domini millesimo sexcentisimo trigesimo quarto &c.

D. Hieronymus Nogues Canonicus Illerderi, Vicarius Generalis, & Officialis prædictus &c.

Hyacintus Josephus Casanoves Notarius publicus Illerden.

Exemplar authenticum in Archivo Generali Ordinis armario Provincia Aragoniæ.

Situm

Situm Domûs Terræ Fragæ deferi, vendi, & pretium inde redactum fabricæ novæ Domûs loci de Daroca impendi indulget.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm, sicut Nobis nuper exponi fecisti, Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Aragoniæ unum Conventum formalem habeant in Terra Fragæ situm juxta, & prope Cataloniæ Principatum, Terra verò hujusmodi, transitûs ordinarii militum, & bellorum, quæ in illis partibus vigent, occasione, à Conterraneis, & habitatoribus omnino deserta fuerit, ita, ut inibi Fratres præfati amplius habitare, manutenerique nequeant absque totali Regulæ inobservatione, propterea Conventum hujusmodi, cujus dominium ad Sedem Apostolicam spectat, derelinquere cogantur; Nobis idcirco humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportunè, &, ut infrà, providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Te, eosdemque Fratres specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, mediante personâ Syndici Conventûs hujusmodi, eumdem Conventum, illiusque hortum, & situm, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, & pro pretio justo & rationabili, auctoritate nostra Apostolica vendendi, seu vendi, pretiumque inde redigendum in fabricam, & constructionem unius Conventûs novi dicti Ordinis, qui ab ipsis Fratribus propediem in loco de Daroca excitari debet, convertendi, seu converti faciendi, plenam, & amplam facultatem, dicta auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod pecuniæ ex venditione hujusmodi provenientes, unico contextu, in rem supra expressam converti debeant, vel saltem pretium præfatum penes Montem Pietatis, vel personam fide, & facultatibus idoneam deponatur, inde non amovendum nisi ad effectum illud, ut præfertur, convertendi.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Junii MDCXLI. Pontificatûs nostri anno primo.

Autographum in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædict. fol. 1.

Hortum Fratrum Aragoniæ, novo Oliveti petio ampliari, & hoc à Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, pro alio terræ petio permutari concedit.

Dilecto Filio, Magno Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Domûs illius Regularis ejusdem Sancti Francisci Cæsaraugustan. Provinciæ Aragoniæ Nobis expositum fuit, quod, cum eorum hortus, olera, & herbas ad necessarium eorum usum minimè suppeditet, hortum ipsi præfatum quodam Oliveti petio, quod jure directi Dominii ad Castellaniam Empostæ istius Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani spectat, ampliare desiderant, & ad hunc effectum quædam pia persona permutationis nomine se se eidem Castellaniæ aliud terrenum alibi situm, ejusdem quantitatis, & non inferioris bonitatis primodicto terræ petio hujusmodi daturam obtulit. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt dicti Exponentes, ut sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut constito Tibi de præmissis, primodictum terræ petium ad favorem eorumdem Fratrum pro secundodicto, & per eamdem piam personam assignando terræ petio hujusmodi, quod ejusdem sit anni fructûs, seu responsionis, nec non ad eamdem Castellaniam, ut præfertur, jure directi dominii spectet, auctoritate nostra Apostolica permutes, seu permutari cures, & facias. Non obstantibus fel. rec. Pauli II.,

li II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Hospitalis, & Castellaniæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus Capitularibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod primodictum terræ petium pro evictione secundodicti terreni hujusmodi in eventum, in quem illud quoquomodo evinci contingat, perpetuò obligatum, & in specie hipothecatum ad favorem dictæ Castellaniæ, & ratione dicti directi dominii remaneat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII. Decembris MDCXLV. Pontificatûs nostri anno secundo.

Autogroph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædict. fol. 9.

EPISTOLA

Sac. Congregat. Episc. & Regular.

Fundatio Novitiatûs in loco *Cuculláda* nuncupato, Apostolico Hispaniarum Nuntio committitur.

Perillustri, & Revmo Domino uti Fratri D. Nuntio Hispaniarum.

Perillustris, & Reverendissime Domine uti Frater.

CUm PP. Capucini Provinciæ Aragoniæ Novitiatum in loco *Cucullada* nuncupato erigere intendant, ex eo, quod illum, quem in Civitate Cæsaraugustana fundare volebant, non solùm Xenodochio à Communitate fuerit destinatus, verùm etiam aquarum penuriam patiatur, Sacræ Congregationi, ob Ordinarium ipsis, ex lite Eum inter = ac illos versante, suspectum, pro licentia supplicârunt, subjungentes, quod numerum Fratrum non augere, sed econtra ex prædictæ Civitatis Conventu, tot eorum diminuere velint, quot in memorato Novitiatu forent manutenendi. Cumque Eminentissimi Patres locum Cucelladæ ultra 4000. passus à dicta Civitate, & quovis alio Regularium Monasterio distare, ex depositione plurium testium, ad hunc effectum ab Auditore Cameræ examinatorum notaverint, & ideo in Decreto fa: me: Gregorii XV. in ea parte, quæ aliorum Regularium consensum concernit, non comprehendatur, Amplitudini Tuæ à me scribi jusserunt, ut constito sibi, quod exposita veritate nitantur, & observantia Instituti Capucinorum manuteneri, aliæ conditiones à Constitutionibus Clementis VIII. aliorumque Summorum Pontificum adimpleri possint, & Amplitudo Tua nihil relevans in contrarium habeat, conquisitam licentiam, servatis servandis, impertiatur. Quod significo &c.

Romæ 19. Junii 1654.

Amplit. Tuæ

M. Card. Ginnettus.

Exempl. in Arch. Procuræ Gen. Ord. reg. mens. & anni præd. fol. 36.

Cadavera Joannis Augustini de Sanz, Comitis de Atares, & Magdalenæ de Angullano Conjugis ex veteri Monialium Civitatis Oscensis Ecclesia ad novam à Magdalena constructam transferri, & pecunias pro translatione cadaveris Joannis Augustini ad Ecclesiam Parochialem de Xabienegay aliàs impendendas, commutata ultimâ ejus voluntate in emptionem paramentorum &c. pro dictæ novæ Monialium Ecclesiæ usu converti committit.

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ Superiorissa, & Moniales Monasterii Capucinarum istius Civitatis Oscensis, quòd aliàs quondam Johannes Augustinus Sanz de Lattas, dum vixit, Comes de Atares, in suo ultimo testamento statuit, & mandavit, ut ejus cadaver in Ecclesiam ca-

earumdem Exponentium deponeretur, & deinde ad Ecclesiam Parochialem loci de Xabienegay, Jacensis Diœcesis, sepulturæ causâ transferretur, subinde verò quondam Magdalena de Angullano Sanz de Latras, dicta Ioannis Augustini relicta Vidua, novam Ecclesiam pro Monialibus Monasterii prædicti, suâ impensâ construi fecit, ac in suo pariter ultimo testamento suum cadaver in veteri ejusdem Monasterii Ecclesia, donec nova fabrica perfecta foret, similiter deponi, illâque perfectâ in novam Ecclesiam hujusmodi transferri, ibique sepeliri mandavit.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, fabrica novæ Ecclesiæ prædictæ jam absoluta sit, ipsa verò nova Ecclesia paramentis, & ornamentis magnopere indigeat, verosimileque sit, quod dictus Ioannes Augustinus, si novam Ecclesiam hujusmodi à Conjuge sua constructam iri prævidisset, in eam utique cadaver suum transferri, & unà cum ejusdem Conjugis cadavere sepeliri voluisset; Et propterea dictæ Exponentes eorumdem Conjugum cadavera, seu ossa in dicta nova earum Ecclesia sepulturæ mandare posse, pecunias verò, quæ pro translatione ossium, seu cadaveris prædicti Ioannis Augustini, ad Parochialem Ecclesiam prædictam impendi deberent, ad summam centum viginti quinque ducatorum auri de Camera, vel circiter ascendentes, in emptionem paramentorum, & ornamentorum ad usum novæ Ecclesiæ hujusmodi applicari summopere desiderent: Idcirco Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas Exponentes, specialibus &c. volentes, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, ac testamenti primodicti tenorem, præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, & inserto habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus constito Tibi de narratis, eisdem Exponentibus, ut ipsæ cadaver, seu ossa memorati Ioannis Augustini, unà cum cadavere, seu ossibus præfatæ Magdalenæ ejus Uxoris, ex veteri earum Ecclesia, in novam Ecclesiam prædictam transferri, & transportari, ibique sepeliri facere, ac pecunias, quæ pro translatione cadaveris, seu ossium ejusdem Ioannis Augustini ad Parochialem Ecclesiam prædictam impendi deberent, ut præfertur, in emptionem paramentorum, & ornamentorum ad usum novæ Ecclesiæ hujusmodi convertere, & erogare liberè & licitè possint & valeant, dummodo tamen ad id etiam dilecti Filii Rectoris ejusdem Parochialis Ecclesiæ, quàm Hæredis dicti Ioannis Augustini accedat assensus, auctoritate nostra Apostolica, arbitrio tuo, ac sine cujusquam præjudicio concedas, & indulgeas: Nos enim Tibi pecunias prædictas eidem novæ Ecclesiæ ad effectum emptionis paramentorum, & ornamentorum hujusmodi applicandi facultatem, eadem auctoritate harum serie tribuimus & impertimur. Non obstantibus prædicti Ioannis Augustini etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, & expressè commutamus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis MDCLXXII. Pontificatûs nostri anno secundo.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apost. Reg. mens. & ann. præd. fol. 63.

Ad sopienda diffidia occasione Capituli Provincialis exorta, Patri Ministro Generali speciales facultates impertitur.

Dilecto Filio Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum.

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecisti, quòd, cum in Provincia Aragoniæ tui Ordinis, Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, præsertim ex causa celebrationis ultimi Capituli Provincialis ejusdem Provinciæ, quod contra expressa Superiorum dicti Ordinis mandata convocatum, atque celebratum fuit, multa exorta sint incommoda, eaque occasione nonnulli Fratres dictæ Provinciæ, eorumque nomine Procurator ipsius Provinciæ, qui de præsenti in Romana Curia reperitur, recursus ad Tribunal Sæculare, sive Iudices laicos habuerint, censuras & pœnas Ecclesiasticas similia perpetrantibus, per Constitutiones Apostolicas, & Sacrorum Sanctiones Canonum impositas incurrendo, Tu ex commissi tibi Generalatûs Officii debito Provinciam prædictam opportunis rationibus in pristinæ charitatis, atque Regularis Observantiæ compagem, benedicente Domino restituere, eaque de

de causa Visitatorem ad illam mittere, ac Fratrum prædictorum statui consulere intendis, & proinde de infrascriptis facultatibus tibi à nobis provideri plurimùm desideras; Nos igitur religiosam in eadem Provincia tranquillitatem, adspirante superni favoris auxilio, quantocitiùs reintegrari, ac piis votis tuis, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, Teque à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, integritate, & Religionis Zelo, plenam habentes in Domino fiduciam, Tibi præter, & ultra ordinarias Officii tui prædicti facultates, gubernium dictæ Provinciæ Aragoniæ dilecto Filio, Cosmo de Alcagniz, uti personæ à Te ad eum effectum deputatæ, per modum provisionis usque ad memorati Visitatoris mittendi in eandem Provinciam adventum auctoritate nostra Apostolica committendi, eodemque modo ad gubernium, & incumbentiam, quæ respectivè ad Definitores, Guardianos, Vicarios, Magistros Novitiorum, & Lectores pertinet, eos Fratres, quos necessarios existimaveris, dicta auctoritate habilitandi, ac, ut dilectus etiam Filius Blasius de Embide suum locum, & præeminentiam primi Definitoris, & secundi Custodis Provinciæ prædictæ, prout ante celebrationem supradicti Capituli erat, obtineat, & tam ipse, quàm alii Definitores absque concursu ad electionem Discreti, sint Vocales in proximo futuro Capitulo ejusdem Provinciæ, pro hac vice tantùm, auctoritate prædicta decernendi, & ordinandi: Præterea Visitatori prædicto, ut, postquam in dictam Provinciam pervenerit, primum Custodem ipsius Provinciæ eligere valeat, eadem auctoritate concedendi, nec non ad concursum, sive interventum in Capitulo hujusmodi omnes illos, qui respectivè ad illud concurrere debent, nec legitimo impedimento detinentur, dicta auctoritate habilitandi, ac Procuratorem, aliosque omnes & singulos Fratres Provinciæ prædictæ, qui ad Tribunal Sæculare, seu Iudices Laicos, ut præfertur, recursus habuerunt, si hoc à Te humiliter petierint, impositâ eis pro præmissis arbitrio tuo aliquâ pœnitentia salutari, ac renunciato prius per eos omnibus & singulis recursibus hujusmodi, à censuris, & pœnis Ecclesiasticis quibuslibet, quas propter eadem præmissa quovis modo incurrerunt, seu incurrisse dici, censeri, vel prætendi posset, auctoritate supradicta in utroque foro absolvendi, & totaliter liberandi, dictasque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiosè remittendi, & condonandi, ac eum ipsis, & eorum singulis, super irregularitate per eos, quia censuris hujusmodi propter præmissa innodati, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebrârunt, seu aliàs in suis Ordinibus respectivè ministrârunt, quomodolibet contracta, ita ut illâ & iisdem præmissis non obstantibus, dummodo nullum aliud Canonicum eis obstet impedimentum, Clericali charactere, quo aliàs ritè insigniti fuerunt, illiusque privilegiis, ac susceptis per eos pariter aliàs ritè minoribus, & sacris etiam Presbyteratûs Ordinibus uti, ac in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare liberè & licitè possint, & valeant, dicta auctoritate dispensandi, eosque in pristinum statum restituendi, reponendi, & plenariè reintegrandi, facultates, quas etiam memorato Visitatori, prout in Domino expedire judicaveris, communicare valeas, eadem auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impertimur. Non obstantibus præmissis, nec non Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam jursmento &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Junii MDCLXXVI. Pontificatûs nostri Anno septimo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostol. Regesto mensis, & anni prædict. fol. 36.

PRO-

PROVINCIA NAVARRÆ

Quæ & simultaneè Cantabriæ ob hujus Regionis complexum vocitatur, cum — & à Provincia Aragoniæ sua nacta est auspicia, & jure promiscuo utriusque Regni Conventus gubernavit, donec ab illa secta Custodiæ à Commissariis, vel per Ministrum Generalem nominatis, vel ab ipsamet electis rectæ, nomen est sortita. Tenuit hoc ob Conventuum paucitatem usque ad annum 1679. quo in ordinem Provinciarum sub B. V. Mariæ sine labe conceptæ patrocinio fuit relata.

Ascesin Regularem cum charitatis operibus erga Proximum eo semper laudabili fervore Fratres Navarræ connexuêre, ut communis devotionis à populo sibi vendicaverint affectum. Æstimârunt illos Regni Proceres, dum non solùm Conventuales eorum Domos suæ Regaliæ juri in Comitiis Generalibus aggregârunt, sed & illas Provinciæ conditione insigniri, latis ad Regium Caroli II. Hispaniarum Regis Catholici thronum precibus flagitârunt, actuique erectionis impensis ad memorialem illius solemnitatem sumptibus adesse voluerunt.

Illustrissimi & Reverendissimi Ecclesiarum Antistites tum eorum opera pro examine Cleri, & Missionibus peragendis variè usi sunt, tum novas illorum fabricas benigno semper assensu ratihabuerunt, tum amplis benefactis eos cumulârunt, hinc & in Provinciæ chronico benedictio Illustr. DD. Joannis *à S. Petro*, Joannis *de Camargo*, Melchioris Angeli *Gudierret*, Gaspari *de Miranda*, *& Argaiz*, Francisci *Añoa & Busto*, haud aliter ac in obelisco servata perenniter splendebit.

Populus universus reverenter eos semper suspexit; vidit enim inter eos *Homines virtute magnos*, & famâ sanctioris vitæ celebres: vidit (præter Servum Dei, Josephum à Carabantes, tempore Custodiæ Navarrensibus conviventem, iisque tempore mortis paramenta Missæ legantem) Fratrem Gregorium à Corella, Fratrem Christophorum à Locruno, Fratres Antonium & Josephum, Fratres Germanos, à Corella, Fr. Andream à Tafalla, Fr. Didacum ab Ezperum &c. quorum vitam & gesta signis corusca Annales amplè recensebunt.

Vidit inter eos, qui latius quàm in Ordinem suæ vitæ fulgorem effuderunt, vidit Qualificatores Sancti Officii Inquisitionis, FF. Michaëlem à Sancto Dominico, primum Provinciæ Ministrum, Vincentium à Corella, Bernardum

dum à Pampelona, Michaëlem à Torralba, Celidonium infrà repetendum &c. Vidit alios publico bono datos, vidit Fr. Emmanuelem à Pampelona erectæ in hac Civitate Domûs Misericordiæ promotorem, Dominicum, pariter à Pampelona, surdum, Cleri jura in gravi lite cum palma propugnantem: vidit inter illos Missionarios, Fratres videlicet Christophorum ab Aicona, Stephanum à Lagaono, Franciscum *à la Puente* &c. qui messe Provinciæ haud contenti, Zeli sui spartam ad Indias Occidentales portârunt, ibique cursum laboris beata morte consummârunt. Vidit & Viros extra Provinciam cum Commissarii Generalis charactere missos, Fratres videlicet Michaëlem à Sancto Dominico ad Provinciam utriusque Castellæ, & Stephanum à Tafalla ad Provinciam Valentiæ ablegatos.

Audivit & de Cathedra Evangelii Præcones voce virtutis dotatos; audivit Fr. Jacobum à Corella, à Carolo Rege Altefato in suum Concionatorem selectum, à toto quasi Regno pro pari munere quæsitum, & ab Archiepiscopo Cæsaraugustano inter alia ita encomiatum: *Si Paulus & Corella simul prædicarent, libenter relinquerem Corellam propter Paulum, sed & Paulum propter Corellam*. Audivit præfatum Celidonium à Calahorra, primum hujus Provinciæ Definitorem Generalem, Missionarium Apostolicum &c. non solùm in Civitatibus Calaguritana, Tafallæ, & Stellæ, sed etiam in Villis de Falces, ac Pontis Reginæ, eo Spiritu concionantem, ut illum Concionatoris perpetuò titulo insignirent, & Pampilona ex incisis fronti Ecclesiæ Cathedrali ejus nomine palmam ejus æternaret. Legit Navarra, manibusque volvit opera haud vulgaris eruditionis ad communem Reipublicæ Litterariæ utilitatem à Fratribus nostris relicta, & in Bibliotheca Scriptorum Ordinis annotata, inter quæ illud præfati Fr. Jacobi à Corella *de Collationibus moralibus ad praxin ordinatis*, quod Encyclopediam omnium Scientiarum noster P. Torrecilla appellat, decies jam sub prælo jacuit.

Ex qua conspicuæ virtutis varietate incensus est in Nobilitatis Viris, & Filiis amor, neglecto fortunæ superbæ ancillatu inter eos Fratres convivendi, quorum rudem, fragminibusque reparatum Habitum vitæ morumque decor illustraret. Convixit Fr. Franciscus à Pampelona, in Sæculo Domnus Tiburtius de Redin, ex Regio Navarræ Sanguine, ac jure hæreditario Regius Montium Custos, ac Picerna, Eques Ordinis S. Jacobi, Dux Generalis Militiæ, Emi Martini, Magni Equitum Melitentium Magistri, Frater secundum carnem Germanus, Comes de Gindulain, Baro de Vigueras, Dominus de Sarria &c. qui desiderio animas lucrandi ad Indias Occidentales penetravit, ibique Laicus Missionarium egit, & in quo vitam gloriosam publicus typus refert, & mortem pretiosam, diutina cadaveris incorruptio commendat. Convixit Fr. Franciscus ab Accoztia, ex Stirpe Ducum Civitatis Regalis, Principum de Esquilache, Ducum Granatæ de Lga, Marchionum de Cortes, Comitum de Xavier, Vice-Comitum Zoline &c. Convixêre Fr. Joannes Franciscus à Locruno, ex nobili *Roxas* Familia, sago togaque per Regnum illustri, Fr. Felix ex celebri Familia *Bretus*, Fr. Didacus ex prosapia Dominorum *de Ezperum*, olim Donomasia &c. qui dum nobilitati generis virtutem religiosæ actionis junxerunt, duplici honore insigniverunt Provinciam commeantem.

Per Conventus Fratrum	XI.
Hospitium seu Residentiam	I.
Monasterium Monialium.	I.

DE-

DECRETO

Sac. Congregat. Episc. & Regular.

Fabrica Domus in loco Vianæ Fratribus interdicitur.

Super prætensa Erectione Conventûs, & Hospitii Fratrum Capucinorum in loco Vianæ Calaguritanæ Diœcesis, contradicentibus Fratribus Minoribus de Observantia Sancti Francisci.

SAcra Coogregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, re, partibus auditis, Emioentissimo Sanctacrucio referente, maturè examinata, ac discussa censuit injungendum, & præcipiendum, prout præsentium vigore injungit, & præcipit Fratribus Capucinis Custodiæ dictæ Navarræ, eorumque Superioribus, ad quos spectat, in memorato loco Vianæ Conventum, aut Hospitium, sive sub quovis titulo Domum permanentem ullo modo fundare, & retinere audeant, aut præsumant, sed juxta tenorem sententiæ ab Ordinario Calaguritano latæ sub die 24. Maji 1662. seu &c. ab Hospitio jam, ut dicitur, aperto, & retento omnino discedant. Ut autem super præsentium executionem tutiùs caveatur, eidem Episcopo committit, ut eosdem Capucinos, quatenus parere recusent, sub censuris, aliisque sibi benevisis pœnis cogat, & compellat, in contrarium quibuscumque non obstantibus.

Romæ 17. Novembris 1662.

Autograph. in Arch. Secret. S. Congregat. mensis & anni prædictorum.

DECRETO

Sac. Congregationis prædictæ.

Fundatio prædicta conceditur.

Super instantia Cleri, & Populi loci Vianæ Calaguritanæ Diœcesis pro fundatione Conventûs Fratrum Capucinorum in dicto loco, & oppositione Fratrum Minorum de Observantia.

SAcra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, Partibus auditis, re que maturè considerata, censuit procedi posse ad hujusmodi fundationem Conventûs in dicto loco Vianæ cum Ecclesia, Sacristia, Campanili, Choro, Claustris, Dormitorio, Refectorio, aliisque officinis, Hortis, & spatiis necessariis, &, postquam Fabrica fuerit omnibus suis numeris absoluta, debita supellectili tam sacra, quàm non sacra pro usu & habitatione, saltem duodecim Capucinorum necessaria refecta, eosdem Religiosos iotroduci, sub Clausura Regulari, non obstante dicta oppositione, accedente tamen consensu Ordinarii Calaguritani, & servatis quoad reliqua Apostolicis Constitutionibus, remoto harum vigore ad hunc effectum impedimento Bullæ fæ: mem: Ionocentii X.

Romæ 12. Martii 1665.

Autographum in Archivo Secret. Sac. Congregationis Regestæ mensis, & anni prædictor. fol. 35. à tergo.

Decretum prædictum revocat, & indicto perpetuo silentio Fratres non amplius audiendos esse decernit.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs fel. record. Alexandro VII. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Fratrum Conveotûs Oppidi, Civitatis nuncupati, de Viana Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Calaguritanæ Diœcesis exposito, quod, cum antea tunc existentes Fratres Capucini Custodiæ Navarræ novum Conventum eorum Ordinis in dicto Oppido erigere prætendeotes, Hospitium ibidem de facto aperuissent, sed deinde per duos Episcopos successores semper rejecti fuissent, etiam prævia sententiâ definitiva, Congregatio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam causa hujusmodi devoluta reperiebatur, partibus auditis, & dilecto filio nostro Marcello, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale Sanctacrucio nuncupato referente, re maturè examinata, & discussa, injunxerat, & præceperat memoratis Fratribus Capucinis Custodiæ Navarræ, eorumque Superioribus, ad quos spectabat, ne in prædicto loco Vianæ Conventum, aut Hospitium, sive sub quo-

quovis titulo Domum permanentem ullo modo fundare, & retinere auderent, aut præsumerent, sed juxtà tenorem sententiæ ab Ordinario Calaguritano datæ sub die 24. Maii 1660., seù alio veriori tempore ab Hospitio jam, ut dicebatur, aperto, & retento omnino discederent. Ut autem hujus decreti executioni tutiùs caveretur, eidem Ordinario commiserat, ut eosdem Capucinos, quatenus parere recusarent, sub censuris, aliisque sibi benevisis pœnis cogeret, & compelleret, in contrarium non obstantibus quibuscumque, & aliàs, prout in ipsius Congregationis decreto desuper die 17. Novembris 1662. emanato dicebatur contineri, & subinde reproposita causa die 19. Septembris 1664. eadem Congregatio decretum prædictum confirmaverat, perpetuumque eisdem Fratribus Capucinis silentium imponendum esse decreverat, & postmodùm concessa rursus dictis Fratribus Capucinis nova audientia super articulo: An esset locus prætensæ fundationi novi Conventûs in dicto Oppido Vianæ? die 16. Januarii 1665. resolutum fuerat, non esse locum fundationi, idque ad relationem prædicti Marcelli Cardinalis; verùm illo absente die 12. Martii subsequentis, iidem Fratres Capuci, inscii Exponentibus supradictis extorserant à prædicta Cardinalium Congregatione licentiam erigendi dictum novum Conventum, accedente licentia Ordinarii: Et in eadem expositione subjunctо, quod dicti Exponentes successivè, nempè die 24. Novembris ejusdem anni 1665. recursum ad ipsum Alexandrum Prædecessorem in ejus Signatura gratiæ super præmissis habuerant, cupiebantque juxta resolutionem, utraque parte informante, in eadem Signatura captam, causæ hujusmodi finem imponi: Idem Alexander Prædecessor supplicationibus eorundem Exponentium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, prædictos Fratres Capucinos, super prætensa fundatione Conventûs, seu Hospitii in loco Vianæ Calaguritanæ Diœcesis ampliùs non audiri, auctoritate Apostolica mandavit, ac decrevit, eisdemque perpetuum desuper silentium imposuit, & aliàs, prout in ipsius Alexandri Prædecessoris litteris desuper die 3. Septembris 1666. in simili forma Brevis expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem, sicut dilecti filii Fratres Minores de Observantia nuncupati, supradicti Conventûs Oppidi Vianæ Nobis nuper exponi fecerunt, prædicti Fratres Capucini die 30. Decembris proximè præteriti, sub nomine dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ, & Magistratûs Sæcularis dicti Oppidi Vianæ, nemine citato, nec audito, obtinuerint a Nobis rescribi Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, ut ejus arbitrio, non obstantibus clausulis in dictis Alexandri Prædecessoris litteris appositis, posset iterùm hujusmodi negotium examinari & definiri; Et in executionem rescripti hujusmodi eadem Congregatio Venerabili Fratri, moderno Episcopo Calaguritano scribi mandaverit, ut informationem super his ad ipsam Congregationem transmitteret; licèt autem transmissa per eundem Episcopum nova relatio memoratis Fratribus Capucinis favorabilis prætendatur, nullo tamen modo attendenda videatur, quippe quæ aliis duabus relationibus antecessorum Episcoporum, eorumque sententiæ deffinitivæ, ac probationibus judicialibus in processu causæ, & causarum hujusmodi contentis, & insertis adversetur: Et propterea Exponentes prædicti perpetuum eisdem Fratribus Capucinis silentium de novo imponi, tandemque hujusmodi dispendiosas, & scandalusas lites finiri summopere desiderent: Nos easdem lites penitus, & omnino dirimere, ac tollere, ipsosque Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui supraseriptum prætensæ fundationis negotium iterum examinârunt, atque discusserunt, ac desuper prædicti moderni Episcopi Calaguritani relationem, & partes informantes audiverunt, consilio, decreta ab eorumdem Cardinalium Congregatione, aliàs ad favorem Fratrum Minorum de Observantia dicti Conventûs de Viana emanata, & in prædictis Alexandri Prædecessoris litteris die 3 Septembris 1666. expeditis relata, in quibus ipsa Cardinalium Congregatio persistendum esse die 19. Augusti proximè præteriti decrevit, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis rubur adiicimus, ac perpetuum prædictis Fratribus Capucinis silentium super præmissis imponimus, ipsosque Fratres Capucinos circa hujusmodi fundationis petitionem non esse ampliùs audiendos, harum serie eadem auctoritate

tate

tate decernimus, & declaramus. Decernentes pariter ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces exsistere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabilitèr observari, & illis respectivè plenissimè suffragari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxx. Septembris MDCLIII. Pontificatûs nostri Anno Tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apost. Regesto mensis, & anni prædictor.

Non obstantibus Decretis, & Litteris Pontificiis, ac silentio imposito, ad instantias Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ Domum Fratrum controversam construi, Episcopo Calaguritano committit.

Venerabili Fratri Episcopo Calaguritano.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dudum, postquam fel. record. Alexander Papa VII. prædecessor noster, supplicationibus tunc exsistentium Fratrum Conventûs Oppidi, Civitatis nuncupati de Viana Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, Calaguritanę Diœcesis, nomine, sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, tunc etiam exsistentes Fratres Capucinos Custodiæ Navarræ novum Conventum eorum Ordinis in dicto Oppido fundare prætendentes, ac tam per duos Episcopos Calaguritanos prædecessores Tuos, quam subinde per plura decreta à Congregatione tunc exsistentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, ad favorem dictorum Fratrum de Observantia emanata, nec non resolutionem utraque parte informante in Signatura Gratiæ ipsius Alexandri prædecessoris captam rejectos, super prætensa fundatione novi Conventûs hujusmodi ampliùs non audiri, auctoritate Apostolica mandaverat, & decreverat, eisdemque perpetuum desuper silentium imposuerat, & aliàs, prout in ejusdem Alexandri prædecessoris desuper in simili forma Brevis die III. Sept. MDCLXVI. expeditis litteris pleniùs continetur: rec. mem. Clemens Papa X. etiam prædecessor noster decreta supradicta, in quibus ipsa Cardinalium Congregatio persistendum esse die XIX. Augusti MDCLXXII. decreverat, auctoritate prædicta confirmavit, & approbavit, ac perpetuum prædictis Fratribus Capucinis silentium super præmissis similiter imposuit, ipsosque Fratres Capucinos circa hujusmodi fundationis petitionem, non esse amplius audiendos itidem decrevit, & declaravit per quasdam suas pariter in forma Brevis expeditas litteras, tenoris, qui sequitur, videlicet: *Clemens Papa X. Ad futuram rei memoriam. Aliàs fel. record. Alexandro Papa VII. prædecessori nostro pro parte tunc exsistentium Fratrum Conventûs Oppidi, Civitatis nuncupati, de Viana Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Calaguritanæ Diœcesis exposito &c. Reliqua, uti in litteris præpositis.*

Cum autem, sicut pro parte charissimæ in Christo Filiæ Nostræ, Mariannæ Hispaniarum Reginæ Catholicæ, Nobis nuper expositum fuit, ipsa Marianna Regina præmissis non obstantibus, dictum novum Conventum Fratrum Capucinorum in Oppido prædicto pro spirituali Christifidelium illarum partium consolatione, atque utilitate fundari posse summopere desideret, suumque in id, dilecti Filii, Capitulum Ecclesiæ, & Magistratus Sæcularis dicti Oppidi consensum præstiterint, nec ullum exinde cuiquam præjudicium proventurum sit, cum populus ibidem numerosior & ditior de præsenti exsistat: Nobis propterea ejusdem Mariannæ Reginæ nomine humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur piis ipsius Mariannæ Reginæ votis

votis hac in parte, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus inclinati, ac vitis super præmissis iam Tua, quàm Venerabilis Fratris Josephi, Archiepiscopi Tessalonicensis, nostri & Apostolicæ Sedis in Regnis earumdem Hispaniarum Nuncii relationibus, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut, postquam Tibi constiterit, fabricam prædicti novi Conventûs cum Ecclesia, campanili, choro, sacristia, refectorio, dormitorio, hortis & spatiis, numeris omnibus esse absolutam, & supellectili tam sacra, quàm prophana sufficienter instructam, nec non ex eleemosynis piorum benefactorum hujusmodi Religiosos commodè, & absque aliorum Regularium præjudicio sustentari posse, ad petitam Conventûs erectionem in dicto Oppido Vianæ, & Religiosorum introductionem, servatis servandis, auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio & conscientia procedas, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Constitutiones Apostolicas & Ordinis, eorumque Fratrum Capucinorum circa novorum Conventuum erectiones præscriptæ sunt, religiosè serventur. Non obstantibus præmissis, ac præsertim præinsertis Clementis, & primodictis Alexandri prædecessorum litteris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus, & singulis illis, quæ in eisdem litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima sexta Novembris MDCXCVIII. Pontificatûs nostri Anno octavo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicor. Regesto mens. & ann. prædict. fol. 37.

Custodiam Navarræ & Cantabriæ in Provinciam erigi, & erectam omnibus aliarum Provinciarum juribus, & privilegiis frui & gaudere posse decernit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrosancti Apostolatûs officium humillitati nostræ per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio commissum, salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub arctioris disciplinæ instituto mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus in Ecclesia Dei adspirante Divini favoris auxilio proferre assiduè studentium statui, & felici directioni consulere peculiari sollicitudine studemus, sicut pia orthodoxorum Regum multiplicibus in hanc Sanctam Sedem meritis fulgentium vota postulant, & Nos omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis piorumque operum incrementum, & felicem progressum expedire in Domino arbitramur. Cum itaque, sicut nomine charissimi in Christo Filii nostri, Caroli, Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius, nobilis Vir, Gaspar de Haro, & Guzman, Marchio de Carpio, ejusdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Orator, Custodia Navarræ, & Cantabriæ Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nnneupatorum, octo Conventibus, ex quibus duo litterarum studiis, & unus Novitiatui respectivè destinati sunt, ac ducentis, & viginti duobus, vel circiter Fratribus constet, dictus verò Carolus Rex eandem Custodiam in novam dicti Ordinis Provinciam, ad instar aliarum ipsius Ordinis Provinciarum in Hispaniarum Regnis consistentium, quæ cum pari, vel minori Conventuum numero ante hac erectæ fuerunt, à Nobis erigi plurimùm desideret; Ad hanc autem erectionem non solùm Capituli generalis dicti Ordinis novissimè celebrati approbatio, sed etiam dilectorum Filiorum modernorum Superiorum ejusdem Ordinis consensus concurrant: Nobis propterea dictus Gaspar Marchio, ejusdem Caroli Regis nomine supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis ipsius Caroli Regis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratam Custodiam Navarræ, & Cantabriæ, in novam Ordinis prædicti Provinciam, quæ ab uno Ministro Provinciali, ac Definitoribus, aliisque Officialibus, juxta Constitutiones ejusdem Ordinis, auctoritate Apostolica approbatas eligendis, & assumendis, regi & gubernari debeat, ita ut ipsa nova Provincia, illiusque Minister Provincialis, Definitores, cæterique Officiales, & Fratres pro tempore existentes omnibus, & singulis privilegiis, juribus, præeminentiis, prærogativis, honoribus, gratiis, & indultis, quibus aliæ dicti Ordinis Provinciæ in Hispaniarum Regnis prædictis consistentes, tam de jure, usu, & consuetudine, quàm aliàs quo-

quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Custodiæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Januarii MDCCXXIX. Pontificatûs nostri anno tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apost. Regesto mensis, & anni prædictorum, fol. 9.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Episc. & Regul.

Fratres in novam Domum Oppidi Lerini introduci committitur, clausula juris Patronatûs demptâ.

SAcra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, referente Eminentissimo D. Cardinale Zondadari Ponente, attentis relationibus Episcopi Pampelonensis, atque Episcopi Calaguritani, Partibus quoque auditis, visisque juribus hinc inde deductis, ac re undique maturè perpensâ censuit committendum esse, prout præsentis Decreti vigore benignè committit eidem Episcopo Pampelonensi, ut veris existentibus narratis, & postquam sibi constiterit fabricam præfati Conventûs cum Ecclesia, campanili, choro, sacristia, refectorio, dormitorio, hortis, & spatiis, numeris omnibus esse absolutam, & supellectili tam sacra, quàm profana sufficienter instructam, ac ex eleemosynis piorum benefactorum inibi duodecim hujusmodi Religiosos commodè sustentari posse, ad petitam erectionem, & Religiosorum introductionem cum conditionibus & conventibus supra expressis, exceptâ reservatione juris patronatûs quoad Conventum, quæ clausula delenda est, pro suo arbitrio & conscientia procedat; Ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, & Ordinis præfati circa hujusmodi novorum Conventuum Regularium erectiones præscripta sunt, religiosè serventur &c.

Romæ 3. Septembris 1734.

Autograph. in Arch. Secret. Sac. Congregationis mensis, & anni prædict.

D E C R E T O

Sac. Congregationis Episc. & Regul.

In causa Domûs, seu Conventûs in Oppido Veræ fundandi RR. PP. Carmelitas inter — & Fratres nostros vertente, his fundatio conceditur, illis ostio supplicandi pro eadem licentia aperto relicto.

In Causa Pampelonensi fundationis Conventûs vertente inter PP. Carmelitas Calceatos Re-

gni Navarrae ex una, & PP. Capucinos ejusdem Regni ex altera partibus, circa licentiam concedendam ab hac Sacra Congregatione fundandi Conventum in Villa de Vera, praetendentibus PP. Capucinis ipsis solis esse concedendam, utpote munitis licentia Ordinarii, ac habentibus consensum Cleri & Populi praefatae Villae, non autem PP. Carmelitis, praefatis requisitis carentibus. E converso praedictis PP. Carmelitis ex variis motivis ab eis allegatis contendentibus esse ipsis quoque concedendam, quamvis PP. Capucinis quoque concedatur, quod non impugnant &c.

SAcra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, referente Eminentissimo Belluga, Ponente, Partibus auditis, ac re undique maturè perpensâ, relinquendo PP. Carmelitis praedictis ostium apertum supplicandi pro dicta licentia, postquam docuerint se habere requisita necessaria: pro nunc respondendo ad dubium propositum = *An, & cujus Conventûs fundationi sit locus, in casu &c.* = Decrevit esse locum fundationi PP. Capucinorum, & ampliùs causam hujusmodi non proponi mandavit &c.

Romae 12. Maji 1741.

Autograph. in Archivo Secret. S. Congreg. mensis, & anni praed.

DECRETO

Sac. Congregationis Episc. & Regul.

Hospitium merè saeculare, sine Oratorio publico &c., cum habitatione unius Sacerdotis, & alterius Laici dumtaxat, à RR. PP. Carmelitis Calceatis antiquae Observantiae in Villa de Vera retineri indulgetur, ac instrumentum obligationis pro observantia praescriptarum conditionum à RR. PP. Carmelitis susceptae, ad Sacram Congregationem mitti praescribitur.

In causa Pampelonensi praetensae retentionis Hospitii, vertente inter PP. Carmelitas Calceatos antiquae Observantiae Conventûs Civitatis Pampelonae, & Hospitii Villae de Vera ex una, & PP. Capucinos, Parochum, Clerum, & Populum ejusdem Villae de Vera, ac Clerum Dioecesis Pampelonensis ex altera Partibus, circa praetensam retentionem Hospitii eorumdem Patrum Carmelitarum in dicta Villa cum permanentia fixa, ac continua quatuor Religiosorum ejusdem Ordinis, trium nempe Sacerdotum, & unius Laici; E converso dictis PP. Capucinis, Parocho, Clero, & Populo dictae Villae, ac Clero Dioecesis Pampelonensis, variis ex motivis ab eis allegatis contendentibus idem Hospitium non posse retineri, sed potiùs esse abolendum.

SAcra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, referente Eminentissimo Barni, Ponente, Partibus auditis, ac re undique maturè perpensa respondendo ad dubium propositum = *An liceat Patribus Carmelitis Calceatis antiquae Observantiae Civitatis Pampelonae retinere Hospitium cum Oratorio privato in Villa de Vera, seu potius idem Hospitium sit abolendum in casu &c.* = decrevit, licere dictis Patribus Carmelitis retinere Hospitium merè saeculare in Villa de Vera ad formam resolutionis ejusdem Sacrae Congregationis, aliàs editae in causa Calaguritana, inter Regulares de Bilbao, & Carmelitas Discalceatos die 15. Septembris 1690. tenoris sequentis = Patres Carmelitas Discalceatos posse continuare in Hospitio, vel potiùs ipsum reducere ad Hospitium saeculare cum habitatione, quae tantummodo deserviat pro recipiendis Religiosis itinerantibus; quod in illo nulla servetur forma regularis, non erigatur Ecclesia, seu Oratorium formale cum janua in publica via, sed tantùm Oratorium internum, ad effectum inibi Missas, & orationes privatas pro eorum spirituali usu tantùm celebrandi, quod in illo Sacramenta non administrentur, nec fiant publicae Conciones, nec Divina, aliaeque functiones peragantur, nec tumulentur Cadavera, nec retineatur Campana, nec aliquod signum extrinsecum, quod vero Conventui adaptetur, & transcendat naturam, & conditionem meri, & simplicis Hospitii saecularis, additâ prohibitione quaestuandi, nec non, quod Regulares ad illud se transferentes non assument titulum Praesidentis, vel alterius officialitatis, subjiciendo ulteriùs in casum contraventionis ipso facto poenis contra Religiosos degentes extra Claustra, non obstante quacumque exemptione, aliisque arbitrio Sacrae Congregationis. Quae omnia eadem Sacra Congregatio securatè servari mandavit in casu, de quo agitur: insuper addito, quod in eodem Hospitio saeculari futuris temporibus permaneant unus tantùm Laicus, & unus tantùm Sacerdos, cum titulo

Syn-

Syndici ejusdem Ordinis Carmelitarum, commisitque Episcopo Pampelonensi reductionem dicti Hospitii, ejusque Oratorii juxta præexpressam formam, & quod super observantia præmissorum Provincialis, & Definitorium ejusdem Ordinis Carmelitarum validè se obligent coram ipso Episcopo, qui, Instrumentum dictæ obligationis ad eamdem Sacram Congregationem transmittat.

Romæ 16. Junii 1747.

C. A. Card. Cavalchini.

N O T A.

Executio hujus Decreti commissa fuit Illustrissimo & Reverendissimo Domino Hispaniarum Nuntio per litteras subjunctas.

A' tergo. *Perillustri, ac Reverendissimo Domino, uti Fratri, Nuntio Hispaniæ.*

Matriti.

Perillustris, ac Reverendissime Domine.

Ex libello supplici hisce annexo, & sub nomine tum Patrum Capucinorum Conventus Villæ de Vera Diœcesis Pampelonensis, tum Cleri & Populi ejusdem Villæ porrecto, Amplitudo Tua dignoscet, quid pro parte eorumdem Sacræ Congregationi fuerit expositum. Eminentissimi Domini mei, Ponente Eminentissimo Domino Barni, attentis expositis nota Amplitudinis Tuæ vigilantiæ commiserunt, ut jussu, vigore annexi pariter Decreti ipsius Sacræ Congregationis emanata executioni dari faciat, quem in effectum Decretum Ei transmittitur. Quod dum significo, à Deo prospera Eidem precor.

Romæ 6. Decembris 1748.

C. A. Cardinalis Cavalchini.

Autograph. & Decreti, & Litterarum in Arch. Secret. Congreg. mensis & anni prædict.

Libellus supplex in hisce litteris memoratus fuit tenoris subsequentis:

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini Domini.

Patres Capucini Conventus Oppidi de Vera, Diœcesis Pampelonensis, sicut & Clerus populusque ejusdem Oppidi, humillimi Eminentiarum Vestrarum Oratores, reverenter exponunt, qualiter, post acriorem litem contra Patres Carmelitanos Civitatis Pampelonensis spatio multorum annorum agitatam, & tandem anno 1741. in hac Sacra Congregatione decisam, cum ordine, quod in dicto Oppido de Vera, solus PP. Capucinorum Conventus, & non alius PP. Carmelitarum deberet construi, hi, tum ad decisionem ab hac Sacra Congregatione captam eludendam, tum ad intentum suum violenter acquirendum, in dicto Oppido Domum sæcularem conduxerint, in quam clandestinè, & successivè introducti, tandem in illa formale Hospitium Regulare cum Campana, & Oratorio primò privato, & postmodum publico erigere tentârunt, se se in illo ad formam Communitatis Regularis manutenentes, eleemosynas pro Missarum celebratione recipientes, & omnes actus à Regularibus in Conventibus legitimè, & cum solemnitatibus per Apostolicas Constitutiones præscriptis, erectis, fieri solitos exercentes.

Ad tollenda hujusmodi gravissima attentata, simulque ad præjudicium ob introductione supradicti Hospitii PP. Carmelitarum, quos nec Clerus, nec populus unquam admittere voluit, Capucinorum Conventui illatum reparandum, Oratores novam litem in Tribunali Ecclesiastico Pampelonensi introducere coacti sunt, quæ in gradu appellationis ad hanc Sacram Congregationem fuit devoluta, & circa quam, ab hac, causâ ab Eminentissimo Dom. Cardinali de Barni Ponente sub die 16. Junii 1747. propositâ, fuit resolutum = Licere Patribus Carmelitis retinere Hospitium Sæculare in Villa de Vera ad formam Calagurritanam anno 1690., & non aliàs, addito insuper, quod in ipso permaneant ad summum duo Laici, vel potiùs unus Laicus, & unus Religiosus Sacerdos tantum cum titulo Syndici = *fuitque executio relatæ resolutionis successivè à Sacra Congregatione Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Pampelonensi commissa.*

Quem-

Quemadmodum autem Illustrissimus speciali modo Patribus Carmelitis favere nititur, ita Decreto resolutionis prædictæ, sicut & commissionis ab eadem Sacra Congregatione ad Eum directæ, in debita forma illi ab Oratoribus præsentato, quatenus juxta exigentiam justitiæ, & venerationem Eminentiis Vestris debitam, illud executioni dari mandaret, præcipiendo Patribus Carmelitis relati Hospitii reductionem, juxta formam in Decreto expressam, supremo Eminentiarum Vestrarum ordini, quasi taliter contraire voluit. Ne verò transgressor compareret, & eodem tempore occasionem ulteriùs petitam Decreti executionem committendi, & ad effectum deducendi præscinderet, edidit Decretum, quo declaravit = Quod acceptaret, & acceptet jurisdictionem & facultatem Apostolicam, sibi à prædicta Sacra Congregatione concessam. = *Et ad intentionem suam, non exequendi dictam resolutionem, speciosè tegendam subjunxit* = Quod, antequam ad executionem supra nominati Rescripti transeat, necessarium cum Sua Sanctitate Benedicto XIV., & præfata Sacra Congregatione tractare debeat, quatenus hocce modo meliùs obsequio Dei, & Summi Pontificis, & paci, ac quieti dictorum PP. Capucinorum, & Carmelitarum antiquæ Observantiæ consulatur, & interim memorati Rescripti executio, & commissio suspendatur = *Ima præcepit, ne amplius in hoc negotio à nulla partium, interesse in eo habentium scriptura admittatur, prout totum in actis publicis in præsenti summario num. 1. registratis, & originaliter in manus Eminentissimi Domini Cardinalis Ponentis datis legitur.*

Ad hunc speciosum modum ab Illustrissimo Domino Episcopo servatum, Oratores variis vicibus per novas instantias iteratò Ei præsentatas reclamare tentârunt, quin hæ fuerint acceptatæ, prout ex Documentis aliis in præsenti Summario num. 2. & 3. registratis, & originaliter Eminentissimo Domino Cardinali Ponenti exhibitis apparet. Quapropter Oratores omni spe debitum relatæ resolutionis ab hac Sacra Congregatione emanatæ executionem ab Illustrissimo Domino Episcopo obtinendi se privatos, & ex alia parte à continuo præjudicio, à Patribus Carmelitis illato, & in discussione causæ in hac Sacra Congregatione facto, planè cognito se semper magis aggravatos agnoscentes, noviter ad Eminentias Vestras recurrunt, humiliter supplicantes, quatenus Illmo Domino Episcopo expressè mandare, ut sine ampla exceptione & mora resolutionem hujus Sacræ Congregationis exequatur, aut ad tollendum omne obstaculum Illustrissimo Domino Nuntio Hispaniæ executionem committere dignentur. Nam ex hoc, uti per experientiam compertum est, quod Illmus Dominus Episcopus, cui à Sacra Congregatione executio dictæ suæ resolutionis in causa proposita, & ab ipsa Sacra Congregatione, Partibus auditis examinata, captæ fuit commissa, hanc adimplere renuit, clarè patet, quod Sacra Congregatio dictam commissionem alii subjecto dare debeat, cum ab arbitrio Episcoporum dependere non debent, suprema Sacræ Congregationis jussa eludere, aut executionem justarum & supremarum resolutionum retardare, quemadmodum Imperator Justinianus monet, L. Constitutiones Cod. de jur. & fact. ignor. = Constitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. = *Cumque Sacra Congregatio ipsum Summum Pontificem repræsentet, & in suis commissionibus & ordinibus Apostolicâ procedat Auctoritate, eò gravior & reprehensibilior semper erit eorum transgressio, uti legimus* Cap. 3. de nov. oper. nunciat. = Si verò, quod non credimus, præceptum nostrum, sicut præmissum est, vel contempseris, vel distuleris adimplere, à Pontificali officio, ex tunc noveris te suspensum = Cap. 1. de postulat. Prælat. Can. omnis 11. quæst. 3., & Can. nulli dist. 19. = Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta &c. fit ergo ruinæ suæ dolore prostratus quisquis Apostolicis voluerit contraire Decretis = Gonzal. in cap. 5. de Rescript. Verb. reverenter adimpleas.

Quin Illustrissimo Domino Episcopo speciosa conducat excusatio, quod antequam ad dictæ resolutionis executionem procederet, consilia Sanctitatis Suæ, nec non & Sacræ Congregationis expetere deberet, cum ita Dei servitio, & Ordinum quieti conveniret, cum in una causa, qualis est, quæ tractatur, in qua Partes omnes plenè sunt auditæ, & à Sacra Congregatione rationes omnes maturè examinatæ, & in qua nec ipsi PP. Carmelitæ succumbentes pro nova Audientia institerunt. Ex qua clarè advertitur, quod novum & ita essentiale motivum, ob quod Illustrissimus Dominus Episcopus ab adimpletione sui debiti, cum prætextu prius consulendi Sanctissimum Pontificem, & hanc Sacram Congregationem impediatur, nec adsit, nec adesse possit, ita quidem, ut speciosæ ejus protestationes, ad contrarios actus palliandos factæ, in hac parte considerari debeant, prout in Cap. Quanto in fin. de Consuetud. = Cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subsit in effectu = *& sicut allegata ipsius excusatio dignoscitur frivola, ita illius dissensus convincitur contumax, juxta textum* Cap. inter dilectos 11. de excess. Prælat. = Excusationem prædictam frivolam reputantes, cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur. = *Eapropter Eminentiæ Vestræ humillimè rogantur, quatenus executionem resolutionis hujus Sacræ Congregationis Illustrissimo & Reverendissimo Domino Nuntio Apostolico Hispaniæ, qui, cen quoad Partes indifferens, supremo Sacræ Congregationis mandato obedire, sibi gloriosum ducet, committere dignentur. Et pro gratia &c.*

PRO-

PROVINCIA CASTELLÆ

FUndatis jam auſpice Cœlo intra Hiſpaniæ limites tribus Ordinis noſtri Provinciis, Cataloniæ videlicet, Valentiæ & Aragoniæ, variis expetirum eſt votis, ut & in ipſa Regum Catholicorum Curia, Hiſpaniarum corde, Carpentanorum Mantuana Sede, & florentiſſima utriuſque Caſtellæ Provincia, Capucina Reformatio ſurgeret, & Domicilium figeret. Spatio quinque annorum infeliciter deſuper actum fuit, nonnullorum, qui præporentes erant, contradictione obſtante. Vix autem Venerabilis Dei Servus, Fr. Laurentius à Brundudoſio, nominis æquè ac virtutis famâ prævïè jam notus, & ab Auguſtiſſimo Imperatore Rudolpho ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum ablegatus Matritum attigerat, facies rei turbatæ extemplò mutata, &, quod moroſa oblocutione dilatum ſeu impeditum fuit, ſuavi executioni, prodigiis, quæ in facie Aulæ Servus Dei patraverat, non parum acceleratæ, fuit mandatum: Regio enim favote exceptus Laurentius à Rege, & ad Reginam Margaritham Auſtriacam, cui Servus Dei, Viennenſis Conventûs fundationi tunc præſens, prima fidei Chriſtianæ rudimenta dederat, & ei à Confeſſionibus erat, miris reverentiæ & lætitiæ officiis fuit tractatus, nec diſcedere permiſſus, donec ſigno Crucis Domicillæ de Reginæ famulatu, à quatuordecim annis nervorum ſtupore ita acerbè agitatæ, ut nonniſi curva incedere, ſtare autem non poſſet, benediceret: obluctantem diutius Laurentii humilitatem vicit devotæ Reginæ ſermo & imperium; & vix ille ſignum Sanctæ Crucis ſupra Ægræ caput formavit, hæc ſtupente Regina & Regia aula erigi, & ſana ambulare cœpit. Portento non contenta Regina, donum devotionis, ſeu petium ſui Habitûs exquiſivit. Pretioſius Laurentius dedit, videlicet, maſſam terræ Montis Calvariæ, Sanguine Domini Noſtri Jeſu Chriſti tinctam, à Ser̃mo Bavariæ Duce in donum olim acceptam, & Cruci incluſam. Dubietas de veritate Reliquiæ dum gaudium Reginæ non parum minuit, Laurentius eam de identitate convicit; juſſit enim de Oratorio Regio Corporalia afferri, quæ ſuperimpoſitâ ſacrâ maſsâ ſubitò viſa ſunt hujus ſanguine conſperſa, ita ut Rex & Regina tantùm de portento attoniti, quantùm gaudio repleti illa devotè aſſervari juſſerint. Duplici hoc prodigio divulgato crevit erga Laurentium æquè,

ac

ac nostrum Ordinem devotio, & fortior de Conventu construendo invaluit discursus, obstrusa ora obloquentium, & obnixa in contrarium, & potentiâ munita studia versa sunt in auxilium, dum, quos fundationi prius contrarios hi numerârunt Ministros & Magnates, viderunt hujus ferventes fautores, ita ut tandem Clementissimus Monarcha, non solùm Matriti, sed & in aliis Civitatibus Conventus erigendi licentiam totâ Aulâ acclamante & congratulante concesserit. Quapropter anno 1609. die XI. Novembris in pervigilio Sancti Didaci Complutensis, Illustrissimus & Reverendissimus D. Camillus Caraffa, Apostolicus illarum partium Nuncius, locum & territorium pro coemeterio Hospitalis Italorum nuncupati aliàs destinatum, pro prima Capucinorum habitatione benedixit, & sequenti die Crux communi jubilo fuit erecta, Illustrissimo Domino Nuntio processionem comitante, & ad Sacras Aras celebrante, ac Rege, Regina, ac Magnatibus summa devotione tum huic tum illi assistentibus, & Capucinis fundamenta suæ Provinciæ in portentis & prodigiis posita fuisse, jure gloriantibus. Crescente in dies populi pietate nimis angustus visus fuit hic locus; hinc dum de ampliore & commodiore ædificio actum fuit, inter Magnates orta est fortis hujus habendæ æmulatio. Cedere debebant omnes Excellentissimo Duci de Lerma, primo Ministro Regio, qui locum Palatio suo confinem, & construendæ Domûs & Ecclesiæ, cum horto opportunum designavit. Ut prima petra cum devotione poneretur, Processio cum cœtu Cleri, & quadraginta nostrorum Fratrum ex aliis Provinciis confluentium fuit indicta & ordinata. Mediam horum turbam Eminentissimus Cardinalis Borgia cum suis Capellanis, quorum ultimus marmoreum & angularem fabricæ lapidem, plumbeæ capsæ inclusum, & nomina Summi Pontificis, Regis, Patroni, anni, diei, & horæ notantem in disco tulit, interfecuit, & Fratribus se immiscuit, actisque, quæ in hujusmodi functione agi Romanum Rituale præscribit, D. Cardinalis Pontificio Habitu indutus dictum lapidem in egesta terra collocavit, & plures adjunxit monetarum species. Pompa functionis illustrior facta est ex præsentia Regis, Principis, Regii Infantis, totius Aulæ cum Magnatibus, ac plausu populi turmatim accurrentis. Abundantiùs ut Rex Fratres in hoc memoriali die honoraret, eorum Conventum cum Regia Prole accedere dignatus est, vidensque mensam pulchrè quidem ex variis fructibus aptatam, instituto tamen nostræ paupertatis conformem, *nec pauperiorem, nec ditiorem* se unquam vidisse fassus est, & Serenissimo Principi & Infantibus eidem assidere, & cum Fratribus epulari indulsit.

Fabrica prima & capitalis hujus Conventûs vix fuit terminata, & Fratres ad eam anno 1610. in Vigilia Purificationis B. V. Mariæ translati, alia in regio nemore, *del Pardo* nuncupato, ubi & Reges diversionis Palatium tenent, regiis expensis fuit inchoata, Excellentissimo Domino Didaco Guzmano Indiarum Patriarcha primum lapidem ponente, & Rege cum Magnatibus functioni assistente. Hujus incolatum cœperunt Fratres, in Festo Præsentationis B. V. anno 1614., quo pariter Augustissimum Sacramentum sub solemni, Regis regiæque Prolis ac Magnatum, nec non Patriarchæ altesati præsentia decorata processione ad novam Ecclesiam fuit translatum, et in una hujus Capella, pretiosissima Christi Domini in Sepulchro jacentis imago, ad quam maximus semper fuit, et adhuc in dies devotionis et voti causâ continuatur populi confluxus, collocata.

In lapidibus Regiam munificentiam laudantes, et exempla virtutis in Fratribus mirantes plures Magnates æmula pietate his Conventus fundare con-

contenderunt. Ex fundo erexit illum in Civitate Toletana ad ripam celebris fluminis Tagi Eminentissimus D. Bernardus Sandoval & Roxas, Archiepiscopus Toletanus, Excellentissimi Ducis de Lerma Consobrinus, fuitque illius possessio 4. Martii 1611. Fr. Didaco à Quiroga infra commendando data in monumentum amoris, quo Fratres ita deperiit, ut sine iis vivere non posse videretur: hinc & Excellentissimam Ducissam de Terranova ad Conventum Complutensem construendum anno 1613. induxit. Postquam & Excellentissimus Marchio de Pobar & Malpica Conventum in Villa de Cubas, quinque leucis à Matrito dissita, & alium in Ditione Castellæ veteris, & celeberrima Civitate Salmantina Illustrissimus D. Joannes de Mier & Noriega jam fundâssent, regiâque Conventus ædificandi facultate ad Provinciam Bæticam seu Andalusiæ extensâ, Antiquariensis & Granatensis suum attigissent culmen, Commissarius omnibus Frater Seraphinus à Politio, virtute & signis clarus, præfuit usque ad annum 1615., quo & Definitores & Guardiani in Comitiis Custodialibus fuerunt electi, anno verò 1618. instante Rege Catholico, & Romæ Cardinale de Borgia, Regio Oratore operante, Custodia Castellæ & Andalusiæ Matriti 30. Septembris dicti anni in Capitulo, in Provinciam fuit erecta, et Fr. Bernardus à Quintanar utriusque partis Minister Provincialis proclamatus. Rumpi autem charitatis et gubernii compagem citiùs quàm credebatur, tum ob Conventus ex utraque parte adauctos, tum ob eorum inter se distantiam necessum fuit; hinc anno 1625. quinque Conventus Bætici à Provincia fuêre cum Custodiæ titulo segregati., Provinciâ Castellæ ad 7. Domos jam formatas, et alias in fabrica constitutas protensâ, jus Provinciæ retinente.

Quo favore, et quibus gratiis Serenissimi Reges eam semper prosequi dignati sint, perspicuè insertur tum ex honore, quo Philippi III. exemplum sectantes, Ministrum Generalem inter Magnates primæ classis (quod in Hispaniis æquè ac ubique locorum maximi decoris monumentum est) juxta jam supra fol. 306. dicta ascribunt, prout novissimè Reverendissimus P. Sigismundus à Ferraria excellentissimo Magnatum Cœtu comitante ad Regium solium ductus, Excellentissimo Domino ac Duce de Medina-Cœli, in patronatu Conventûs S. Antonii Ducis de Lerma hærede, ac pio erga Ordinem nostrum affectu Successore, Patrinum agente, à Potentissimo Rege Ferdinando VI. fuit adscriptus: tum ex officiis, quibus Fratres distinguunt, ita, ut à primordio suo usque ad præsens tempus semper tres, quatuor, vel etiam plures Concionatores Regios *ex munere*, speciali notâ dignos Provincia numeraverit, haud aliter ac alios, et tot, tum in Qualificatores supremæ in Hispania Inquisitionis, necnon Missionarios Apostolicos ad spargendam in Indiis Evangelii sementem, selectos vidit: tum ex liberalitate, qua Domum Fratribus supra memoratam Philippus III. construxit, et qua Magnus Philippus IV. Conventum Patientiæ Christi nuncupatum, et intra Matriti mœnia 1637. erectum, Fratrum incolatui cum selectu destinavit, Patronatu Serenissimæ Reginæ Elisabethæ Borboniæ Conjugi suæ, ad pias ejus instantias relicto, ita ut Domus primæ fundationis Regum, secunda Reginarum patronatu illustretur. Nec in hoc stetit Philippi IV. devotio, sed audito aërem Conventûs Pardi à glorioso suo Patre constructi, saluti Fratrum nocere, alium in altiore et salubriore loco è fundamentis ædificavit, Capellâ in honorem Beatæ V. Mariæ sub titulo Pacis, à Regibus æquè, ac à populo adhuc frequentatam, in prioris Conventûs situ relictâ. Fato eidem cum et Conventum Toletanum, ad ripas Tagi primò collocatum, obnoxium novisset, alium intra Civitatem in eodem loco, quo S. Leocadia Virgo et Martyr, Concivis et Patrona, squallores carceris,

martyrium et gloriosam mortem sustinuit, ære proprio fundavit. Extra studii mei cancellos prolixiùs non digressurus alia documenta hîc missa facio, et tum coacti mei silentii vindices, tum æternos gratosque Regiæ clementiæ, quam erga nos sibi ingenitam, et sceptro suo veluti affixam Serenissimi Reges tenent, Præcones, Ordinis nostri Annales linquo, ac ad Provinciam regredior, quæ sicuti spiritu Ven. Dei Servi Laurentii à Brundusio, cujus et venerabiles cineres intra suos limites, sub Altari adhuc claudit, et quos super hoc ponendos sperat, se progenitam, et virtute Fr. Seraphini à Politio excultam memorat, ita et prolem illustrem indesinenter educat.

A Francisco Hispalensi ex præclarissima Familia *de Velasco* catenam ordior, qui, uti jam memoratum est, in Provincia Valentiæ post 25. annorum inter RR. PP. Redemptionis Captivorum moras, se Deo, et Francisco auctoravit, in hac Castellæ Provincia doctrina Theologica, et sermone Evangelico fulsit, meritis plenus, miraculis tum in vita, tum post mortem clarus, Antiquariæ anno 1615. animam Deo Creatori suo reddidit, et cujus magnalia tum processus de ejus vita et virtutibus confectus, tum Annalium nostri Ordinis tomus tertius ad annum 1615. latiùs recensent.

Fr. Joannes, cui cunas natales et nobiles Villafranca dedit, quem Excellentissimus D. Comes de Benevento, Regni Valentini Pro-rex à secretis et Consiliis selegit, et S. P. Franciscus ad suum in Provincia Valentiæ vocavit Habitum, transiens ad illam Castellæ, suscepit (invitus licèt) gubernium Domûs S. Antonii, et ad septem annos continuavit, ea vitæ austeritate, et spiritûs unctione resplendens, ut Philippus eum suum quidem decerneret Confessarium, renitentem tamen ad id persuadere non posset. Mirè colloquiis ejus Serenissima Margarita ab Austria, Regina Catholica delectabatur, inducere eum autem nec illa potuit, ut Vela ad cooperiendos Altaris calices propriâ quidem manu elaborata, paupertati tamen nostræ minus conformia acceptaret, imò, dum potius Reginæ gratiis privari, quàm contra Institutum prævaricari se velle repetiit, Regina constantem virtutem tum stupuit, tum laudavit. Vivum Aula tota Regia Matritensis ceu Sanctum prodigiis, et prophetiæ dono celebrem Virum coluit: Defuncti inferias Illustrissimus D. Nuntius cum ampla Magnatum corona, et innumerabili populo celebravit, eumque ad tumbam, in qua edax putredo cadaver, ejusque vestes tangere per quindecim annorum spatium reverenter horruit, sociavit: quiescentis virtutem verò tertius Annalium nostrorum tomus concisè, manuscripta autem Provinciæ, & supplementum Annalium à Fr. Josepho Matritensi compilatum prolixiùs describunt.

In laudes Fr. Didaci de Quiroga ex Patre Caspare de Somoza et Quiroga, *de la Casa de Pol* in Regno Galliciæ Domino, nati, Ministri Provincialis, Qualificatoris Sancti Officii Inquisitionis &c. non introeo; quò plura enim calamus de illius ingenii acumine, rerum agendarum prudentia, & solidæ virtutis commeatu exprimit, aut lingua pangit, eò plura de iis referenda se offerunt: nec etiam introire debeo, dum ea summi Principes factis, & plurimi Authores scriptis absolverunt. Factis fecerunt, tum Ferdinandus III. Imperator, & Philippus IV. dum eum ad sacratiora consilia vocârunt, tum Maria Austriæ Imperatrix, Maria Anna, Philippi dicti Conjux, nec non Maria Theresia hujus Filia, Galliarum Regina, dum eum conscientiæ suæ arbitrum selegerunt. Usque ad muricen & purpuram Ecclesiæ hi & alii Principes merita ejus exaltârunt, & ab Urbano VIII. hoc quoque honore fuissent insignita, ni Didaci humilitas fortiùs obstitisset: Scriptis ejus memoriam commen-

mendant Historiographi, & alii plures, ex quibus Caramuelem audire instituto nostro sufficiat *tom.* 1. *Theolog. fund. fund.* 5. *tit. Syntheses Regul. num.* 825. ita loquentem: *Reverendissimum Patrem Didacum de Quiroga inter intimos habui, dum Viennæ viveret, & modò, dum triumphat inter cælites (ut spero) inter maximos Patronos veneror, doctissimum, ingeniosissimum. In Philosophia habebat multa præclarè cogitata, in Theologia multa magni momenti, & , ut insinuem aliquid, in materia de auxiliis rejectâ scientiâ mediâ, & physicis prædeterminationibus, pulchrè & clarè exponebat, quæ Thomistæ, & quæ Molinistæ non clarè. In Politicis summus: tota enim vita ille negotia publica tractaverat, etiam octogenarius, aut ferè, erat auxilio Regi, & directioni universis Legatis: At, quia confidebat memoriæ, etiam in illa ætate prodigiosæ, nihil scribebat omnino.*

Fr. Antonius *de Fuente la penna*, ex illustri *de Arias* Prosapia, Frater Emmanuelis *de Arias*, Equitis Melitensis, Commendatarii, & Ballivi, & postea Archiepiscopi Hispalensis, S. R. E. Cardinalis, & supremi Castellæ Consilii Præsidis &c. secundùm carnem Germanus, gubernaculum Provinciæ viriliter tenuit, spartam Commissarii Generalis in Sicilia feliciter gessit, inter primos inclytam Congregationem sub titulo Patris æterni, Matriti erectam promovit, & operibus Physico-Mathematicis, moralibus, ac mysticis, à Fr. Torricella *de scrip. Capuc. tom.* 5. *consult. pag.* 109., & à Fr. Joanne à S. Antonio *in Biblioth. Franc. pag.* 104. memoratis, virtutis suæ famam signavit.

Fr. Leander Montanus *de Murcia* ex nobili stirpe ortus, ea doctrinæ laude per totum Hispaniarum Regnum claruit, ut non solùm Provincia eum post alia munia suum Ministrum, Supremus Senatus Sanctæ Inquisitionis totius Regni Hispaniarum Qualificatorem, & Philippus IV. Rex Catholicus suum Concionatorem *ex munere* designaverint, sed & ipse operibus typo editis, & tum in Bibliotheca Scriptorum Ordinis, tum à Nicolao Antonio Hispalensi, Ordinis Sancti Jacobi Equite, *tom.* 2. *de Script. Hispan.*, tum ab aliis relatis, nomen suum Reipublicæ litterariæ venerandum reliquerit.

A Leandro sejungi non debet Fr. Basilius de Zamora, qui officia eadem, Ministri videlicet, Qualificatoris, & Concionatoris Regii *ex munere* gessit, & illud Commissarii Generalis in Provincia Bætica adjunxit. Eruditionis suæ profundæ indices, libros, typis non vulgavit, sed paravit, Geographicam Descriptionem videlicet totius Orbis &c. quæ tamen lucem publicam non aspexit, cum ipse in itinere Romam et Neapolim, quò Excellentissimum Ducem de Medina Cœli Confessarius comitatus erat, ad viam æternitatis beata morte secessisset.

Fr. Franciscum Antonium à Moncada, non solùm ortus ex præclarissima hujus Familiæ seu cognominis stirpe, sed et sublimis scientia, quâ utriusque juris Doctor, inter Advocatos et Consiliarios Regis facilè principem obtinuerat locum, et Procerum existimationem sibi conciliavit palmarem, plurimùm commendant. Viam quidem fama de ejus dotibus sparsa ad honores et opes illi paravit, ab illa tamen feliciter deflexit, ut inter Capucinos metam Evangelicæ perfectionis in spiritu humilitatis attingeret. Ita hæc in eo enituit, ut, dum de præmio laboris, quo Annales nostri Boverii in idioma Hispanicum transtulit, Minister Provinciæ cum eo agebat, ipse pœnitentiam pro defectibus sibi imponi rogaret.

Fr. Josephi Matritensis, ex nobili *de Pinelo* Familia oriundi merita abundè quidem, et gubernium Provinciæ, et Qualificatoris officium produnt, superexaltat autem ea Ministerium Apostolicum, eo nervo & fructu comple-

tum, ut Hispania tota Eum inter Concionatores vix non Principem collaudaret, & Carolus II., & Philippus V. Reges Catholici suum constituerent Ecclesiasten *ex munere*. Zelo Evangelii cum & vitæ exempla uniret, non solùm Carolus altefatus ipsius officiis & præsentiâ ad ultimam luctam confortari, & spiritum vitæ emittere voluit, sed & Philippi pariter altefati prima Conjux Ludovica Maria Gabriel à Sabaudia eum de sermone illius sensit spiritualis consolationis gustum, ut senio confectum, & podagra decumbentem in sella gestatoria ad Aulam Regiam sæpius portari jusserit, & ejus animum, inter illius temporis procellas hinc inde fluctuantem, eloquio illius recreari voluerit. Ab omnibus honoratus, sibi soli viluit, & honores, quos regius favor ei promptos habuit, viriliter despexit. Scripsit eruditè, dixit evangelicè, vixit semper & verè religiosè.

Fr. Michaël de Lima in America natus, ex nobili Cantabrica *de la Concha* prosapia, ea quoque virtutis eloquentiâ, & ingenii acrimoniâ micuit, ut Provincia ei plura officia contulerit, Carolus II. suum Concionatorem *ex munere* designârit, & Augustissimus Imperator Leopoldus, tunc Custodem ad Comitia Generalia Romæ celebrata, Viennam vocaverit, ubi, postquam vigesies quater in præsentia Augustissimi vocem quasi tubam exaltâsset, peculiaris honoris actibus fuit dimissus. Plura scripsit, pauca tamen, & non nisi minoris momenti in Bibliotheca sæpefata recensita, prælo dedit, sublimiora, morte in ætate quinquaginta annorum præoccupatus, in partu imperfecto reliquit, quæ & Oratoria sacra, & Eruditorum Respublica sibi subducta meritò deflent.

Fr. Felix de los Molinos ex illustri *de Alamin* stirpe composuit mores suos ad S. Professionis amussim, & quod in se complevit, felici calamo in suis libris Moralibus, Asceticis, Catechisticis &c. ad aliorum commodum expressit. Eum in his ultimis Eminentissimus Ludovicus Cardinalis Belluga & Moncada, rerum Ecclesiasticarum justus Censor, spiritum reperit, ut Episcopus adhuc Carthaginensis illorum typum & potenter sollicitârit, hujus expensas asse suo adjuverit, & transfusos in plurima exemplaria de ambone populo prælegi, Parochis injunxerit. Potissima actionum *Felicis* Dioptra fuit salus animarum, quam in proximo per Missiones & conciones impiger quæsivit. Nonagenarius stetit in suæ Professionis testamento, & opera religiosæ perfectionis insomni quoque pietate persolvit; in morte *FELIX*, *qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit ex sua spe*.

Filios, quos lacte virtutis nutrit, ac sacra Pallade informat, inter se non servat, sed & ad cæteras, & longinquas aliquando mittit regiones, de salute animarum sollicita Mater, Provincia: Misit ad Insulas Promontorii viridis, seu vulgò *Cabo verde*, Fr. Franciscum *de la Mota*, Virum opere & sermone potentem: & ad Americanas plagas Fr. Bernardinum Matritensem, qui redux, Provinciæ Minister, Regi à Concionibus factus, Principum & plebis amorem sibi devicit, cum illos & hanc, usu & exercitio annuarum suarum Missionum ædificaverit, & Sanctuarium Domini discretione Catholici dogmatis Matriti firmaverit. Ad Affricæ Regnum ardente quoque spiritu Zeli ferebatur Fr. Joseph *de Naxera*, & quemadmodum in hoc inter miserias, & discrimina per plures annos laboravit, ita & Ecclesiam Dei, multiplici fidei professione dilatavit.

Sudavit ultra sexaginta annos in Americanis Missionibus Fr. Marcellinus à Sancto Vincentio, & non nisi una vice duntaxat in hoc temporis spatio ad patrium Hispaniæ solum rediit, tum graviora Missionum negotia ibi tracta-

turus,

turus, tum novos operarios conducturus. Vir Dei nec pericula timuit, nec unquam laborem aut mortem recusavit: declinante jam ætate, asperos circuivit montes, foveas intravit & antra, animas ubique quærens, nec habens aliud fractarum virium fulcrum, quàm baculum, cui innitebatur. Haud aliter, ac victor captâ prædâ regreditur ad stationem quietis, Marcellinus sæpissimè Missionis habitaculum repetiit in exultatione, & Indas oves, quas ex antris sacrâ vi & furto abduxerat, caulæ doctrinæ cœlestis intulit, Christianisque sacris initiavit. Venenum, quod gentilis impietas sæpius illi propinavit, sine effectu bibisse, & prodigia eum usque ad numerum multiplicâsse dicitur, ut rara non ampliùs viderentur. Mitiores Indi illum ceu Patrem venerabantur, ùt Doctorem æstimârunt omnes illarum partium Missionarii, & plusquam nonagenarium Athletam Cœlum immarcescibili corona (ut piè credimus) redimivit, in ipso Americano Missionum campo, juxta novissimas litteras defunctum.

Merita Fr. Martini de Torrecilla stylo persequi mihi non sumo, cum eorum copia ingerat necessitatem prolixitatis, proposito meo adversam; meminisse sufficiat eum in Provincia officia gessisse omnia, à S. Officio Inquisitionis Qualificatorem *ex munere* fuisse constitutum, & ad Generale Ordinis Synedrium anno 1678. evectum: Doctrinam autem ejus ad Philosophica, Theologica, Canonica, Polemica, Apologetica extensam, jura Ecclesiæ, Summi Pontificis auctoritatem, privilegia Episcoporum, & Regularium, & præsertim Ordinis nostri à nonnullis æmulis lacessita illustrantem, multiplici Librorum fœtu gloriosam, sine elationis vitio claram, ab omnibus Hispaniæ Doctoribus æstimatam &c. antiquitatis memoria, fidelis rerum Custos, exaltabit, in hoc uno infelicem, quod ad idioma Hispanicum arctata, traductio ad alias linguas ejus utilitatem non reddat universalem.

Fr. Emmanuel Matritentis meritò quoque Generali huic Ordinis Senatui anno millesimo sexcentesimo octogesimo quinto junctus est, cum spiritu sapientiæ et consilii repleverit illum Dominus; hinc & Officium S. Inquisitionis, Qualificatorum cœtui cum inscripsit, Provincia Magistratu supremo decoravit, Nuntius Apostolicus in gravioribus negotiis ejus oracula exquisivit, Catholica Majestas Philippi IV. suum *ex munere* Concionatorem jam cooptatum ad consilia ascivit, & in quo fama candorem meritorum ad sæcula propagabit.

Hac quoque nostra ætate Fr. Paulus à Colindres, ex illustri *de Urina Calderon de la Barca* Familia, tum Equestri, tum Ecclesiastica dignitate conspicua ortus, in sæculo majoris Sanctæ Crucis Vallis-Oletani Collegii, cujus coccinea fascia, & appensa aurea Cruce 25. Alumni ex nobilioribus Regni Familiis assumpti decorantur, & in quo ad prima Regni, & Ecclesiæ munia aptantur, dignus Collega, ac primò in illa Universitate juris utriusque Professor, postmodum verò in Salmantina Sacrorum Canonum Doctor, Cathedraticus, & Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Doctoralis, Frater Illustrissimi & Reverendissimi Antonii Episcopi Osmensis secundùm carnem Germanus, felici voto Definitor, & consequenter ad litteras Clementinæ Constitutionis con-Commissarius Generalis, renuntiatus est, postquam priùs in Ordine officiis Secretarii Generalis, Missionarii Apostolici Orani in Affrica, Commissarii & Visitatoris Generalis in Provincia Valentiæ functus fuisset, & ultima Ordinis Comitia Generalia actualis suæ Provinciæ Castellanæ Minister accessisset. Virum de Ecclesia & Ordine meritum, ut Ferdinandus VI. gloriosissimè sceptrum Hispanicæ Monarchiæ tenens, de claustri tenebris, in luce & sole Ecclesiæ col-

collocaret, ad Mytram Barcinonensem novissimè nominavit, quam tamen ut acceptaret, nec Summi Pontificis, nec aliorum consilio aut suada induci potuit, Româ raritatem facti stupente, &, an Paulus Ordinem magis Infulæ renuntiatione, quàm ejus acceptatione collustraverit, necdum edoctâ.

Provincia talium, & aliorum plurium Virorum gloriâ corusca, regiâ munificentia tantopere fota, veneratione fidelium culta, & in vastissimum utriusque Castellæ veteris & novæ Dominium distenta, plures jam dudum numerâsset Conventus, regiâ facultate ad id communita, ni Zelus secundùm regulæ puritatem vivendi, discretio, alios Mendicantes, vel maximè Observantiæ, & Discalceatos Patres, quorum Conventibus utraque Castella abundat, non turbandi, & amor, potiùs lætitiam, quàm gentem multiplicandi, potiùs Monasteria Filiorum virtute, quàm Filios Monasteriorum numero implendi, populorum vota & instantias devotè rejicere suasissent. Post Conventus nihilominus quinque in Provincia Bætica à se fundatos, videlicet Antiquariensem, Granatensem, Malacitanum, Giennensem, & Illiturgicum numerat adhuc

Conventus Fratrum	XIX
Fabricam	I.
Monasteria Monialium juri Ordinariorum subjecta	VI.

Instante Maria Emmanuele, Marchionissa S.Crucis etc. in Domum ab Alvaro de Bacan, Marchione, ejus Conjuge, in memoriam reportatæ contra Turcas victoriæ in terra *del Viso* constructam Fratres induci, ac ob horum paucitatem Fratres de Observantia Discalceatos habitâ licentiâ in ea cohabitare etc. posse concedit.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cætera Divinæ Majestati quàm maximè accepta opera, illud præcipuè enumerari posse animadvertimus, quod ad Religiosas Domos, & Cœnobia fundanda, & erigenda pertinet, ac in his pia insignium Mulierum desideria, quæ ex devotionis ardore prodeunt, gratiâ nostrâ libenter prævenimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilecta in Christo Filia, nobilis Mulier, Maria Emmanuel, Marchionissa Sanctæ Crucis, quod, cum Dilectus Filius, nobilis Vir, Alvarus de Bacan, Marchio Sanctæ Crucis, ejus Conjux pietate ductus in memoriam reportatæ de Turcis, Christiani nominis hostibus, victoriæ prope Coryntiacum sinum, in quo universâ ferè classis Turcarum, dexterâ Domini faciente virtutem, superioribus annis penè extincta, & deleta fuit, in terra *del Viso* Toletanæ Diœcesis, ejus temporalis dominii extrui, ac ædificari curaverit Domum ad usum Religiosorum, in qua iidem introducti pro animabus fidelium, qui in ea pugna vitam, cum morte commutaverint, & sanguinem eorum pro Christi nomine fuderint, assiduas preces effundant, ejusdemque Marchionis intentionem esse in jam constructa Domo hujusmodi ob ingentem, quem eadem Maria Marchionissa erga Ordinem Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum gerit devotionis affectum, qui vitæ, ac morum sanctitate clarent, eosdem Fratres Capucinos ibidem introduci, & in dicti Ordinis Domum illam institui vehementer desiderat: propterea Nobis humiliter supplicari fecit eadem Maria Marchionissa, ut ejus desiderio satisfacere, aliàsque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui Divinum cultum, Religionemque propagari, animarumque saluti, præsertim eorum, qui gloriosè pro Christi nomine eo in prælio occubuerunt, consuli, sinceris exoptamus affectibus, nec non Mariæ Marchionissæ laudabile propositum merito

ritò in Domino commendantes, ædificia in terra *del Viso* prædicta, jam, ut præfertur, constructa unà cum Ecclesia, ac campanili, & campanis humilibus, refectorio, dormitorio, claustro, hortis, hortalitiis, & aliis necessariis officinis in Domum, & Conventum dicti Ordinis Fratrum Capucinorum pro uno Guardiano, & nonnullis Fratribus adinstar aliorum Conventuum, & Domorum ejusdem Ordinis, qui inibi Altissimo famulentur, precesque pro animabus fidelium defunctorum præfatorum juxta dicti Marchionis mentem Altissimo effundant, sine alicujus præjudicio, Apostolica auctoritate tenore præsentium erigimus, & instituimus, ita, quod Generali dicti Ordinis eadem Domus, ac Guardianus, & Fratres in illa degentes subsint, ac in eadem Domo statum, & essentiam Regulares dicti Ordinis Capucinorum penitus, & omnino introducimus, eandemque Domum, & in illa degentes personas omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, & aliis tam temporalibus, quàm spiritualibus gratiis, quibus alii dicti Ordinis Domus & Conventus utuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, aut poterunt, uti, potiri, & gaudere valere decernimus: Nec non in virtute sanctæ obedientiæ Generali ejusdem Ordinis præcipimus, ut pium desiderium Marchionis, & Mariæ Marchionissæ præfatorum, ut æquum est, adjuvando, quamprimum ex nunc in Domo terræ *del Viso* Guardianum, & congruum Fratrum numerum, qui in illa Altissimo famulentur, introduci curet, & faciat, ejusdemque Domûs, prout aliarum ejus Ordinis gerit, curam cogitationemque suscipiat, eandemque Domum alicui dicti Ordinis Provinciæ, prout de aliis ejusdem Ordinis consuevit, adscribat.

Et quia admodum pauci Fratres Capucini in illis partibus reperiuntur, aliquibus Fratribus Minorum de Observantia, in Regnis Hispaniarum Discalceatis nuncupatis, ut ex quibuscumque Provinciis, & Domibus, in quibus degunt, & in quibus professionem emiserunt, Superiorum petitâ, & obtentâ licentiâ, ad dictam nuper erectam Domum se transferre, ibidemque, si in ea benevolos invenerint Receptores, recipi, & admitti, Habitumque, qui in dicta Domo Capucinorum nuper erecta gestabitur, gerere, illiusque Regularibus institutis se conformare liberè, & licitè valeant, concedimus, & indulgemus, ac rogamus, enixèque in Domino requirimus charissimum in Christo Filium nostrum Philippum, Hispaniarum Regem Catholicum, ac illius Officiales, quacumque sæculari auctoritate præditos, nec non Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis, aliisque Ecclesiasticis personis in illis partibus degentibus injungimus, ut illi omnes, & singuli in præmissis promptè & efficaciter omni prorsus impedimento sublato faveant, & intendant; Mandantes quoque Dilecto Filio, Generali dicti Ordinis Capucinorum, ut aliquos Fratres sibi benevisos sui Ordinis ad dictam Domum habitandam quamprimum transmittat; Et nihilominus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Toletano, & Episcopo Giennensi, ac dilecto Filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alias præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Alvari Marchionis, vel Mariæ Marchionissæ, aut Fratrum prædictorum, aut alicujus eorum, fuerint desuper requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra, omnia, & singula prædicta suum effectum consequi: Non permittendo eos, aut eorum aliquem indebitè molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna juris & facti remedia, ac demum per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac prohibitione de non recipiendis novis locis, nisi de illa specifica mentio habeatur, dictique Ordinis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; Aut, si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Aprilis MDLXXVII. Pontificatûs nostri anno quinto.

Autographum in Archivo Vaticano Secreto Regesto II. Epistolarum Gregorii Papæ XIII. Epist. 177.

NOTA

NOTA

Executionem harum Litterarum subortæ variæ difficultates impediverunt, & RR. PP. Discalceatis Domum constructam occupandi sortem contulerunt.

Electionem Fr. Alexandri à Valentia in Concionatorem Regium ratihabet.

Dilecto Filio, Alexandro de Valentia, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum professori.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis zelus &c. Nos inducunt, ut Te præcipuo paternæ charitatis affectu complectamur. Cum itaque, sicut accepimus, charissimus in Christo Filius noster, Philippus, Hispaniarum Rex Catholicus, Te in suum verbi Dei Prædicatorem elegerit, & deputaverit, Nos, ut electio, & deputatio hujusmodi firmiùs subsistant, providere, teque, qui, ut etiam accepimus, Provinciæ Castellæ, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum Minister Provincialis existis, præmissorum meritorum tuorum intuitu specialibus &c. volentes, & à quibusvis &c. censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris electionem, & deputationem de persona tua in verbi Dei Prædicatorem per dictum Philippum Regem, ut præfertur, factas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Mandantes propterea Tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut hujusmodi munus acceptes, ac decernentes præmissa, ac præsentes litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, tibique in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam &c. consuedinibus; privilegiis quoque &c. innovatis. Quibus omnibus &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Maii MDCXXXIII. Pontificatûs Nostri Anno Decimo.

Autograph. in Arch. Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis, & anni prædict. fol. 182.

N O T A.

Albo Virorum; quos Provincia numerat illustres, meritò adjungitur Fr. Alexander hisce in litteris enuntiatus, tum quod in eo claritatem generis sublimea animi dotes accumulaverint, tum, quod Provinciæ clavum pari pietatis ac prudentiæ laude tenuerit; hinc & in nova Bæticæ Provinciæ erectione primus illius Minister fuit selectus. Exacto hoc munere, ad nativam Castellæ Provinciam regressus, regimen ejus secunda vice suscepit, ac in Aula Regia Concionatorem, ac post prælaudati P. Didaci à Quiroga mortem Augustissimæ Mariæ Austriæ, Philippi IV. Filiæ, & Ferdinandi III. Imperatoris Conjugis Confessarium egit.

Domum Fratrum in Civitate Segobiensi, etiam distantia aliàs requisita non concurrente, construi committit.

Venerabili Fratri Episcopo Segobiensi.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Minister Provincialis Provinciæ Castellæ Fratrum Ordinis Min. S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod ipse ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, Catholicæque Fidei propagationem, unam eorumdem Fratrum Regularem Domum in Civitate Segobiensi, licèt situs in eadem Civitate ad hunc effectum emendus, eâ cannarum quantitate, quæ à Decretis in Constitutionibus Apostolicis super hoc præscripta reperitur, ab aliis regularium Ordinum Domibus, seu Conventibus non distet, construi posse summopere desiderat; Quare Nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi desuper opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur piis dicti Ministri Provincialis

lis votis in præmissis, quantùm cum Domino possumus, benignè annuere, illumque specialibus &c. censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum oostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, Tibi per præsentes committimus & mandamus, ut impedimento distantiæ prædictæ non obstante, eidem Ministro Provinciali novum Conventum ejusdem Ordinis in eadem Civitate construendi, servatâ tamen in reliquis formâ Constitutionum Apostolicarum, & præsertim Decretorum nostrorum, nec non fel. rec. Clementis VIII., & Gregorii XV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, super novorum Conventuum erectione editorum, auctoritate nostra Apostolica facultatem concedas & impartiaris. Non obstantibus Decretis, seu Constitutionibus Apostolicis primodictis, nec non quibusvis Domorum, Conventuum & regularium locorum quorumcumque, etiam &c. consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, Domibus, Conventibus, & Regularibus locis prædictis, illorumque Superioribus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum &c. innovatis: Quibus omnibus, &c. etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis &c. habenda esset, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis &c. ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Maji MDCXXXVIII. Pontificatûs nostri anno decimo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædict. fol. 107.

DECRETO

S. Congregationis Rit. à Sanctissimo confirmato.

Corpus Principis Vincentii Gonzagæ in Fratum Sepulturâ Civitatis Salmantinæ, accedente P. Generalis assensu tumulari posse, conceditur.

SALMANTINA.

Cum supplicaverit Princeps D. Vincentius Gonzaga Sac. Rit. Congregationi pro facultate tumulandi suum Corpus in sepultura Fratrum Capucinorum Civitatis Salamancæ, apud quos ab aliquo tempore secessit, & ultimum diem obire desiderat, Sac. Congregatio gratiam petitam concedi posse censuit, dummodo non transeat in exemplum, & accedat Generalis ejusdem Ordinis expressus consensus, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit die 2. Augusti 1692. Facta igitur deinde Sanctissimo Domino Nostro relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit die 9. ejusdem mensis, & anni 1692.

Card. Cybus Præfectus.

Autograph. in Arch. Secret. Congregat. mensis & anni præd. fol. 110.

DECRETO

S. Congregat. Episc., & Regul.

Monasterium Monialium Capucinarum Matriti erigi, & Institutrices in illud introduci committitur.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, ac Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis relationibus, ac circumstantiis ab Archiepiscopo deductis, proponeote Eminentissimo Colloredo, censuit indulgendum, prout præsentis Decretis vigore benignè indulget eidem Archiepiscopo, ut ad præfatam Monasterii erectionem, servatis servandis, procedere possit, & valeat, eum facultate, introducendi Institutrices, ejusdem Ordinis ipsarum tantùm, & Ordinarii Loci consensu accedente, quæ quidem in dicto novo Monasterio per sexennium tantùm, si tamdiù pro introducenda, & stabilienda regulari observantia necessarium reputabitur, commoreotur. Et in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, & Ordinis circa hujusmodi novorum Conventum erectionem præscripta sunt, religiosè serventur.

Romæ 17. Decemb. 1694.

Autograph. in Archivo Secret. Congregat. mens. & ann. prædict.

Non obstante prohibitione de Libris è Bibliotheca non extrahendis, à Concionatoribus tales de Bibliotheca Conventûs Patientiæ Christi Civitatis Matritensis, etiam extra Conventum, de licentia Patris Guardiani pro tempore, extrahi posse indulget.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Conservationi, & manutentioni Librorum Bibliothecæ Conventûs Patientiæ Christi, Oppidi Matriti, Toletanæ Diœcesis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere, ac dilectos Filios, modernum Guardianum, & Fratres dicti Conventûs specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, ne de cætero quisquam quavis auctoritate, & superioritate fungens, libros, quinterna, folia, aut scripturas, tam impressa, quàm manuscripta, tam hactenus per quoscumque Christifideles dictæ Bibliothecæ donata, & assignata, quàm imposterum forsan donanda, & assignanda, quibusvis personis commodare, aut sub quovis quæsito colore, ingenio, causâ, ratione, vel occasione è dicta Bibliotheca extrahere, & transportare, seu, ut commodentur, vel extrahantur, & transportentur, permittere, aut consentire audeat quovismodo, seu præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nemo, nisi à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo, obtinere queat, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes, eo ipso, absque alia declaratione incurrendis, Apostolica auctoritate tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Permittimus autem, ut Fratres dicti Ordinis, verbi Dei Prædicatores, libros, quinterna, & folia hujusmodi è dicta Bibliotheca de licentia Guardiani pro tempore existentis Conventûs hujusmodi, cum cautelis per eum præscribendis, extrahere, & illis etiam extra dictum Conventum uti liberè, & licitè valeant; ita tamen, ut finito usu hujusmodi, in dictam Bibliothecam reportari, in eaque sub iisdem pœnis reponi debeant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, &, quatenus opus sit, Conventûs, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentis prohibitionis exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio loco conspicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affisum assiduè remaneat.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVI. Aprilis MDCCIII. Pontificatûs nostri Anno Tertio.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædictor. fol. 40.

PRO-

PROVINCIA BÆTICÆ,

SEU

ANDALUSIÆ.

FInis, seu Hispaniarum ultima Provincia, quæ Regnis Wandalitiæ, Granatæ, & Murciæ concluditur, coronat opus, seu ultimum tomum, Documenta Apostolica Provinciarum Ordinis particularia complectentem. Ex quinque Conventibus, à Provincia Castellæ Matre, uti fol. 368. dictum est, fundatis, anno 1625. surrexit in Custodiam, à Fr. Augustino Granatensi, ceu Commissario Generali, gubernatam, & ita Fr[illegible]rum virtute nitentem, ut intra modicum temporis spatium septem aliis Regularibus Domibus adaucta, anno 1638. in Provinciam fuerit erecta, litteras Apostolicas desuper expeditas Fr. Ludovico Cæsaraugustano, seu Caspense, in Capitulo Granatæ celebrato exequente, & Fr. Alexandro à Valentia, suprà fol. 370. commendato, ad primum Provinciæ moderamen assumpto.

Auspicatissimum ortum comite quasi gloria illustravit charitas, dum tempore, quo Civitatem Malacitanam ira Dei pestifero aëre afflixit, sacrificio 18. Fratrum, in obsequio infecti populi defunctorum, pietatem Provinciæ commendavit. Gemuerunt & anno 1649. diversa Bæticæ loca sub ejusdem mali squallore, & discurrens hinc inde zelus, 43. Fratrum victimis redimitus resulsit. Invasit quoque anno 1675., & subsequis tribus annis sæviit in potiore Provinciæ parte exitiosa lues, & 34. Fratres glorioso occasu coronam gloriæ sunt adepti.

Pro hac eadem sibi comparanda egressus est limites Provinciæ, & Americanas accessit regiones Fr. Placidus de Valizena, quam & in Provincia *de Caracas*, seu Venezuelæ, postquam effero Indo legem Evangelii, & gratiæ annuntiâsset, sanguine suo 4. Maii 1667. acquisivit, per manus infidelitatis effuso. Paucos ante annos encyclicis litteris vulgatum est Ordini gloriosum certamen, quod Fr. Bartholomæus à S. Michaële, Missionis Caracensis Præfectus, anno 1737. sustinuit, & in quo, dum positus in sagittam electam ad prædam animarum exiit, librato telorum imbre confixus, palmam triumphi reportavit, vario portento probatam. Non sanguine sed sudore Apostolico hanc

hanc eandem Fr. Josephus ab Antiquaria Provinciæ Definitor, & Ludovicus *de Priego* meruêre; primus quidem in Regno Congi anno 1642., alter verò in Promontorio viridi anno 1649., postquam uterque plures sacro latice mundatos, & gratia Christianæ professionis vinctos, libertati filiorum Dei aggregâsset.

Famam econtra sanctioris & prodigiis coruscæ vitæ inter Provinciæ lares adepti sunt Servus Dei Franciscus Hispalensis ex illustri *de Velasco*, Familia, jam aliàs memoratus, Fr. Severus à Lucena, ex nobili *de Tovar* prosapia, & Fr. Josephus de Linares, ex præclara pariter stirpe ortus, qui, quamvis vitæ cursum consummârinr sub Provincia Castellæ militantes, dignè quoque huic accensentur, cum cineres duorum primorum Antiquariæ, & tertii Granaræ requiescant, & cunctorum memoria virtutis in tertio Annalium tomo conscriptæ devotione populi conservetur.

Retinent eandem famam Fr. Augustinus Granatensis suprafatus, illustris Familiæ ramus, Concionator notæ specialis, & primus Provinciæ Commissarius Generalis: Fr. Josephus Hispalensis ex nobili *de Porras* stirpe, in sæculo militari S. Jacobi Ordine insignitus; & Fr. Franciscus Antonius de Corduba, ex præcelsa Marchionum *de Priego* progenie. Nec reticeri debet Frater Augustinus ab Antiquaria, Joannes *de Castillo & Padilla* in sæculo dictus; non solùm enim Provinciam suæ eonversionis ad nos transitu ornavit, sed & conductis secum duobus Filiis, videlicet Frater Hermenegildo, & Leandro fœcundavit, quorum ultimum yirtus Catholicæ Majestaris Concionatotem, S. Officii Inquisitionis Qualificatorem, & Ministrum Provincialem renuntiavit.

Allecti hoc virturis exemplo, avito nobilitatis Sanguini Evangelici contemptûs professionem prætulerunt Fr. Stephanus Granarensis ex nobilissima *de Rivera* Domo, lineam stemmatis à sanguine Ducum *de Arcos* ducente: Fr. Felix Granatensis Commissarius Generalis, ac Provincialis, ex parentela Ducum *de Naxera*, *& de Maqueda* oriundus: Fr. Leander Cordubensis, ex Familia *de Herrera Fernandez*, plurium Ducum, Marchionum & Comitum affinitare illustri: Fr. Franciscus à Granara, in sæculo Marchio *de Algarinejo*: Fr. Joannes Raymundus Hispalensis, ex celebri Ducum *de Montemar & Bitonto* stipite: FF. Theodorus, Gabriel, & Caspar, Hispalenses, ex clarissima *de Neftares* prosapia, Fratres secundùm carnem germani: Fr. Hilarion de Loxa, ex nobilissimo *de Roſſal* saru: Fr. Eugenius Granatensis conspicuæ *de Paz* gentis germen: Fr. Lucas Hispalensis, ex nobilissimo *de Soto*, *& Langarica* genere: Fr. Joseph de Marchena, ex famosa *de Quiros* familia: Fr. Joseph inclytæ *de Ayala* Domûs proles: Fr. Joannes Franciscus Granatensis, ex spectatissima *de Arriola* propagine: Fr. Michaël de Quesada, insignis *de Los Bustos* prosapiæ soboles: Fr. Isidorus Hispalensis, ex clarissimo *de Medina Vicentelo* stemmate: Fr. Augustinus Granatensis Clericus, aliàs jam laudatæ *de Alarcon* Domûs partus: Fr. Mathæus Hispalensis laicus, ex antiquissima, & Heroum fæcunda *de Mendoza* Familia &c.

Hi, & alii, quos præterire eogor, id, quod sanguinis jubar præstitit, vel virtute, vel industria, vel spiritu superârunt doctrinæ.

Hanc & insignem narrabit ætas in amplo illo Fratrum numero, qui Rempublicam Litterariam, fœtu sui studii collustrârunt, & quorum nomina in Bibliotheca Ordinis obviàm clarent, ita ut aliud mihi non restet, quàm ut projectim recensito eorum merito, quos Ordo habuit ex hac Provincia Definitores Generales, colophonem ponam.

Horum primum mihi regesta Capitulorum Generalium exhibent Fr. Franciscum

ciscum de Xeres, insignem Sacræ Theologiæ Lectorem, prudentem Provinciæ Ministrum, facundum Evangelii Præconem, ab ipso quoque Philippo IV. Rege Catholico in suum electum, plurium operum Authorem, & anno 1667. ac 1971. supremo Ordinis confessui aggregatum.

Sedem & in hoc nactus est anno 1719. Fr. Franciscus à Santander, accessumque ad eam tum per gradus officiorum, quæ in Provincia Magister Novitiorum, Guardianus, & Definitor gessit, tum per laborem, quo P. Ministro Generali à secretis astitit, facilitavit.

Nec immeritò huic quoque adscribitur Provinciæ Fr. Cirillus à Cubla; quantumvis enim jure professionis Valentina suum prætendat Filium & Patrem, cum tamen in Bætica Ministerio Provinciali fungeretur, & pro parte ipsius Custos Comitiis Generalibus anno 1733. celebratis interesset, de illius electione in Definitorem Generalem, & amplo, quo utramque Provinciam illustrat, merito dignè gloriatur, ampliata ad

Conventus Fratrum	XXI.
Missiones extra Provinciam	IV.
Monasteria Monialium	V.

Situm ad mensam Episcopalem Ecclesiæ Hispalensis spectantem, pro aliis duobus terræ petiis in novi Conventûs ibidem commodum permutari concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Andalusiæ, Nobis expositum fuit, quod, cum fabricæ novæ Domûs Regularis dicti Ordinis prope, & extra muros Civitatis Hispalensis necessarius esset quidam situs ad mensam Episcopalem Ecclesiæ Hispalensis spectans, dilecti Filii Syndici, seu Administratores fabricæ prædictæ duo terræ petia pro dicto situ eum dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis dictæ Ecclesiæ permutârunt, &, ut permutatio hujusmodi in evidentem utilitatem mensæ Episcopalis dictæ Ecclesiæ cederet, summam trecentorum ducatorum eisdem Capitulo, & Canonicis persolverunt, prout in Instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes permutationem hujusmodi, Apostolicæ confirmationis robore muniri summopere desiderent, Nos specialibus favoribus, & gratiis eos prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, permutationem prædictam, desuperque confectum Instrumentum cum omnibus, & singulis in eis contentis, licitis tamen & honestis, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus. Decernentes illam, nec non præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod dicta summa trecentorum ducatorum, in aliorum bonorum stabilium em-

emptionem pro dicta mensa Episcopali commutetur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Julii MDCXXXIV. Pontificatûs nostri anno undecimo.

Autographum in Archivo Secretariæ Brevium Apostolicorum Regesto mensis & anni prædict. fol. 229.

Custodiam Andalusiæ in Provinciam erigendi facultatem largitur.

Dilecto Filio, Ministro Generali Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm, sicut Nobis nuper exponi fecisti, Tu Custodiam Andalusiæ Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum in Provinciam ejusdem Ordinis erigere, & in visitatione Provinciarum Tolosæ, & Helveticorum dicti Ordinis per Te facienda, Provincias hujusmodi, &, quod ob illarum vastitatem, juxta Constitutionum Ordinis prædicti dispositionem visitari nequeunt, ac & quia in pluribus Capitulis Generalibus dicti Ordinis à Patribus earumdem Provinciarum hac de re institutum fuit, dividere posse summopere desideres, Nos votis tuis hujusmodi, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, Teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Tibi dictam Custodiam Andalusiæ, constito Tibi de quantitate, & qualitate Domorum illius ad id requisitis, in Provinciam dicti Ordinis auctoritate nostra erigendi, nec non Provincias Tolosæ, & Helveticorum prædictas, in illarum visitatione per Te facienda, dicta auctoritate dividendi facultatem, & licentiam eadem auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Custodiæ, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Augusti MDCXXXVII. Pontificatûs nostri anno decimo quinto.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mensis & anni prædict. fol. 8.

Situm Domorum Regularium Antiquariæ, & Ezixæ vendi, & pretium ad fabricas novas applicari indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii Ministri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Andalusiæ, Nobis expositum fuit, quod ipse duos situs Conventuum ejusdem Ordinis, quorum unus in *de Antequera*, alter verò in *de Ezixa* oppidis, Civitatibus nuncupatis, in locis insalubribus constructi sunt, & ad præsens ab eisdem Fratribus inhabitantur, vendi facere, pretiumque inde proventurum ad opus fabricæ novorum Conventuum pro eisdem Fratribus aliis in locis salubrioris aëris cooperti posse plurimùm desiderat. Quare Nobis humiliter supplicari fecit, ut opportunam sibi desuper licentiam concedere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eumdem Exponentem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Eidem Ministro Provinciali, quod ipse prædictos situs quibusvis personis, meliorem conditionem offerentibus vendi, & alienare facere, & pretium inde redigendum in opus fabricæ aliorum novorum Conventuum converti liberè, & licitè possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur. Non obstantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis,

sta-

statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Octobris MDCXL. Pontificatûs nostri anno decimo octavo.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apostolicorum Regesto mensis & anni prædict. fol. 5.

In Conventu Granatensi Novitios seorsim à corpore Familiæ habitare mandat, ac de aliis pro Novitiorum commodo providet.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs Conventui Granatensi dicti Ordinis quadraginta, & ampliùs Fratrum familiam habere solito, quidam benefactor, cum pluries tentatum fuisset Novitiatum in illa Provinciæ Conventûs prædicti parte institui, nec id fieri potuisset, Domum quasi novi Conventûs amplitudine, cum suis officinis, pro educatione Novitiorum Ordinis hujusmodi adjunxit, in qua ipsi Novitii seorsim à Fratribus professis dicti Ordinis habitant. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, non omnes memorati Conventûs Fratres, attentâ eorum multitudine, eximiis, eisque qualitatibus præditi esse valeant, ut Novitiis prædictis ædificationi sint, sed necesse sit in eo plures senes, & infirmos, ac alios minùs aptos collocari. Nobis propterea idem Minister Generalis, de consilio totius Diffinitorii Ordinis prædicti, ut asserit, humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum Ministrum Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis &c. absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut Novitii prædicti seorsim à corpore dictæ Familiæ dicti Conventûs, ut præmittitur, habitantes, non nisi Chorum, & Ecclesiam communes cum reliquo familiæ hujusmodi de cætero habeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Ac propterea, ut in Guardianos Conventûs prædicti, nec non Magistrum Novitiorum, ac reliquos octo, vel decem Fratres professos magis maturos, & exemplares, qui ad habitandum unà cum eisdem Novitiis destinati fuerint, reliqui de prædicti Conventûs familia compromittere valeant, ad hoc, ut illi soli ad dandum suffragium pro admissione ad professionem dictorum Novitiorum concurrere debeant, auctoritate, & tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari, illisque plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac consuetudinibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Ordinis, ac Provinciæ, & Conventûs hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti MDCLVI. Pontificatûs nostri anno secundo.

Autograph. in Archivo Secretar. Brevium Apost. Reg. mens. & ann. præd. fol. 35.

Decretum de Sepulturis in Ecclesia Monialium Granatæ non alienandis confirmat.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ, Abbatissa & Moniales Capucinæ nuncupatæ Monasterii Granatensis, quod, cum ipsarum Exponentium, quæ Jurisdictioni & gubernio Venerabilis Fratris Archiepiscopi Granatensis subjacent, Ecclesia intra mœ-

mœnia Civitatis Granatensis de consensu dicti Archiepiscopi cum sepulchris tam in Capella majori, quàm in aliis ipsius Ecclesiæ partibus ita decenter ædificata reperiatur, ut quæcumque etiam nobilioris qualitatis personæ cadavera sua ibidem sepeliri mandaturæ sint, indeque multùm utilitatis dictu Monasterio, quod cæteroquin pauperrimum est, proventurum sit; si verò proprietas sepulchrorum hujusmodi venderetur, Monasterium prædictum temporis progressu, eleemosynis, quæ inde sperari possunt, destitutum remaneret: memoratus Archiepiscopus necessitati ejusdem Monasterii providendi, ac omnia abusûs, qui introduci posset, occasionem tollendi ergò, præfatis, & pro tempore existentibus Abbatissæ & Monialibus dicti Monasterii, sub pœna excommunicationis prohibuit, ne proprietatem sepulchrorum hujusmodi sub quovis prætextu, vel quæsito colore unquam vendant, vel alienent, & aliàs, prout uberiùs continetur in ipsius Archiepiscopi Decreto desuper emanato, ac de vulgari Hispanico idiomate in Latinum verso, tenoris, qui sequitur, videlicet: *Franciscus de Reys & Mendoza, Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Archiepiscopus Granatensis, à consiliis Majestatis Catholicæ, ac ejus Concionator &c.* Visis à Nobis personaliter tum Ecclesia noviter constructa pro Monasterio Monialium Capucinarum intra hujus Civitatis muros, & nostræ filiationis, & obedientiæ existente, tum sepulturis tam in Capella majore, quàm in aliis ejusdem partibus ita amplè, decenter, & sumptuosè fabricatis, ut quæcunque Persona, etiam Nobiliores Civitatis & Regni, cadavera sua in iis humari desiderare possit. Ex quo, prædicto Monasterio multa accedent commoda & augmenta temporalia ob eleemosynas, quæ ab hujusmodi Depositis & sepulturis provenient, & quæ majores erunt, & quotidie continuabuntur, propietate sepulchrorum non alienatâ, sed econtra pro præfato Monasterio reservatâ, cum utile ex horum venditione procedens, duntaxat tempore unius Abbatissæ recipiatur, & aliis succursus eleemosynarum, quæ à sepulturis continuò Conventui indigo, & alios fructus & redditus præter subsidium devotionis fidelium non habenti, sit defuturus; hinc conservationem & augmentum tam religiosæ & sanctæ Communitatis cupientes, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, terna canonica monitione in jure præmissa, Matri Abbatissæ præsenti, & illis, quæ in hoc officio ei succedent, aliisque dicti Monasterii Monialibus præcipimus, ne proprietatem dictorum sepulchrorum ulli Personæ, cujuscunque sit status, qualitatis & conditionis, vendant, cum monitione, quod venditio & alienatio, quæ fiet, nullius sit valoris & effectûs, prout ex nunc pro tempore, quo fiet, declaramus, & quod contra inobedientes, veluti contumaces eo rigore, quem jus Nobis permittit, simus processuri. Dat. 18. April. 1675.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictæ Exponentes, utilitatis, quæ Monasterio prædicto ex præmissis proventura est, intuitu, Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat & servetur exactiùs, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & earum singulares personas à quibusvis &c. censentes, supplicationibus earum nomine Nobis &c. inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui veris existentibus narratis, prædictas sepulturas, ex quo jam reperiuntur extructæ, tolerari posse censuerunt, consilio, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabilitèr observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam &c. Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, &c. attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Monasterii, & illius Ordinis etiam &c. statutis, & consuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Julii MDCLXXV. Pontificatûs nostri Anno sexto.

Autograph. in Archivo Secret. Brev. Apostolicor. Regesto mensis, & anni prædictor. fol. 316.

P. Pro-

P. Provincialem, & quatuor Deffinitores constituit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Debitum Pastoralis Officii, quo Catholicæ Ecclesiæ regimini Divinâ dispositione præsidemus, salubriter exequi, adjuvante Domino jugiter satagentes, Christifidelium, qui è fluctibus sæculi in portum vitæ Religiosæ confugerunt, statui feliciter dirigendo, peculiarem curam adhibemus, illisque de idoneis Superioribus, & Ministris, quorum operâ in charitatis, & religiosæ tranquillitatis amœnitate prospetè gubernentur, interdum providere studemus, sicut locorum, temporum, & personarum qualitatibus maturè consideratis ad Dei gloriam ac Religionis incrementum, felicemque progressum expedire in Domino arbitramur. Itaque felici, prosperoque Provinciæ Bæticæ, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, in quo, ut accepimus, gravissimi abusus, & inordinationes in Divini servitii, Regularisque observantiæ, & quietis ipsius Provinciæ detrimentum vergentes vigent, regimini, & gubernio, quantùm Nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, ac de infra scriptorum ejusdem Ordinis Professorum fide, prudentia, charitate, integritate, pietate, vigilantia, & religionis Zelo plurimùm in Domino confisi, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. & absolutas fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectos Filios, Antonium de Arabal in Ministrum Provincialem, ac Antonium de Lebrija in primum, Petrum de Hardales in secundum, Franciscum de Constantina in tertium, & Eusebium de Utrera, Fratres expressè professos Ordinis prædicti, in quartum Deffinitores dictæ Provinciæ Bæticæ respectivè ad tempus, quo ejusmodi officia juxta Regularia dicti Ordinis instituta per Sedem Apostolicam approbata durare consueverunt, cum omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis tenore præsentium constituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis memoratæ Provinciæ Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut suprà nominatos Fratres ad officia eis respectivè per præsentes demandata, illorumque liberum exercitium recipiant, & admittant, illosque recognoscant, & illis in omnibus, quæ ad officia hujusmodi pertinent, faveant, & assistant, pareantque, & obediant respectivè. Ac decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios &c.: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios &c. contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento &c. confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores &c. ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Julii MDCCXXIV. Pontificatûs nostri Anno primo.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium Apostolicor. Regesto mens. & ann. prædict. fol.68.

Ad restituendam Provinciæ tranquillitatem Regis Catholici operam exquirit.

Charissimo in Christo Filio nostro, Philippo, Hispaniarum Regi Catholico.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Charissime in Christo Fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad gravissimas molestias, & acerbissimas curas, quæ in hac temporum adversitate Nobis undique oboriuntur, animumque nostrum incredibili dolore discruciant, inde facta est tristitiæ & mœroris accessio, unde curarum allevamentum, & sollicitudinis solatium expectare debuissemus. Incredibili enim dictu est, quo errore abducti nonnulli Fratres Capucinorum Provinciæ Bæticæ debitam legitimis Superioribus obedientiam detrectaverint, ac sui Ordinis Constitutiones palam contemnentes hujus etiam Sanctæ Sedis mandata, & auctoritatem neglexerint. Quæ verò inde mala provenerint, & quàm perturbata totius Provinciæ

disciplina sit, fusiùs Tibi Venerabilis Frater Archiepiscopus Rhodiensis, noster, atque hujus Sanctæ Sedis apud Majestatem Tuam Nuntius explicabit. Illud profectò majorem Nobis dolorem incussit, quod laicæ potestatis subsidio omnis hæc regularis disciplinæ perturbatio invaluisse perhibeatur. Inquieti siquidem homines cum regii consilii Tui præsidium Sacris Canonibus impendendum pertimescere debuissent, inde potius inobedientiæ suæ, & erroris opem adsciverunt. Quod quidem, quàm triste Nobis acciderit, & quàm periculosum sit, Majestas Tua satis intelligit. Ubi enim diffidentibus ita hominibus ad licentiam, & errorem is aditus patet, nihil Ecclesiæ tutum, nihil disciplinæ tranquillum, nihil denique Majestati Tuæ in reddendis Christo Judici rationibus securum erit: quæcumque enim Christifidelium mala, & Ecclesiastici regiminis detrimenta, quæ forsitan per nonnullos Regio nomine, & auctoritate abutentes illata fuerint, de manu Tua requirentur, nisi eximiæ pietatis, & integritatis imperio, eosdem intra fines traditæ potestatis contineas. Animi certè Tui perspecta Religio, atque exempla Christianæ virtutis Tuæ latissimè pervagata, bono animo Nos esse jubent, & sollicitudini nostræ opportunum solatium pollicentur. Sed imposita Nobis Apostolicæ vigilantiæ necessitas, & paternus amor, quo gloriam nominis Tui, animæque utilitatem prosequimur, urget Nos, ut Ecclesiæ necessitates, & anxietates, luctusque nostros apud Majestatem Tuam fidentiùs aperiamus. Paternis igitur lacrymis Majestatem Tuam hortamur & obsecramus, ut auctoritate Tua obsecundante, Bæticæ, quam memoravimus, Capucinorum familiæ, dissensionibus, discordiisque jactatæ pristina tranquillitas restituatur, Religiosos suæ professionis oblitos ad parendum Præpositis, & regulis suis compellas, & Ministris Tuis, ne inposterum detrectantibus Regularibus perfugio sint, sedulò inbibeas; non alio enim studio adducti hujusmodi Regulares, laicos Magistratus obturbant & invocant, quàm, ut suæ contumaciæ adversus Præpositos suos præsidium nanciscantur. Hoc proinde à Te regiæ potestatis officium omnium Regularium Ordinum disciplina deposcit, ne, quorum preces apud cœlestem Regem felicitati rerum tuarum suffragari debent, eorum conculcatæ leges divinam potiùs offensionem in Regnorum damna commereant. Hoc denique à Majestate Tua optatissimum filialis obedientiæ testimonium expectamus: ac Tibi, Charissime in Christo Fili noster, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Martii MDCCXXV. Pontificatûs nostri anno primo.

Archiepiscopus Emissenus
à Secretis.

Autograph. in Archivo Secret. Brevium ad Principes Regesto mensis, & anni prædictor. fol. 459.

Poscit opem eandem, & Fr. Franciscum Giennensem audiri commendat.

Charissimo in Christo Filio nostro, Philippo, Hispaniarum Regi Catholico.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Charissime in Christo Fili noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exitus aquarum deduxerunt oculi nostri, dum dissensiones audivimus, quæ Fratres Capucinos Provinciæ Bæticæ perturbant & agitant, atque ingenti cum disciplinæ regularis jactura, etiam post adbibita per hanc Sanctam Sedem opportuna remedia magis in dies ingravescunt. Eò enim diffidentium fervor progressus est, ut non solùm Constitutionum suarum præscriptiones, & Commissarii, ac Procuratoris Generalis auctoritatem parvipenderet, sed Apostolicis etiam litteris, & mandatis nostris refragaretur, iisque contemptis Capitulum Provinciale nullum prorsus, & irritum semel, & iterum celebraret. In tanta autem ingemiscentis, turbatæque Provinciæ calamitate, quod unum suppetit, paternæ nostræ sollicitudinis consilium, regiam pietatem Tuam imploramus, & obedientium Religiosorum, quorum major est numerus, ad Majestatem Tuam luctus, lacrymasque deferimus. Ad Te illi manus tendunt orantes, ut sibi liceat legitimis Superioribus obtemperare, Instituti sui regulas tenere, & conscientiæ securitatem recuperare, propter quam abdicatis sæculi curis in eam vitæ austeritatem se se abdiderunt. Quod quidem sine tuæ auctoritatis ope obtinere non possunt, nisi scilicet Ministris tuis præcipias, ut inquietorum Fratrum interpellationes rejiciant, eosque ad suarum Constitutionum, & mandatorum nostrorum obedientiam, suo etiam subsidio compellant. Postquam enim hîc Romæ sæpius auditi sunt tam apud Superiores suos, atque apud Venerabilem Fratrem nostrum, Franciscum, Episco-

ſcopum Prænestinum, S.R.E. Cardinalem, Ordinis Protectorem, quàm apud Sacram Congregationem negotiis Regularium præpoſitam, alia non ſupereſt ad reparandam pacem via, quàm ut litteris noſtris in forma Brevis datis die vigeſima nona menſis Junii anno 1724. obedientia deferatur, & quæ in illis mandavimus, omnino ſerventur. Nam, quod diſſenſionis auctores temerè confiduot fore, ut turbæ omnes reſtitutâ tranquillitate ſedentur, ſi duo Capitula Provincialia præpoſterè contra ſui Ordinis, & hujus Sanctæ Sedis Conſtitutiones celebrata confirmentur, nova potius mala ſereret, quàm diſſeminata convelleret, & peſſimo exemplo bonorum animos dejiceret, ſervorem verò detrectantium aleret, ac foveret. Da igitur operam Tuam virtute dignam, & Beati Franciſci Familiæ neceſſariam, ut perturbationes, ac diſſidia ritè per debitam, ac religioſam obedientiam removeantur. Præſidii antem tui neceſſitatem, ut pleniùs intelligas, Te, Chariſſime in Chriſto Fili noſter, vehementer obteſtamur, ut inſigni, quâ ſoles, benignitate dilectum Filium Franciſcum Gienenſem ejuſdem Ordinis audire ne graveris, à quo rerum geſtarum ſeriem, ne quid fortaſſe à vero alienum Majeſtati Tuæ ab adverſis partibus inſinuetur, fideliter enarrandam accipies. Illum verò virtutibus, & regularis obſervantiæ ſtudio Nobis meritò acceptum, Majeſtati Tuæ magnopere commendamus, ut Regio patrocinio tutus, bono animo operam ſuæ Provinciæ ſalutarem impendat. Ac Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 1. Auguſti MDCCXXV. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Archiepiſcopus Emiſſenus
à Secretis.

Autograph. In Archivo Secret. Brevium ad Principes *Regeſto menſ. & anni prædict. fol.* 63.

APPENDIX

DOCUMENTORUM APOSTOLICORUM

Earum Regularium Domuum, quæ in Locis, in quibus nec Provincia nec Custodia, sed unus aut alter Fratrum, seu Monialium Ordinis Conventus tantùm existit, reperiuntur.

INSULA MAJORICÆ.

INter Insulas Hispaniæ, ab antiquis Baleares cum titulo Regnorum nuncupetas, & ad Orientem Regni Valentiæ situatas, Majorica, à Stadel in compendio Geographiæ territor. fol. mihi 24. maxima dicitur, in qua opum divite Episcopue cum Prorege, omnibus aliis Hispaniæ Insulis jura dicente residet, & Conventus Fratrum nostrorum à Reverendissimo Patre Ministro Generale dependens reperitur, circa cujus constructionem sequentes litteræ Apostolicæ emanârunt.

Fundationem novæ Domûs in Insula Majoricæ Fratribus interdicit.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatorum in Insula Majoricæ degentium, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod Fratres Minores Ordinis ejusdem Sancti Francisci Capucini nuncupati, jam inde ab anno 1649. promovere cœperant fundationem novi Conventûs in Insula, & Civitate Majoricensi, sed propter angustiam regionis, & nimiam quantitatem Conventuum, & Monasteriorum aliorum Mendicantium, ac Monialium usque ad numerum quadraginta trium in Insula, quorum viginti septem

sunt

sunt Mendicantium, & ex his, octo Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, alia duo Monachorum, & reliqua Monialium, fuerant semper rejecti: & nihilominus cum defacto ibidem hospitium aperuissent, dicta Congregatio ad supplicationem eorundem Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia die 28. Januarii 1650. injunxerat tunc existenti Ordinario Majoricensi, ut attenta contradictione dictorum Mendicantium nihil innovaret, nec permitteret, ut Fratres Capucini Hospitium, nec aliam Domum in dicta Civitate aperirent, nec retinerent. Verùm dictis Fratribus Capucinis obedire recusantibus, opus fuerat, ut eadem Congregatio die 15. Junii ejusdem anni 1650. præcisè committeret Episcopo, ut illos cogeret ad discedendum ab Insula: sed illis obstinatissimè recusantibus obedire, prævio etiam confugio ad prætensas exemptas Domos Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, iterum ipsa Congregatio mandaverat expressè eidem Episcopo, ut ordinationes circa eorumdem FratrumCapucinorum expulsionem hujusmodi exequeretur, prout in ternis dictæ Congregationis litteris super præmissis respectivè emanatis pleniùs dicitur contineri; & successivè, nempe die 7. Septembris 1657. eadem Cardinalium Congregatio per suum Decretum injunxerat Ordinario Majoricensi, ut non permitteret, contradicentibus aliis Mendicantibus, absque Sedis Apostolicæ expressa facultate, in ea Civitate per Fratres Capucinos Conventuum erigi, seu per ejusdem loci Cives, Ministros, seu quoscumque alios super præmissis quidquam quomodolibet attentari, sed servari circa ea, quiequid in ipsis Congregationis litteris ad eundem Ordinarium aliàs datis continebatur, mandaret & præciperet, in contrarium non obstantibus quibuscumque, dictumque Decretum, etiam per quasdam fel. rec. Alexandri Papæ VII. Prædecessoris nostri litteras in simili forma die 28. Januarii 1658. expeditas confirmatum fuerat: His tamen non obstantibus, dicti Fratres Capucini die 5. Septembris 1671. nulla facta mentione prædictorum Decretorum Congregationis prædictæ, subreptitiè à Nobis per quasdam nostras pariter in forma Brevis litteras obtinuerant facultatem, & licentiam erigendi dictum novum Conventum in dicta Civitate Majoricensi, de consensu Ordinarii, cum clausula tamen, servatis aliàs ex præscripto Constitutionum Apostolicarum servandis, prout in eisdem litteris uberiùs continetur, illarumque vigore die 2. Augusti proximè præteriti, non citatis, nec auditis memoratis Fratribus Minoribus de Observantia nuncupatis in dicta Insula octo Conventus, ex quibus duo sunt antiquissimi, in ipsa Civitate habentibus, extorserant consensum à Ven. Fratre Episcopo Majoricensi, & successivè clam, & de nocte in certis domibus Hospitium speruerant cum Oratorio, & Cappella publica, etiam cum campana, celebrantes quotidie Missas in ea, prout ex processu publico in dicta Congregatione exhibito constare dicebatur, unde die 27. Ianuarii proximè præteriti proposita causa super subreptione dictarum nostrarum litterarum, & revocatione attentatorum earum vigore commissorum, Congregatio prædicta utraque parte informante, rescripserat, seu decreverat easdem litteras nostras tanquam subreptitias non esse exequendas, & quidquid vigore illarum gestum erat, tanquam attentatum, esse revocandum, ac servandas esse ordinationes, & decreta aliàs data & facta: Et in eadem expositione subjuncto, quod, cum eisdem Fratribus Capucinis contra hujusmodi Decretum nova audientia concessa fuisset, prædicti Exponentes ex iisdem rationibus supra relatis, & aliis deductis in scripturis antea exhibitis, cupiebant confirmari dictum Decretum, cum impositione etiam perpetui silentii, & præcepto, seu specifica commissione eidem Ordinario Majoricensi, ut per censuras, aliaque remedia necessaria omnino compelleret dictos Fratres Capucinos discedere à prædicta Insula Majoricensi, juxta supra relatas ordinationes, emanavit ab eadem Congregatione novum Decretum tenoris qui sequitur, videlicet: *Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus informantibus, re iterum maturè, ac diligenter discussa, referente Eminentissimo Sanctacrucio censuit, persistendum esse in Decreto, aliàs die 27. Januarii 1673. edita, quo prædictis Fratribus Capucinis impositum fuit super prædicta controversia fundatione perpetuum silentium, necnon injungendum esse, prout præsenti Decreto injungit Ordinario Majoricensi, ut omnia gesta in executionem supradictarum litterarum Apostolicarum tanquam subreptitiarum, utpote attentata, revocare omnino faciat, ad quem effectum prædicto Ordinario facultatem necessariam, & opportunam eadem Congregatio impertita est; Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ 21. Apr 1673. Fr. Card. Brancatius. Loco ✠ Sigilli N. Casanata Sec.*

Cum autem, sicut pro parte prædictorum Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri pluri-
mum

mùm desiderent; Nos specialem ipsisExponentibus gratiam facere volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Maii MDCLXXIII. Pontificatûs nostri Anno tertio.

Exempl. in Typographia Cameræ Apostolicæ impressum in Archivo generali Ordinis Armario Majorica.

Revocatis omnibus in contrarium emanatis, Domum Fratrum prædictam, ad Civitatis et Regni preces construi indulget.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii, Fratres Provinciæ Aragoniæ Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum ipsi aliàs, videlicet die 5. Septembris 1671. indultum fundandi in Regno Majoricæ Conventum eorum Ordinis, servatâ tamen Constitutionum Apostolicarum dispositione, sibi à fel. rec. Clemente Papa X. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis litteras Tibi, seu tunc existenti Episcopo Majoricensi directas, concedi obtinuissent, Teque, seu dicto Episcopo permittente, ad actualem unius Conventûs cum Ecclesia in Civitate Majoricensi erectionem devenissent; dilecti etiam Filii, Fratres Minores ejusdem Sancti Francisci strictioris Observantiæ nuncupati, qui in prædicto Regno à pluribus abhinc annis duos insignes Conventus possident, prætendentes se gravatos, & asserentes præfatas literas Apostolicas obreptionis, & subreptionis vitio laborare, ex quo in illis recensitum, & expressum non fuerat, quod dudum, nempe anno 1649. instantibus iisdem Fratribus Capucinis pro obtinendo hujusmodi fundationis indulto, & contradicentibus ipsismet Fratribus strictioris Observantiæ, Congregatio tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, die 28. Januarii 1650. Et respectivè diversis aliis temporibus, nempe die 15. Junii 1650., die 24. Aprilis 1653., & 7. Decembris 1657. uniformibus Decretis, etiam per litteras Apostolicas confirmatis, mandaverat, pro tempore existenti Episcopo Majoricensi, ne permitteret Fratribus Capucinis Conventum, aut Domum quamcunque in prædicta Civitate erigere, ipsisque præciperet, ut à præfata Insula discederent: & insuper asserentes, qood in primodictis litteris rec. mem. Alexandri Papæ VII. etiam Prædecessoris nostri pariter in forma Brevis expeditis, quibus specialiter prohibetur in Regno Majoricæ aliquem Conventum fundari, nisi servatâ quinque leucarum distantiâ ab aliis Conventibus jam erectis, institerunt autem pro

pro declaratione hujusmodi subreptionis, & Apostolici indulti revocatione. Quare proposito & maturè discusso dubio, eadem Congregatio die 27. Januarii 1673. decrevit literas primodictas, tamquam subreptitias, non esse exequendas, & quidquid vigore illarum erat gestum, tanquam attentatum esse revocandum, ac servandas esse ordinationes, & Decreta aliàs facta. Iterumque proposito dubio die 27. Aprilis ejusdem anni, perstitit in decisis, & perpetuum imposuit silentium, mandavitque Tibi, seu tunc existenti Episcopo Majoricensi, ut omnia gesta in executionem primodictarum litterarum Apostolicarum, utpote attentata, revocari faceres, seu faceret. Quæ quidem ejusdem Congregationis Decreta, per aliàs ejusdem Clementis Prædecessoris litteras similiter in forma Brevis expeditas, appprobata, & confirmata fuerunt, & pro prædictorum omnium executione, Monitorium à dilecto Filio, Causarum Curiæ Apostolicæ generali Auditore relaxatum, & ipsis Fratribus Capucinis intimatum fuit. Verùm stantibus præmissis, cum dicti Fratres Capucini, eâ, quæ par est, obedientiâ, Apostolicis mandatis obtemperantes, & à prædicta Insula in Hispaniam trasfretantes, Conventum, quem, ut supra dictum est, erexerant, vacuum dimisissent, Civitas Majoricensis videns se tam piis Religiosis orbatam, tota in amaritudinem conversa est, & ad memoratum Clementem Prædecessorem recursum habuit humiliter supplicando, ut attento consensu exterorum omnium Religiosorum Mendicantium supremæ suæ pietatis dona impertiri dignaretur, & eisdem Fratribus Capucinis specialem gratiam, & favorem facere retinendi, seu de novo fundandi ibidem Conventum, in quo duodecim Religiosi permanere possent; Ipse verò Clemens Prædecessor, devotis prædictæ Civitatis, & Regni precibus, quantùm æquitati consentaneum foret, annuere cupiens, præviâ oris aperitione, specialem Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium benignè deputavit, in qua, dum utriusque partis rationum monumenta discutiebantur, benedicente Domino, res in pace composita sunt, & præfati Fratres Minores Strictioris Observantiæ, discretiore consilio fraternam charitatem exercentes, suum præstiterunt consensum. Quare dicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis &c. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, & memoratæ specialis Congregationis Cardinalium consilio, attentis supra expressis, ac noviter deductis, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut, postquam Tibi constiterit, fabricam novi Conventûs hujusmodi cum Ecclesia, choro, sacristia, dormitorio, refectorio, aliisque officinis, hortis, & spatiis esse numeris omnibus absolutam, & supellectilibus tam sacris, quàm profanis sufficienter instructam, quod ex piorum benefactorum eleemosynis duodecim Religiosi sustentari commodè possint, ad prædictam erectionem, & fundationem auctoritate nostra Apostolica pro tuo arbitrio procedas. Non obstantibus supradictis Decretis, & Apostolicis in forma Brevis literis, & præsertim dicti Alexandri Prædecessoris, aliisque Ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub' Annulo Piscatoris die IX. Novembris MDCLXXVI. Pontificatus nostri Anno Primo.

Autographum in Archivo Secret. Brevium Apostolicorum Regesto mens. & anni prædict. fol. 548.

ULYS-

ULYSSIPO

In hac Portugalliæ Metropoli præter duas Fratrum Residentias, de quibus in tomo de Missionibus forsan agi occurret, Monasterium Monialium Capucinarum reperiri, suprà fol. 60. col. 1. relatum, ejusque fundatio descripta est, de qua Documenta Apostolica habentur sequentia:

Quatuor alias Moniales ex Monasteriis Civitatum Parisiensis, & Turonensis ad fundandum Sanctæ Crucis Monasterium Ulyssiponem transferri indulget.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Expooi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo Filiæ Moniales, Capucinæ nuncupatæ, Monasterii Sanctæ Crucis, Civitatis Ulyssiponensis, quod, cum aliàs, videlicet die 19. Septembris MDCLXXI. auctoritate Apostolica indultum fuerit, ut è Monasteriis Monialium pariter Capucioarum. *Residuum vide supra fol. 59.*

Fratres Missionarios Provinciæ Britanniæ à spirituali prædictarum Monialium cura eximit, hasque juri Ordinarii subjicit.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Ad Ecclesiasticam disciplinam juxta Sacrorum Canonum Sanctiones in suo primævo statu conservandam, atque eam, ubi per privilegia justis ac rationabilibus de causis olim concessa aliquo pacto minimè servari contigisset, iterum opportunè restituendam, pro suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione &c.

Eapnni siquidem nuper fecerunt, dilectæ io Christo Filiæ, Superiorissa, seu Abbatissa, & Mooiales Monasterii Sanctissimi Crucifixi, Capucinæ nuncupatæ, sub Regula Sanctæ Claræ, Civitatis Ulyssiponensis. *Residuum vide supra fol. 112.*

LIMA

L I M A

IN AMERICA MERIDIONALI.

MAgnam potentiam Dei folius bumiles laudare debemus, dum Capucinum nomen in fœmineo fexu ad primam Regni Peruani Sedem, & Civitatem, Limam, diffufum effe reminifcimur. In virtute id evênit, cum enim ex Hifpaniis vocata primæ Fundatrices ad hujus Saculi initium, quo bellum terrà, marique accenfum fæviit, à Gaditano portu folverentur, infelici vento illarum navis Anglis in prædam ceffit. Oves inter Lupos fe cecidiffe dum ingemuerunt, Amicos illos expertæ funt, non folùm enim eas peculiari bonore tractârunt, fed & rigidiore mandato infolentiam militis in officio tennerunt, Regique Portugalliæ eas credi jufferunt. Excepit Rex fideliffimus *pia affectu exultantes in Domino, & periculum in fortem verfum mirantes, eafque in Monafterio Monialium collocari mandavit, ufque dum fecuriore viâ ad fuæ deftinationis metam perduci poterant. Collandavit & poftmodum Summus Pontifex manu Cœli protectum earum Zelum litteris, quæ fequuntur.*

Monialibus Civitatis Limanæ in America de fabrica Monafterii feliciter abfoluta congratulatur, eafque ad viam religiofæ perfectionis conftanter tenendam admonet.

Dilectis in Chrifto Filiabus, Abbatiffæ, & Monialibus Monafterii Ordinis Sanctæ Claræ, Capucinis nuncupatis, in Civitate Limana.

CLEMENS PAPA XI.

Dilectæ in Chrifto Filiæ, falutem & Apoftolicam Benedictionem.

REpleti fumus confolatione, & fuperabundavimus gaudio, ubi ex literis veftris die 30. Januarii, anni 1717. ad Nos confcriptis audivimus, fublatis iis omnibus, quæ humani generis hoftis objecerat, impedimentis, novi tandem Monafterii Sanctimonialium Capucinarum nuncupatarum, fub aufteriori regula Sanctæ Claræ, fundationem in ifta Civitate feliciter abfolutam fuiffe, ibique modò eamdem Regulam à Vobis, quo decet, pietatis ftudio, fpiritûs fervore, ac mentium conjunctione fervari: roborante fcilicet Domino, qui potens eft fufcitare de lapidibus Filios Abrahæ, virium veftrarum infirmitatem, ac palam oftendente nihil obftare iis, qui divino illius præfidio muniuntur, quò minus fub omni cælo Evangelicæ perfectionis viam inire, & Crucem mortificationis libenti, pacatoque animo ferre poffint. Vos igitur, Dilectæ in Chrifto Filiæ, vehementer hortamur, ac paternè admonemus, ut Cæleftis Agni, cujus nuptiis arctiffimo fœdere confecratæ eftis, honorem, tanquam veræ Sponfæ, zelare nunquam intermittatis, ac æmulemini in dies charifmata meliora: in primis autem memoratum Sanctæ Claræ inftitutum, quod tantâ cum no-

minis vestri laude, nec sine præcipua istorum Populorum ædificatione, in extremam istam, nostroque ab Orbe tam longo marium, terrarumque spatio dissitam regionem transtulistis, omni ope, curâ, & sollicitudine custodire pergatis, nullamque demum illius relaxationem, aut mitigationem inter Vos ullo tempore invehi, vel admitti patiamini. Quod si feceritis, quemadmodum Vos facturas esse de perspectâ religione, zeloque vestro Nobis certò pollicemur, magnam animo spem concipimus fore, ut Monasterium vestrum Divini Sponsi benedictionibus cumuletur, ac novas aliquando proferat suaveolentes Limanas Rosas, quæ universam Catholicam Ecclesiam Christianarum virtutum non tantùm odore perfundant, sed etiam fulgore condecorent, ac illustrent in perpetuas æternitates. Eum porro in scopum Nos assiduum cælestium gratiarum incrementùm Vobis, Dilectæ in Christo Filiæ, enixè precamur, Pontificiæque charitatis nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. XVIII. Januarii MDCCXIX. Pontificatûs nostri anno decimo nono.

Autographum in Secret. Brevium ad Principes *Regesto mensis, & anni prædict. fol.36.*

TABULÆ

TABULÆ TOPOGRAPHICÆ

In quibus Domus Regulares, seu Conventus Provinciarum, quarum hic Tomus V. meminit, latino & vernaculo nomine indicantur, pariterque Diœcesis Conventuum, & locorum, in quibus existunt, qualitas, cum fundationis anno exprimuntur, & in quibus Hospitia, Residentiæ, Missiones &c. quas nonnullæ Provinciæ extra suos limites in quatuor Mundi partibus ceu proprias occupant, carptim juxta ultimi Capituli generalis tabulam recensentur, paucis nominibus immutatis, paucisque locis adjunctis, vel variatis, plurium additione ad Tomum, de Ordinis Missionibus & Residentiis extra Provincias acturum reservatâ.

PROVINCIA PARISIENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen lociGallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*AnnusFund*
Abbavilla.	*Abbeville*.	Civitas.	Ambianensis.	1601.
Ambianum.	*Amiens*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1593.
Antisiodorum.	*Auxerre*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1606.
Atrebatum.	*Arras*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1640.
Belliovacum.	*Beauvais*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1603.
Bethunia.	*Bethune*.	Civitas.	Atrebatensis.	1645.
Bononia ad mare.	*Boulogne sur Mer*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1618.
Calesium, *seu Caletum*.	*Calais*.	Civitas.	Eadem.	1619.
Carnutum.	*Chartres*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1584.
Castro-Theodorium.	*Chateau Thiery*.	Civitas.	Suessionensis.	1623.
Colomericum	*Coulomiers*.	Civitas.	Meldensis.	1616.
Compendium.	*Compiegne*.	Civitas.	Suessionensis.	1611.
Crespiacum.	*Crepy en Valois*.	Civitas.	Sylvanectensis.	1644.
Drocum.	*Dreux*.	Civitas.	Carnutensis.	1615.
Fara.	*La Fere*.	Civitas.	Laudunensis.	1644.
S. Florentinum.	*S. Florentin*.	Civitas.	Eadem.	1621.
Juveniacum.	*Joigny*.	Civitas.	Senonensis.	1607.
Laudunum.	*Laon*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1614.
Lutetia Parisiorum.	*Paris*.	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1574.
.... S. Honoratus.	*S. Honorè*.		Eadem.	1613.
.... S. Jacobus Major.	*S. Jaques Maj.*		Eadem.	1625.
Medonum.	*Meudon*.	Pagus.	Parisiensis.	1574.
Meldæ.$^{\text{arum}}$	*Meaux*.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1611.
Melodunum.	*Melun*.	Civitas.	Senonensis.	1606.
Mendunta.	*Mantes*.	Civitas.	Carnutensis.	1615.
Mons Desiderii.	*Mons-Didier*.	Civitas.	Ambianensis.	1618.
Monfortium.	*Montfort*.	Civitas.	Carnutensis.	1601.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Montrolium.	*Montrueil.*	Civitas.	Ambianensis.	1621.
Nongentũ ad Sequan.	*Nogent sur seine.*	Civitas.	Trecenis.	1636.
Noviodunum.	*Noyon*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1610.
Peronna.	*Peronne.*	Civitas.	Ambianensis.	1618.
Pissiacum.	*Poissy.*	Civitas.	Carnutensis.	1619.
Pontresium.	*Pontoise.*	Civitas.	Parisiensis.	1603.
Provinum.	*Provins.*	Civitas.	Senonensis.	1614.
Remi.orum	*Reims.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1574.
Rhethelium.	*Rethel Mazarin.*	Civitas.	Eadem.	1642.
Sanquintinium, *seu Fanum S. Quintini.*	*S. Quentin.*	Civitas.	Noviodunensis.	1615.
Senonum.	*Sens.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1620.
Stampæ.arum	*Etampes.*	Civitas.	Senonensis.	1581.
Suessionum.	*Soissons.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1613.
Sylvanectum.	*Senlis.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1610.
Trecæ.arum	*Troyes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1610.

Hospitium seu Missio intra Provinciam.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*
Courbevoiacum	Courbevogy.	Burgum.	Parisiensis.

Pro Capellanis Castrensibus Regiæ Custodiæ Helveticæ.

Missiones extra Provinciam.

IN EUROPA.

In Romaniæ Provincia, cujus Civitas Capitalis Byzantium seu Constantinopolis est; sunt Galata, & Pera.

IN ASIA MINORE.

Smirna.

In Archipelago, & Græcia, Chium, Naxia, Andros, Athenæ, Sira, Mityllena, Paros, Argentiere, Candia, Canèe, olim Cydonia..

Monasteria Monialium.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Titulus Eeelef.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Reg.*
Ambianum.	*Amiens.*	S.Salvator, & S.Ludov.Rex	XXXV.	Stricta.
Lutetia Paris.	*Paris.*		XL.	Stricta.

Sigillum  Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA TURONENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
S. Anianus.	*S. Aignan.*	Civitas.	Bituricensis.	1616.
Andegavum.	*Angres.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1599.
Angeriacum.	*S. Iean d'Anges.*	Civitas.	Santonensis.	1619. & 1626.
Aurelianum.	*Orleans.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1578.
Belgiacum.	*Bedugency.*	Civitas.		1615.
Biturix	*Bourges.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1588.
Blesæ.	*Blois.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1588. & 1593.
Cainovum.	*Chinon.*	Civitas.	Turonensis.	1604.
Caranta.	*Charante.*	Civitas.	Rupellensis.	1656.
Castria.	*La Chatre.*	Civitas.	Bituricensis.	
Castro Rodulphum.	*Chateauroux.*	Civitas.	Eadem.	1624.
Castrum heraldi.	*Chatelle raubt.*	Civitas.	Pictaviensis.	1613.
Civeriacum.	*Cinrai.*	Civitas.	Eadem.	1665.
Ezoldunum.	*Issoudon.*	Givitas.	Bituricensis.	1620.
Gennabum.	*Gien.*	Civitas.	Eadem.	1613.
Inculisma.	*Angoulesme.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1611.
Insula Regia.	*L'Isle del'Rè.*	Civitas.	Rupellensis.	1626.
Juliodunum.	*Loudun.*	Civitas.	Pictaviensis.	1616.
Lochium.	*Loches.*	Civitas.	Turonensis.	1618.
S. Maxentius.	*S. Maixent.*	Civitas.	Pictaviensis.	1614.
Metulum.	*Mille.*	Civitas.	Eadem.	1646.
Niortum.	*Niort.*	Civitas.	Eadem.	1614.
Nivernum.	*Nivers.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1601.
Partheniacum.	*Parthenay.*	Civitas.	Pictaviensis.	1619.
Pictavium.	*Poitiers.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1609.
Romorantinum.	*Romarantin.*	Civitas.	Aurelianensis.	1614.
Rufectum.	*Ruffec.*	Civitas.	Pictaviensis.	1636.
Rupefortium.	*Rochefort.*	Civitas.	Rupellensis.	1670.
Rupella.	*La Rochelle.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1628.
Salmurium.	*Saumur.*	Civitas.	Andegavensis.	1608.
Thoarcum.	*Thoüars.*	Civitas.	Pictaviensis.	1620.
Turonium.	*Tours.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1601.
Vierzonum.	*Vierzon.*	Civitas.	Bituricensis.	1612.
Vindocinum.	*Vendome.*	Civitas.	Blesensis.	1606.

Missiones extra Provinciam.

IN ASIA.

In Cipro Larneca, Nicotia.
In Siria Aleppum.
In Mesopotamia Diaberkir, vel Amet. Mardinum.

In Me-

In Media Muſilum, olim Ninive.
In Chaldæa Bagdadum, olim Babylonia.
In Armenia Tauris vel Hecbatanis.
In Perſia Iſpaham.
In India Orientali Suratum.
Ad oras Cormandelicas Madras, Pondicherium.

IN AFFRICA.

In Ægypto Cairus.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallicum.*	*Numerus Monialium.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Regulæ Qualitas.*
Turonium.	Tours.		Purificatio B. V. Mariæ.	Stricta.

Sigillum  Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA NORMANNIÆ.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Abrineæ.arum	*Avranches.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1617.
Alenconium.	*Alencon.*	Civitas.	Sagiensis.	1602.
Andeliaeum.	*Andely.*	Civitas.	Rothomagensis.	1586.
Argentomum.	*Argentan.*	Civitas.	Sagiensis.	1620.
Augium.	*Eu.*	Civitas.	Rothomagensis.	1622.
Bajocum.	*Bayeux.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1615.
Cadomum.	*Caën.*	Civitas.	Bajocensis.	1577.
Calidobecum.	*Caudebec.*	Civitas.	Rothomagensis.	1619.
Constantia.	*Cousance.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1616.
Dieppa.	*Dieppe.*	Civitas.	Rothomagensis.	1614.
Ebroicum.	*Evreux.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1613. & 1697.
Falesia.	*Falaise.*	Civitas.	Sagiensis.	1616.
Fiscanium.	*Fescamp.*	Civitas.	Rothomagensis.	1621.
Forgium.	*Forges.*	Oppidum.	Eadem.	1631.
Gornacum.	*Gournay.*	Civitas.	Eadem.	1642.
Harflorium.	*Harfleur.*	Civitas.	Eadem.	1643.
Honflorium.	*Honfleur.*	Civitas.	Lexoviensis.	1614.
Lexovium.	*Lisieux.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1613.
Mortania.	*Mortagne.*	Civitas.	Sagiensis.	1618.
Novidunum retrudū.	*Nogent le retrou.*	Civitas.	Carnotensis.	1601.
Orbecum.	*Orbec.*	Civitas.	Lexoviensis.	1646.
Portus gratiæ.	*Havre.*	Civitas.	Rothomagensis.	1590.
Rothomagum.	*Rouen.*	Civitas.	Sedes Archiepiscopalis.	1582.
Sottevilla.	*Sotteville.*	Civitas.	Eadem.	1599.
Vallonia.	*Vallogne.*	Civitas.	Constantiensis.	1631.
Vernomium.	*Vernon.*	Civitas.	Ebroicensis.	1612.
Viria.	*Vire.*	Civitas.	Bajocensis.	1623.

Hospitia seu Missiones intra Provinciam.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Diœcesis Loci.*
Nostra Domina, *seu B. M. de Gratia.*	*Nôtre Dame de Grace.*	Lexoviensis.
Nostra Domina *de Nivibus.*	*Nôtre Dame des Neiges.*	Rothomagensis.
Malliaria.	*La Maillerage.*	Eadem.

Missio-

Miſſiones extra Provinciam.

I N A M E R I C A.

In India Occidentali.

Martinica, habens Parochias ſequentes: Le Diamant, le cul de Sac Marin, S. Anne des Saliniers, les ances d'Arbres, le fort Royal cum tribus Parochiis, la riviere Pilote, la riviere Salée, le trois Ilettes, le Lamentain, S. Luce, le Trou &c.

Guadalupia, continens loca ſequentia: Le petit cul de Sac, S. Anne grand terre, les Abimes, S. François grand terre, S. François de la baſſe terre, la Gruyere, Lance bertrand, la Goſier, les habitans, le Grand fond, Hoüilbourg, la Moule, le port Loüis.

Granata, cum locis: Les Sauteurs, le Marquis, la baſſe terre: *Inſula S. Bartholomæi, & Inſula S. Martini.*

Sigillum  Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA
BRITANNIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Audiernum.	*Audierne.*	Oppidum.	Corisopitensis.	1657.
Alraium.	*Aurai.*	Civitas.	Venetensis.	1615.
Baugium.	*Baugè.*	Civitas.	Andegavensis.	1597. & 1599.
S. Briocum.	*Saint Brieux.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1615.
Brestum.	*Brest.*	Portus Regius.	Leonensis.	1692.
Castrogontierum.	*Chateaugontier.*	Civitas.	Andegavensis.	1611.
Cenomanum.	*Le Mans.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1602.
Corisopitum.	*Quimper.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1613.
Crussiliæ.	*Le Croisil.*	Oppidum.	Luconiensis.	1617.
Dinannum.	*Dinan.*	Civitas.	Trecorensis.	1620.
Eremus.	*L'Hermitage.*	———	Nannetensis.	1622.
Flexia.	*La Flèche.*	Civitas.	Andegavensis.	1635.
Fontiniacum.	*Fontenay.*	Civitas.	Rupellensis.	1610.
Guingampum.	*Guingamp.*	Civitas Ducalis.	Trecorensis.	1615.
Hennebontum.	*Hennebont.*	Civitas Ducalis.	Venetensis.	1633.
Landernium.	*Landerneau.*	Civitas.	Leonensis.	1634.
Lannonium.	*Lanion.*	Civitas.	Trecorensis.	1622.
Lavallum.	*Laval.*	Oppidum.	Cenomanensis.	1613.
Luconium.	*Luçon bas Poitù.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1619.
Maclovium.	*S. Malò.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1612.
Maranum.	*Marans.*	Pagus.	Rupellensis.	1626.
Mascolvium.	*Machecou.*	Oppidum Ducale	Nannetense.	1615.
Meduanum.	*Mayenes.*	Civitas Ducalis.	Cenomanensis.	1606.
Mons-Relaxus.	*Morlaix.*	Civitas.	Trecorensis.	1611.
Nannetæ.	*Nantes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1597.
Quimperellium.	*Quimperlè.*	Civitas.	Corisopitensis.	1653.
Rhedonæ.	*Rennes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1602.
Roscovium.	*Roscoff.*	Oppidum.	Leonensis.	1621.
Sabulæ.	*Les Sables.*	Oppidum.	Luconiensis.	1616.
Venetæ.	*Vannes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1615.

Conventus extra Provinciam.

Ulyssipo.	*Lisbone.*	Metropolis.	Sedes Patriarchal.	1647.

Missiones extra Provinciam.

I N A S I A.

Palestina Berith, Abbaye, Gazir, Solima.
Siria Damas, Sayde vel Sidon, Syria Tripolitana.

Sigillum

S. P. Franciscus & S. Ivo Librum apertum tenentes cum Spiritu Sancto suprà &c.

Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA LUGDUNENSIS,

S E U

S. BONAVENTURÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
S. Amandus.	*S. Amand.*	Civitas.	Bituricensis.	1622.
Anicium, *seu Podium.*	*Le puy en Velay.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1609.
Arnetum, *seu Aneducatus.*	*Arnays le duc.*	Civitas.	Augustodunensis.	1622.
Avalo.	*Avalont.*	Civitas.	Eadem.	1654.
Augustodunum.	*Autun.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1606.
Auxona.	*Auxonne.*	Civitas.	Bisuntina.	1618.
Belnæ.atum	*Beaune.*	Civitas.	Augustodunensis.	1606.
Billiomum.	*Billom.*	Civitas.	Claromontanensis	1601.
S. Bonitus.	*S. Bonnet.*	Civitas.	Lugdunensis.	1601.
Borbonium *Archambaldum.*	*Borbon l'Archambaud.*	Civitas.	Bituricensis.	1622.
Borbonium *lanceum.*	*Borbon Lancis.*	Civitas.	Augustodunensis.	1622.
Brivatum.	*Brioude.*	Civitas.	Floriopolitana.	1619.
Burgum Sebusianorũ.	*Bourg en Bresse.*	Civitas.	Lugdunensis.	1612.
Cabilo onis	*Chalons.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1603.
S. Chamundus.	*S. Chamond.*	Civitas.	Lugdunensis.	1601.
Carilocus.	*Charlieu.*	Oppidum.	Matisconensis.	1632.
Castilio ad Sequanam.	*Chatillon sur seine.*	Civitas.	Lingoniensis.	1633.
Castrochinium.	*Chatelchinon.*	Civitas.	Nivernienfis.	1627.
Claromontum in Arvernia.	*Clermont en Avvergne.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1608.
Corbinium.	*Corbiny.*	Civitas.	Nivernienfis.	1627.
Cremium.	*Cremieux.*	Oppidum.	Viennensis.	1615.
Crista.	*Crest.*	Civitas.	Divionensis.	1609.
Cussetum.	*Cusset.*	Civitas.	Claromont.	1614.
Divio.onis	*Dijon.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1602.
Gannatum.	*Gannat.*	Civitas.	Claromontanen.	1620.
Gratianopolis.	*Grenoble.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1604.
Issorium.	*Issoire.*	Civitas.	Claromotanensis.	1608. & 1660.
Langiacum.	*Langeat.*	Civitas.	Floriopolitana.	1631.
Langonium.	*Langogne.*	Civitas.	Mimatensis.	1630.
Lugdunum S. P. Francisci.	*Lion.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1575.
..... S. Andreæ.	*S. André.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1622.
Mariologium.	*Marieujols.*	Civitas.	Mimatensis.	1628.
Matisco.	*Macon.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1604.
Mimatum.	*Mandes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1620.
Monistrolium.	*Monistrol.*	Civitas.	Aniciensis.	1634.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Molinæ.erum	*Moulins.*	Civitas.	Auguſtodunenſis.	1601. & 1666.
Mons Acutus.	*Montacgu.*	Civitas.	Claromontanenſ.	1659.
Mons Briſonius.	*Mont-Briſſon.*	Civitas.	Lugdunenſis.	1609.
Mons Lucius.	*Mont Luçon.*	Civitas.	Bituricenſis.	1600.
Montilium, *ſeu Montemilardum.*	*Montelimard.*	Civitas.	Valentinenſis.	1642.
Riomum.	*Riom.*	Civitas.	Claromontanenſ.	1601.
Rodumna.	*Rôanne.*	Civitas.	Lugdunenſis.	1677.
Romanum *in Delphinatu.*	*Romans* en Dauphinè.	Civitas.	Viennenſis.	1609.
Sedelocus.	*Saulieu.*	Civitas.	Auguſtodunenſis.	1626.
Semurium.	*Semur.*	Civitas.	Eadem.	1625.
S. Stephanus *Foretis.*	*S. Etienne* en Foreſt.	Civitas.	Lugdunenſis.	1619.
Surra.	*Seurre.*	Civitas.	Biſuntina.	1654.
Thernium.	*Tiers* en Avvergne.	Civitas.	Claromontanenſis	1606.
Thurno.	*Tournon.*	Civitas.	Valentinenſis.	1619.
Valentia *in Delphinatu.*	*Valençe* en Dauphinè.	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1611.
Vienna *in Delphinatu.*	*Vienne* en Dauphinè	Civitas.	Sedes Archiepiſc.	1601.
Villafranca *Bellioccenſis.*	*VilleFranche* en Beaujolois.	Civitas.	Lugdunenſis.	1615.
Villa nova *Bergenſis.*	*Ville neuve* deBerg.	Civitas.	Vivarienſis.	1630.

Miſſiones ſeu Hoſpitia.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Caſtilio *ad Dumbas.*	*Chatillon les Dombes.*	Civitas.	Lugdunenſis.	1632. & 1670.
Floriacum.	*Florac.*	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1629.
Iſſurtilium, *vel Iſſium.*	*Iſurtille.*	Civitas.	Lingonienſis.	1627.
Mura.	*La Mure.*	Civitas.	Grationopolitana.	1649.
Nueium.	*Nuits.*	Civitas.	Auguſtodunenſis.	1634.
Tararum.	*Tarare.*	Civitas.	Lugdunenſis.	1660.
Vichiacum.	*Vichy.*	Civitas.	Claromontana.	1644.

Sigillum



Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA SABAUDIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fund*
Annecium.	*Anneci.*	Civitas.	Sedes Episcopalis Genevensis.	1693.
Augusta Prætoria.	*La Citè d' Aoste.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1618.
Bellesium.	*Belley.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1619.
Sanctus Mauritius *in Sabaudiâ.*	*Saint Maurice en Savoie.*	Oppidum.	Tarentasiensis.	1631.
Camberium.	*Chamberi.*	Civitas.	Gratianopolitane.	1576.
Confluentum.	*Conflent.*	Oppidum.	Tarentasiensis.	1619.
Castillio.	*Chatillon.*	Oppidum.	AugustæPrętoriæ.	1637.
Gesia.	*Gex.*	Civitas.	Genevensis.	1622.
Hypona seu Hyenna.	*Yenne.*	Civitas.	Bellisensis.	1659.
Mons Melianus.	*Montmeillant.*	Civitas.	Gratianopolitana.	1586.
Munsterium.	*Moutiers.*	Civitas.	Sedes Archiepisc. Tarentasiensis.	1612.
Morgiacum.	*Morgex.*	Oppidum.	Augustæprętoriæ.	1626.
Rupex.	*Laroche.*	Civitas.	Genevensis.	1617.
Rumilliacum,	*Rumilli.*	Civitas.	Eadem.	1619.
Salanchia.	*Salanche.*	Civitas.	Eadem.	1616.
Sanctus Joannes Mauriensis.	*Saint Jean de Maurienne.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1580.
Sanctus Julianus.	*Saint Jullien.*	Oppidum.	Genevensis.	1616.
Sanctus Mauritius *in Vallesiâ.*	*Saint Maurice en Valais.*	Civitas.	Sedunensis.	1628.
Seisellium.	*Seissel.*	Civitas.	Genevensis.	1627.
Sedunium.	*Sion.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1628.
Tononium.	*Tonon.*	Civitas.	Genevensis.	1612.

Hospitia.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernacul.*	*Qualitas Loci.*
Bonatium.	*Bonaz.*	Castrum.
Camberium *juxta Capellam S. Apolloniæ.*	*Chambery.*	Civitas.
Taningium.	*Taninge.*	Oppidum.

Sigillum  Provinciæ.

PROVINCIA BURGUNDIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Fanum S. Amatoris.	*S. Amour.*	Oppidum.	S. Claudii.	1623.
Arbosium.	*Arbois.*	Oppidum.	Bisuntinensis.	1673.
Balma.	*Beaume.*	Civitas.	Eadem.	1618.
Belfortium.	*Belfort.*	Civitas.	Eadem.	1619.
Camplitta.	*Champlitte.*	Oppidum.	Divionensis.	1618.
S. Claudius.	*S. Claude.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1636.
Dola.	*Dole.*	Civitas.	Bisuntinensis.	1587.
Falconerium.	*Faucogney.*	Oppidum.	Eadem.	1651.
Gyacum.	*Gy.*	Oppidum.	Eadem.	1654.
Grayacum.	*Gray.*	Civitas.	Eadem.	1588.
Jusseyum.	*Jussey.*	Oppidum.	Eadem.	1622.
Ledonum *salnerii.*	*Lons-le saunier.*	Civitas.	Eadem.	1612. & 1733.
Lutra, *seu Luram.*	*Lure.*	Oppidum.	Eadem.	1627. & 1671.
Luxovium.	*Luxeul.*	Oppidum.	Eadem.	1619.
Pesma.	*Pesmes.*	Oppidum.	Eadem.	1617.
Polignium.	*Poligni.*	Civitas.	Eadem.	1613.
Pontisalium.	*Pontarlier.*	Civitas.	Eadem.	1618.
Salinæ.	*Salins.*	Civitas.	Eadem.	1582.
Vesulium.	*Vesoul.*	Civitas.	Eadem.	1604.
Vesuntio *Bisun.*	*Besançon.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1607.
Willafanum.	*Willafans.*	Oppidum.	Eadem.	1668.

Hospitia, seu Residentiæ.

Orgeletum.	*Orgelet.*	Pagus.	Bisuntinensis.	1695.
Conlegum.	*Conliege.*	Pagus.	Bisuntinen.	1600.

Sigillum  Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA S. LUDOVICI.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Alesia.	*Alais.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1629. & 1688.
Apta Julia.	*Apt.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1612.
Aquæ Mortuæ. arum	*Aigue-Mortes.*	Oppidum.	Arelatensis.	1622.
Aquæ Sextiæ. arum	*Aix.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1585.
Aurasconum.	*Orange.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1610.
Arelate.	*Arles.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1584.
Avenio. onis	*Avignon.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1576.
. . . Novitiatus.	*Novitiat.*			1670.
Auriolum.	*Oriol.*	Pagus.	Massiliensis.	
Bariacum.	*Bariac.*	Oppidum.	Ucetiensis.	1630.
Bellicadrum.	*Beaucaire.*	Oppidum.	Arelatensis.	1601.
Brinolium.	*Brignolle.*	Oppidum.	Aquensis.	1598.
Cabellio.	*Cavaillon.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1594.
Canna.	*Cannes.*	Oppidum.	Grassensis.	
Carpentoractum.	*Carpentras.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1591.
Civitas.	*La Ciotat.*	Oppidum.	Massiliensis.	1606.
Draguinianum.	*Draguignan.*	Civitas.	Forojuliensis.	1599.
Ebredunum.	*Ambrun.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1643.
Grassa.	*Grasse.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1605.
Insula.	*L'Isle.*	Oppidum.	Cabellionensis.	1611.
Jonqueria.	*Jonguieres.*	Oppidum.	Arelatensis.	1630.
Leonaca.	*L'Orgues.*	Oppidum.	Forojuliensis.	1667.
Mamuesca.	*Manosque.*	Oppidum.	Sisteronensis.	1609.
Maritima.	*Martignes.*	Oppidum.	Arelatensis.	1604.
Massilia.	*Marseille.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1579.
S. Maximinus.	*S. Maximin.*	Oppidum.	Aquensis.	1629.
Nemausus.	*Nimes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1630.
Pertusium.	*Pertuis.*	Oppidum.	Aquensis.	1604.
Regium.	*Riez.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1606.
Salona.	*Salon.*	Oppidum.	Arelatensis.	1587.
Seina.	*La Seine.*	Oppidum.	Tolonensis.	1621.
Sistero.	*Sisteron.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1614.
Solerium.	*Soliez.*	Oppidum.	Tolonensis.	1650.
S. Spiritus.	*S. Esprit.*	Oppidum.	Ucetiensis.	1616.
Tarascum.	*Tarascon.*	Civit. Regia.	Avenionensis.	1612.
Tolo. onis	*Toulon.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1588.
S. Torpetus.	*S. Torpez.*	Civitas.	Forojuliensis.	1616.
Valreacum.	*Valreas.*	Oppidum.	Vasionensis.	1611.
Vapincum.	*Gap.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1614.
Ucetia.	*Usez.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1629.

Mona-

Monasteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen loci Vernac.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Numerus Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Insula.	*L'Isle.*			Privilegiata.
Massilia.	*Marseille.*		xxv.	Stricta.

Sigillum  Provinciæ.

PROVINCIA LOTHARINGIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fund.*
Albimons.	*Blamont.*	Civitas.	Tullensis.	1627.
Barrum Ducis.	*Bar-le-Duc.*	Civitas.	Eadem.	1597.
Bruyerium.	*Bruyeres.*	Civitas.	Eadem.	1664.
Charmæ.	*Charmes.*	Civitas.	Eadem.	1627.
Castromosellum.	*Chate sur Moselle.*	Civitas.	Eadem.	1707.
Commercejum.	*Commercy.*	Civitas.	Eadem.	1704.
S. Deodatus.	*Saint-Diez.*	Civitas.	Nullius.	1625.
Fontenejum.	*Fontenois.*	Oppidum.	Bisuntina.	1626. & 1631.
Linejum.	*Ligny.*	Civitas.	Tullensis.	1584. & 1701.
Lunevilla.	*Luneville.*	Civitas.	Eadem.	1633.
Marsallum.	*Marsal.*	Civitas.	Metensis.	1680.
S. Michaël.	*S. Michel.*	Oppidum.	Virodunensis.	1586.
Mircuria.	*Mirecour.*	Civitas.	Tullensis.	1609.
Mussipuntum.	*Pont-a-Mousson.*	Civitas.	Eadem.	1607.
Nancejum.	*Nancy.*	Civitas.	Eadem.	1593.
S. Nicolaus.	*S. Nicolas.*	Oppidum.	Eadem.	1611.
Neocastrum.	*Neuchateau.*	Civitas.	Eadem.	1619.
Plomberiæ.	*Plombiers.*	Oppidum.	Eadem.	1611.
Rembervilla.	*Rembervillle.*	Civitas.	Eadem.	1620.
Romaticus mons.	*Remiremont.*	Civitas.	Eadem.	1610.
Sarburgum.	*Sarbourg.*	Civitas.	Metensis.	1729.
Sarguemina.	*Sarguemine.*	Civitas.	Eadem.	1721.
Spinallum.	*Espinal.*	Civitas.	Tullensis.	1619.
Theocuria.	*Thiaucour.*	Civitas.	Metensis.	1708.
Tullum leucorum.	*Toul.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1599.
Vicus.	*Vic.*	Civitas.	Metensis.	1613.
Vezelium.	*Vezelise.*	Civitas.	Tullensis.	1634.

Monasteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Numerus Monial.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Qualitas Regulæ.*
Nancejum.	*Nancy.*			Stricta.

Sigillum *S. P. Franciscus S. Stigmata recipiens.* **Provinciæ.**

PROVINCIA CAMPANIÆ.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Borbonium.	*Bourbonne.*	Oppidum.	Bisuntina.	1680. & 1717.
Calvomontum.	*Chaumont.*	Civitas.	Lingoniensis.	1600.
Carolopolis.	*Charleville.*	Civitas.	Remensis.	1606.
S. Desiderius.	*S. Dizier.*	Civitas.	Catalaunensis.	1612.
Jovisvillanus.	*Joinville.*	Civitas.	Eadem.	1635.
Lingonæ.[arum]	*Langres.*	Civitas.	Sedes Episcopalis Catalaunensis.	1608.
S. Manechildis.	*Manchoud.*	Civitas.	Eadem.	1618.
Metæ.[arum]	*Metz.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1602. & 1734.
Mozomium.	*Mouzon.*	Civitas.	Remensis.	1619.
Phalzeburgum.	*Phalzbourg.*	Civitas.	Argentinensis.	1626.
Sara Ludovisiana, seu *Sarlodium.*	*Sarloüis.*	Civitas.	Trevirensis.	1691.
Sedanum.	*Sedan.*	Civitas.	Remensis.	
Stannum.	*Etain* en Lorraine.	Civitas.	Virodunensis.	1667.
Theodonis Villa.	*Thionville.*	Civitas.	Metensis.	1624.
Virodunum.	*Verdun* sur Meuse.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1585. & 1625.

Missiones extra Provinciam.

In America Septentrionali. Lovisiana, vel Missisipi.

Sigillum 

Provinciæ.

PROVINCIA TOLOSANA.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Agatha.	*Agde.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1584.
Albia.	*Alby.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1585.
Bedarium.	*Bedarieux.*	Civitas.	Biterrensis.	
Biterræ.[arum]	*Beziers.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1584.
Calabrium.	*Chalabre.*	Civitas.	Mirapicensis.	1630.
Carcassona.	*Carcassonne.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1592.
Castronaudarium.	*Castel Noudary.*	Civitas.	S. Papulensis.	1598.
Castrum Albiensium.	*Castres Chartroux.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1631.
Cazanæ.[arum]	*Cazeres.*	Civitas.	Ruthenensis, seu Rivensis.	
Ceretum.	*Ceret.*	Civitas.	Perpinianensis.	1581.
Cordæ.[arum]	*Cordes.*	Civitas.	Albiensis.	1641.
Elna.	*Elne.*	Civitas.	Perpinianensis.	1590. & 1645.
Frontinianum.	*Frontignan.*	Pagus.	Monspessulensis.	1610.
Fuxum.	*Foix.*	Civitas.	Apamiensis.	
Galliacum.	*Gailhac.*	Civitas.	Albiensis.	1590.
Gangium.	*Ganges.*	Civitas.	Monspessulensis.	
S. Geruntius.	*S. Girons.*	Civitas.	Ruthenensis.	1614.
Granata.	*Granade.*	Civitas.	Tolosana.	1603.
Grassa.	*La grasse.*	Civitas.	Carcassonensis.	1630.
Graulictum.	*Graulhet.*	Civitas.	Castrensis.	1657.
Ivicum.	*Ihovi.*	Civitas.	Perpinianensis.	1580. & 1645.
Limovium.	*Limoux.*	Civitas.	Narbonensis.	1604.
Lunellum.	*Lunel.*	Civitas.	Monspessulensis.	
Milliarium.	*Milhau.*	Civitas.	Ruthenensis.	1644.
Mons pessulanus.	*Montpellier.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1609. & 1623.
Narbona.	*Narbone.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1590. & 1610.
Domina Orientis.	*Orient.*	Desertum.	Vabrensis.	1640.
Domina Pietatis.	*Pistes.*	Civitas.	Narbonensis.	1662.
Perpinianum.	*Perpignan.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1580. & 1645.
Piscenæ.[arum]	*Pesenas.*	Civitas.	Agathensis.	1610.
Prada.	*Prades.*	Civitas.	Perpinianensis.	1586.
Ruthenæ.[arum]	*Rodes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1616.
Salvia.	*Sauve.*	Civitas.	Alensis.	
Servianum.	*Servian.*	Pagus.	Eadem.	
Tolosa.	*Tolouse.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1582.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Torrofella.	*Tourofelle.*	Solitudo.	Carcaffonenfis.	1645.
Vaurum.	*Levaur.*	Civitas.	Sedes Epifcopalis.	1603.
Viganum.	*Vigan.*	Civitas.	Alenfis.	
Vinza.	*Vinça.*	Pagus.	Perpinianenfis.	1589.

Sigillum (*S.P. Francifcus manibus Crucem tenens.*) Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA AQUITANIÆ.

Nomen Loci Latinum.	Nomen Loci Gallicum.	Qualitas Loci.	Diœcesis Loci.	Annus Fundationis.
Aginnum.	*Agen.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1601.
S. Antoninus.	*S. Antonin.*	Civitas.		1645.
Aquæ tarbellicæ.	*Dax.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1614.
Augusta Ausciorum.	*Auch.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1607.
Bazatum.	*Bazats.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1613.
Bajona.	*Bayonne.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1615.
Burdigala.	*Bordeaux.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1602.
Cadillacum.	*Cadillac.*	Civitas.	Eadem.	1604.
Cadurcum.	*Cahors.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1607.
Castellio.	*Castillones.*	Civitas.	Aginnensis.	1724.
Castrum gelosum.	*Casteljaloux.*	Civitas.	Bazatensis.	1660.
Castrum saracenum.	*Castel sarrazin.*	Civitas.	Montalbanensis.	1602.
Condomium.	*Condom.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1611.
Elusa.	*Eause.*	Civitas.	Auscitana.	1693.
Figeacum.	*Figeac.*	Civitas.	Cadurcensis.	1623.
Guerlinum.	*Garlin.*	Oppidum.	Lascuriensis.	1696.
Gimontium.	*Gimont.*	Civitas.	Lombariensis.	1603.
Gordanum.	*Gourdon.*	Civitas.	Cadurcensis.	1616.
Granatum.	*Grenade en Chalosse.*	Civitas.	Adurensis.	1642.
Lectora.	*Lectoure.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1628.
Lombaria.	*Lombes.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1667.
Lingonium.	*Langon.*	Civitas.	Bazatensis.	1617.
Marmanda.	*Marmande.*	Civitas.	Aginnensis.	1609.
Mauleonum.	*Mauleon.*	Civitas.	Oleronensis.	1669.
Mel dulce.	*Medoux.*	Solitudo.	Tarbensis.	1616.
Mons securus.	*Monsegur.*	Civitas.	Cadurcensis.	1728.
Montalbanus.	*Montauban.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1631.
Neracum.	*Nerac.*	Civitas.	Condomiensis.	1641.
Nogarum.	*Nogar.*	Civitas.	Auscitana.	1618.
Oleronum.	*Oleron.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1622. & 1630.
Orthensium.	*Ortes.*	Civitas.	Aquensis.	1621.
Palum.	*Pau.*	Civitas.	Lascurensis.	1620.
Portus S. Mariæ.	*Le Port S. Marie.*	Civitas.	Aginnensis.	1628.
S. Severus.	*S. Sever.*	Civitas.	Adurensis.	1624.
Tarbum.	*Tarbe.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1622.
Turena.	*Turenne.*	Civitas.	Leomovicensis.	1643.
Valentia.	*Valence d'agenois.*	Civitas.	Aginnensis.	1666.
Villa francopolitana.	*Ville franche.*	Civitas.	Ruthenensis.	1608.
Villa murata.	*Villemur.*	Civitas.	Montalbanensis.	1726.
Villanova.	*Ville neuve.*	Civitas.	Aginnensis.	1619.

Hospi-

Hoſpitia, ſeu Reſidentiæ.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Diœceſis.*
Lauzertum.	*Lauzerte.*	Cadurcenſis.
Navareſium.	*Navarreins.*	Oleronenſis.
Podium Epiſcopale.	*Puy lèveque.*	Cadurcenſis.
Vicus Ferenſacenſis.	*Vic-ferenſac.*	Aginnenſis.

Sigillum 

Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA ALSATIÆ.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Argentina.	*Strasbourg.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1684.
Blozhemium.	*Blozheim.*	Oppidum.	Eadem.	1737.
Colmaria.	*Colmar.*	Civitas.	Eadem.	1699.
Ensishemium.	*Ensisheim.*	Civitas.	Eadem.	1603.
Hagenoa.	*Hagenau.*	Civitas.	Eadem.	1627.
Kienshemium.	*Kiensheim.*	Civitas.	Basileensis.	1613.
Lansera.	*Lanser.*	Oppidum.	Eadem.	1655.
Molshemium.	*Molsheim.*	Civitas.	Argentinensis.	1659.
Neo-Brisacum.	*Neu-Brisac.*	Civitas.	Basileensis.	1722.
Obernehemium.	*Obernée.*	Civitas.	Argentinensis.	1627.
Seleftadium.	*Seleftatt.*	Civitas.	Eadem.	1655.
Sulzium.	*Soulz.*	Civitas.	Basileensis.	1632.
Tannæ.	*Than.*	Civitas.	Eadem.	1622.
Weissenburgum.	*Weissenbourg.*	Civitas.	Spirensis.	1686.

Residentiæ.

Argentina. *ad S. Barbaram.*	*Strasbourg* S. Barbe.	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1737.
Fortalitium Ludoviceum.	*Fort Louis.*	Propugnaculum.	Eadem.	1719.
Landavium.	*Landau.*	Civitas.		
Surburgum.	*Surbourg.*	Oppidum.		
Tabernæ Montium.	*Berg Zaberen.*	Civitas.	Spirensis.	1724.

Monasteria Monialium.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Titulus Eccles.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Ensishemium.	*Ensisheim.*	SS. Trinitas.	XXX.	Privileg.

Sigillum *B. V. Maria sine labe concepta cum lilio ex utroque latere.* Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA INSULENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Gallicum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Aria.	*Aire.*	Civitas.	Audomarensis.	1599.
Armentaria.	*Armentieres.*	Civitas.	Atrebatensis.	1604.
Audomarum.	*S. Omer.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1594. & 1612.
Belliolum.	*Bailleul.*	Civitas.	Iprensis.	1626. & 1659.
Bergæ. arum	*Bergues.*	Civitas.	Eadem.	1611.
Burburgum.	*Bourbourg.*	Civitas.	Audomarensis.	1623.
Cameracum.	*Cambray.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1613.
Condatum.	*Condè.*	Civitas.	Eadem.	
Duacum.	*Douay.*	Civitas.	Atrebatensis.	1592. & 1712.
Dunkercha.	*Dunkerque.*	Civitas.	Iprensis.	1626.
Furnæ. arum	*Furnes.*	Civitas.	Eadem.	1605.
Insulæ. arum	*Lille.*	Civitas.	Tornacensis.	1592. & 1740.
Ipræ. arum	*Ipres.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1609.
Meninæ. arum	*Menin.*	Civitas.	Tornacensis.	1603.
Malbodium.	*Maubeuge.*	Civitas.	Cameracensis.	1617. & 1679.
Mervilla.	*Marville.*	Civitas.	Audomarensis.	1618. & 1621.
Orchiacum.	*Orchies.*	Civitas.	Tornacensis.	1614.
Tornacum.	*Tornay.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1592. & 1616.
Valencenæ. arum	*Valenciennes.*	Civitas.	Cameracensis.	1595. & 1628.

NOTA.

Conventus Tornacensis in hac Tabula ponitur, cum in illa Provinciæ Walloniæ fuerit omissus, utpote tunc à Patribus Provinciæ Insulensis occasione vigentis belli occupatus: cum autem pace novissimè restitutâ Patres Walloniæ ad ejus incolatum redierint, & Patres Insulenses suum prætendere pergant, utrique Provinciæ ego jus salvum relinquo, ac intactum, decisionem iis, quorum interest, remitto, & hic dumtaxat illum notatum volui, cum Provinciæ Wallonicæ tabulæ, utpote tempore, quo Patres Insulenses Conventum inhabitabant, impressæ adjungi nequeunt, prout ex eo ipso possessionis jure, quo ad hanc Tabulam asservatus fuit, Provinciæ Wallonicæ (salvo quocunque Insulensi jure) adjungi debeat.

Mona-

Monasteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen loci Gallicum.*	*Titulus Eccles.*	*Numerus Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Aria.	*Arie.*	S. Bonavent.	XXX.	Stricta.
Armentaria.	*Armentieres.*	Domina Angelorum.	XXVI.	Privilegiata.
Audomarum.	*S. Omer.*	B. V. Maria.	XXVIII.	Stricta.
Bergæ S. Winoci.	*Berghes S. Winocq.*	S. Ant. Patav.	XXX.	Stricta.
Burburgum.	*Bourbourg.*	B. V. Maria, & S. P. Franc.	XXVIII.	Stricta.
Duacum.	*Douai.*	B. V. Maria.	XXX.	Stricta.
Insulæ.	*Lille.*	S. Car. Borro.	XXX.	Stricta.

Sigillum  Provinciæ.

PROVINCIA HIBERNIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Atheium.			Kildariensis.	1659.
Clonmerium.	*Clonmel.*	Oppidum.	Casselensis.	1689.
Corcagia.	*Corke.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1640.
Dublinum.	*Dublin.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1624.
Galvia.	*Galway.*	Civitas.	Clonfortensis.	1644.
Gladiopolis.			Dublinensis.	1659.
Kilkennia.	*Kilkenny.*	Civitas.	Ossoriensis.	1643.
Limmericum.	*Limmerick.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1633.
Molingaria.	*Molingar.*	Civitas.	Midensis.	1633.
Pontanum *ex parte Aquilonari.*	*Dredagh.*	Civitas.	Armachana.	1686.
Pontanum *ex parte Australi.*	*Dredagh.*	Civitas.	Medensis.	1635.
Slanium.	*Slane.*	Oppidum.	Eadem.	1631.
Turlesia.	*Turles.*		Casselensis.	1646.
Wexfordia.	*Wexford.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1645.

Extra Provinciam.

IN GALLIA.

Bar-albula.	*Bar-sur-aube.*	Civitas.	Lingoniensis.	
Vasseium.	*Vassy.*	Civitas.	Catalaunensis.	

Sigillum *S. Patritius Pontificaliter indutus, & S. P. Franciscus Crucem tenens, stantes.* Provinciæ.

TABU-

TABULÆ TOPOGRAPHICÆ

Domorum Conventualium, Residentiarum, Missionum Fratrum, & Monasteriorum Monialium Capucinarum, quæ in Provinciis Hispaniæ reperiuntur.

PROVINCIA CATALONIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Aqua Lata.	*Igualada.*	Oppidum.	Vicensis.	1609.
Arenæ. arum	*Arens.*	Oppidum.	Gerundensis.	1618. & 1632.
Barcinona *S. Eulalia.*	*S. Eulalia.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1578.
..... *S. Matrona.*	*S. Madrona.*	Civitas.	Eadem.	1718.
Blandæ. arum	*Blanes.*	Oppidum.	Gerundensis.	1583. & 1626.
Calella & Pineda.	*Calella y Pineda.*	Oppidum.		1700.
S. Cælidonius.	*S. Celonio.*	Oppidum.	Barcinonensis.	1582.
Celsona.	*Solsona.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1582.
Cervaria.	*Cervera.*	Civitas.	Eadem.	1606.
Dertusa.	*Tortosa.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1609.
Figuerium.	*Figueres.*	Oppidum.	Gerundensis.	1584.
Gerunda.	*Gerona.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1581.
Granularium.	*Granollers.*	Oppidum.	Barcinonensis.	1684.
Ilerda.	*Lerida.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1598. & 1653.
Mataro.	*Matarò.*	Civitas.	Barcinonen.	1610.
Martorellum.	*Martorel.*	Oppidum.	Barcinonensis.	1687.
Minorissa.	*Manresa.*	Civitas.	Vicensis.	1582.
Olotum.	*Olòd.*	Oppidum.	Gerundensis.	1627.
Sabadellum.	*Sabadel.*	Oppidum.	Barcinonensis.	1645.
Tarraco.	*Tarragona.*	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1589. & 1640.
Trempus.	*Tremp.*	Oppidum.	Urgellensis.	1627.
Vallis.	*Valls.*	Oppidum.	Tarraconensis.	1579.
Vicus, seu Ausa.	*Vich.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1607.
Villafranca Pœnitent.	*Villa franca del Panady.*	Oppidum.	Barcinonensis.	1582. & 1624.
Villanova.	*Villa nueva.*	Oppidum.	Eadem.	1644.

Missiones.

In America habet hæc Provincia septem.

Moniales.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Vernaculum.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Diœc. Loci.*	*Qualitas Regulæ.*
Barcinona.	*Barcellona.*	S. Margaritha.	Barcinonen.	Stricta.
Gerunda.	*Gerona.*		Gerundensis.	Stricta.
Mataro.	*Matarò.*	Assump. B.V.M.	Barcinonen.	Stricta.
Minorissa.	*Manreza.*		Vicennis.	Stricta.

Sigillum 

Provinciæ.

PROVINCIA VALENTIÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Albayda.	*Albayda.*	Oppidum.	Valentina.	1598.
Alberiquium.	*Alberique.*	Oppidum.	Valentina.	1699.
Algicira.	*Alcira.*	Villa insignis.	Valentina.	1602.
Alonæ.	*Alicante.*	Civitas.	Oriolensis.	1599.
Biarium.	*Biàr.*	Oppidum.	Valentina.	1716.
Callosa.	*Callosa.*	Oppidum.	Valentina.	1721.
Castellio planus.	*Castellon de la Plana.*	Villa insignis.	Dertusensis.	1608.
Caudetum.	*Caudete.*	Oppidum.	Oriolensis.	1635.
Monovar.	*Monovar.*	Oppidum.	Oriolensis.	1742.
Murcia.	*Murcia.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1616.
Olleria.	*La Olleria.*	Oppidum.	Valentina.	1601.
Ontinens.	*Onteniente.*	Villa insignis.	Valentina.	1598.
Oriola.	*Origuela.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1611.
S. Matthæus.	*S. Matheo.*	Oppidum.	Ord.Mil.Montesę	1610.
S. Philippus (olim *Setabis*.)	*S. Phelipe (olim* Xativa.)	Civitas.	Valentina.	1607.
Segorbium.	*Segorve.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1601.
Valentia *Sanguinis Christi.*	*Valencia* Sangue de Christo.	Civitas.	Metropolit. Archiepisc.	1596.
... *S. Mariæ Megdal.*	... *S. Maria Megd.*	Valen.Hortus	Eadem.	1597.
Xerica.	*Xerica.*	Oppidum.	Segorbiensis.	1619.

Missiones extra Provinciam.

In Americæ Provincia Caracasensi, & in Civitate, *Maracaibo* dicta, loca seu Residentiæ sex.

Monasteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen loci Vernaculum.*	*Diœcesis loci.*	*Numerus Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Algieira.	*Alcira.*	Valentina.	XXVII.	Stricta.
Alone.	*Alicante.*	Oriolensis.		Stricta.
Castellio planus.	*Castellon de la Plana.*	Dertusensis.	XXXII.	Stricta.
Consentayna.	*Consentayna.*	Valentina.		Stricta.
Murcia.	*Murcia.*	Murciensis.		Stricta.
Valentia.	*Valencia.*	Valentina.	XXXIII.	Stricta.

Sigillum

Christus Jesus in Cruce pendens ad tumbam versus, ex cujus sacris vulneribus sanguinis rivuli profluunt.

Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA ARAGONIÆ

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Albalatum.	*Albalate.*	Oppidum.	Cæſarauguſtana.	1634.
Alcannitium.	*Alcañiz.*	Civitas.	Eadem.	1612.
Aranda.	*Aranda.*	Oppidum.	Eadem.	1625.
Atteca.	*Ateca.*	Oppidum.	Tiraſonenſis.	1624.
Barbaſtrum, *ſeu Biſurtina.*	*Barbaſtro.*	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1608.
Belſinum, *ſeu Burgia.*	*Borja.*	Civitas.	Tiraſonenſis.	1622.
Calatajuta, *ſeu Bilbilis.*	*Calatayud.*	Civitas.	Tiraſonenſis.	1600.
Cæſarauguſta.	*Zaragoza.*	Civitas.	Sedes Archiepiſc.	1598.
...*S. M. de Cucullata.*	*S. M. de Cogullada.*	——	——	1657.
Caſpa.	*Caſpe.*	Oppidum.	Cæſarauguſtana.	1605.
Daroca.	*Daroca.*	Civitas.	Eadem.	
Epila.	*Epila.*	Oppidum.	Cæſarauguſtana.	1621.
Exea.	*Exeà.*	Oppidum.	Eadem.	1629.
Fraga.	*Fraga.*	Civitas.	Illerdenſis.	1624.
Oſca.	*Hueſca.*	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1602.
Tamaritum.	*Tamarite.*	Oppidum.	Illerdenſis.	1632.
Tiraſona.	*Tarazona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1599.
Terucla.	*Teruel.*	Civitas.	Sedes Epiſcopalis.	1632.

Miſſiones extra Provinciam.

In America & Regno Cumanæ.

Monaſteria Monialium.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Vernaculum.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Numerus Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Cæſarauguſta.	*Zaragoza.*	B. M. Angelorū.	XXXIII.	Stricta.
Oſca.	*Hueſca.*	B.V.M. *de Pilari.*	XXIV.	Stricta.
Barbaſtrum.	*Barbaſtra.*	Nomen Jeſu.	XXI.	Stricta.
Caſpa.	*Caſpe.*	B.V.M. *de Pilari.*	XXXIII.	Stricta.

Sigillum

B.V. Maria de Pigliari, ſeu columna cum puero Jeſu, ſub qua S. Jo: Bap. & S. P. Franciſcus genuflectunt.

Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA NAVARRÆ.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Arcus.[um]	*Los Arcos.*	Civitas.	Calaguritana.	1648.
Cintavenigo.	*Cintruenigo.*	Oppidum.	Pampelonensis.	1634.
Fons rapidus.	*Fuenterravia.*	Civitas.	Eadem.	1668.
Lerinum.	*Lerin.*	Oppidum.	Eadem.	1733.
Pampelona.	*Pamplona.*	Civitas.	Sedes Episcopalis,	1606.
Peralta.	*Peralta.*	Oppidum.	Eadem.	1625.
Renteria.	*Renteria.*	Civitas.	Eadem.	1612.
Tafalla.	*Tafalla.*	Civitas.	Eadem.	1682.
Tubelia.	*Tudela.*	Civitas.	Nullius.	1613.
Valterra.	*Valtierra.*	Oppidum.	Pampelonensis.	1632.
Vera.	*Bera.*	Oppidum.	Eadem.	1638.

Fabrica, seu Hospitium.

Elizondum.	Elizondo.	Pampelonen.

Monasterium Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernaculum.*	*Tit. Ecclesiæ.*	*Num. Monialium.*	*Qualitas Regulæ.*
Tubelia.	*Tudela.*			Stricta.

Sigillum *B.V. Maria sine labe concepta.* Provinciæ.

PROVINCIA CASTELLÆ.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Vernac.*	*Qualitas loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fund*
Calceata Calatravæ.	*La Calzada de Calatrava.*	Oppidum.	Toletana.	1727.
Complutum.	*Alcala de Henares.*	Civitas.	Toletana.	1613.
Cubæ.[arum]	*Cubas.*	Oppidum.	Toletana.	1614.
Esquiviæ.[arum]	*Esquivias.*	Oppidum.	Toletana.	1696.
Guardia.	*La Guardia.*	Oppidum.	Calagurritana.	1661.
Matritum *S. Anton. Pad.*	*Madrid S. Anton. de Pad.*	Villa, Sedes Reg.Hisp.	Toletana.	1610.
.... *Patientiæ Christi.*	.... *La Paciencia.*	Eadem.	Eadem.	1637.
Naval-moralium.	*Naval moral de Pussa.*	Oppidum.	Toletana.	1732.
Pardus.	*El Pardo.*	NemusRegiū.	Toletana.	1612.
Rota.	*Rueda.*	Oppidum.	Vallis-oletana.	1740.
Salmantica.	*Salamanca.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1613.
Segovia.	*Segovia.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1628.
Taranconium.	*Tarancon.*	Oppidum.	Conchensis.	1687.
Taurus.	*Toro.*	Civitas.	Zamorensis.	1619.
Toletum.	*Toledo.*	Civitas.	Metrop. Archiep.	1611.
Vallis-oletum.	*Valladolid.*	Civitas.	SedesEpiscopalis.	1630.
Villa nova.	*Villa nueva.*	Oppidum.	Ord.Mil.S.Jacobi	1627.
Villa rubea.	*Villa rubia.*	Oppidum.	Toletana.	1638.
Xadraquium.	*Xadraque.*	Oppidum.	Seguntina.	1680.

Fabrica, seu Hospitium.

Bilbatum.	*Bilbao.*	Civitas.	Calagurritana.	1745.

Monasteria Monialium.

Locus Latine.	*Locus Hispan.*	*Qualitas Loci.*		*QualitasRegulæ.*
Clunia.	*Coruña.*	Compostellana		Stricta.
Matritum.	*Madrid.*	Toletana.		Stricta.
Nava Regia.	*Nava del Rey.*	Vallis-oletana.	SS. Corda Jesus, & Mariæ.	Stricta.
Pintus.	*Pinto.*	Toletana.		Stricta.
Placentia.	*Plasencia.*	Placentina.	Assump. B.V.M.	Stricta.
Toletum.	*Toledo.*	Toletana.	Conceptio Immaculata B.V.M.	Stricta.

Sigillum *Annuntiatio B. V. Mariæ, & infra S. P. Franciscus.* Provinciæ.

TABU-

PROVINCIA ANDALUSIÆ.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Hispan.*	*Qualitas loci.*	*Diœcesis Loci.*	*Annus Fundationis.*
Alcala Regalis.	*Alcala la Real.*	Civitas.	Abb. Consistorial.	1613.
Antiquaria.	*Antequera.*	Civitas.	Malacitana.	1628.
Augusta firma, *seu Astigis.*	*Ecixa.*	Civitas.	Hispalensis.	1631.
Castellum Locobin.	*Castillo de Locubin.*	Oppidum.	Abb. Alcal. Regal.	1626.
Corduba.	*Cordova.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1629.
Cassares.	*Cassares.*	Oppidum.	Malacitana.	1744.
Egabrum, *seu Calicula.*	*Cabra.*	Oppidum.	Cordubensis.	1635.
Gadir, seu Gades.	*Cadiz.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1639.
Giennium.	*Jaen.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1613.
Granata. *S. Jo. Bapt.*	*Granada.* S. Jo. Bapt.	Civitas.	Sedes Archiepisc.	1614.
... *B. V. Maria à bono eventu.*	... N. Señora del Buen successo.	Eadem.	Eadem.	1649.
Hardales.	*Hardales.*	Oppidum.	Hispalensis.	1626.
Hispalis.	*Sevilla.*	Civitas.	Metrop. Archiep.	1627.
Illiturgis, *seu Veja.*	*Anduxar.*	Civitas.	Giennensis.	1622.
Luciferi fanum.	*S. Lucar de Barrameda.*	Civitas.	Hispalensis.	1634.
Malaca.	*Malaga.*	Civitas.	Sedes Episcopalis.	1619.
Marcia.	*Marchena.*	Oppidum.	Hispalensis.	1651.
Monova, *seu Velis.*	*Velez malaga.*	Civitas.	Malacitana.	1632.
Mundana Cæsariana.	*Xerez de la frantera.*	Civitas.	Hispalensis.	1661.
Sexi.	*Motril.*	Civitas.	Granatensis.	1641.
Ubriquium.	*Ubrique.*	Oppidum.	Malacitana.	1660.

Missiones extra Provinciam.

Caracas, Cumana, Guajana, Meracaybo.

Monasteria Monialium.

Nomen loci Latinum.	*Nomen loci Hispan.*	*Titulus Ecclesiæ.*	*Num. Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Corduba.	*Cordova.*	S. Raphaël Archang.	XXXIV.	Stricta.
Granata.	*Granada.*		VI.	olim Stricta
Hispalis.	*Sevilla.*	S. Rosalia Virg.	XXXV.	Privileg.
Illiturgis.	*Anduxar.*	SS. Nom. Jesus, Maria, Joseph.	XXIV.	Stricta.
Malaca.	*Malaga.*	Concept. B. V. M.	XXV.	Stricta.
Monostei Promontoriū	*Puerto de S. Maria.*	S. Michaël Archang.	XXXI.	Stricta.



Sigillum

Immaculata Conceptio B. V. M., ad cujus pedes S. Jacobus, & S. Pater Franciscus genuflectunt.

Provinciæ.

INDEX
RERUM PRINCIPALIORUM,
Quæ in prima hujus V. Tomi parte continentur.

A

Abbavillensem Conventum

INgrediendi Matronis de Melun d'Epinois facultas datur, *fol.*61.

Acatholici.

Vide Ordines Religiosi.

Adrianus Maleaceus

Eques torquatus in Ecclesia Monialium Ambiani quiescit, *fol.*30.

Fr. Ægidius à Bazato

Regem & Reginam extatici raptûs habet testes, *fol.*223.

Servi Dei Fr. Agathangeli Nannetensis

Vita & Martyrium describitur, *fol.*84. de ejus Beatificatione agitur, *fol.*83.

Sor. Agnes de Rovray

Monialis, dono consilii fulget & virtute, *fol.* 42.

Fr. Albanus Ensishemianus

Hagenoensem Civitatem in fide conservat, *fol.* 219. & ejus grata memoria conservatur, *ibi*.

Alenconii

In Ecclesia Fratrum, Altaris tabula arte claret, *fol.*95.

Fr. Alexander Lugdunensis

Definitor Generalis, dotes naturæ virtute perficit, *fol.*117.

Fr. Alexius à Dinano

Donis & prodigiis sublimatur, *fol.*103.

Fr. Alexius à Martel

Conversatur in Cœlis, *fol.* 223. spirat sanctitatem è vultu, *ibi*.

Alsatiæ Provinciæ

Erectio *fol.* 227. & *fol.* 231. Plures illius Conventus casus historiâ dignos continent. *ibi*. Fratres indefesso studio animarum saluti incumbunt, *fol.* 128. Fructus eorum recensentur, *ibi*. Plures Cathedras administrant, *ibi*. pluribus Xenodochiis inserviunt &c., *ibi*. Officium Visitatoris Monialium exercent, *ibi*. Tertium Ordinem fovent & augent, *fol.*229. Privilegiis Provinciæ Helveticæ fruuntur *ibi*, circa usum pecuniarum providetur, *fol.*233.

Ambiani

Monasterium Ordinis Sanctæ Claræ fundatur, *fol.*29. Circa jura & fundationem fit concordia, *fol.*30. Maria à Borbonia, Filia Regis Siciliæ, in eo sepulta jacet, *ibi*. Nec non Adrianus Maleaceus Eques &c. *ibi*. Monialibus Capucinis assignatur, *ibi*. quarum confessiones à Fratribus excipi Rex instat, *ibi*.

Fr. Andreæ à Grazaco

Eleemosynam ex libris editis redactam in expensas novi operis converti indulgetur, *fol.*125.

Sor.

Sor. Angelica à Pelletiers

Monialis virtute claret, *fol.* 42.

Fr. Angelicus Albiensis

Definitor Generalis, *fol.* 206. pietatem cum doctrina unit, *ibi*.

Fr. Angeli à Jojosa

Meritum memoratur, *fol.* 27. reformationem Monasterii Monialium Ordinis S. Benedicti *de Montmartre* absolvit, *fol.* 28. ad Religionem Melitensem transfertur, *fol.* 31. illi Provinciarum gubernia acceptandi, ac ense incedendi, *ibi*. necnon fructus patrimoniales recipiendi facultas datur, *fol.* 32. rationes, ob quas de Religione eductus, *ibi*. & aliæ, ob quas ad hanc rediit, recensentur, *fol.* 35. Zelus prædicationis commendatur, *fol.* 36. ejus epitaphium, *ibi*.

Fr. Angelus à Torres à S. Romano

Sanguine & virtute clarescit, *fol.* 130. qua Deo per extases unitur, *ibi*.

Fr. Angelus Nivellensis

Fundat Cœtum seu Congregationem Bonorum Filiorum, *fol.* 235.

S. Aniani Conventus

Fundator, *fol.* 89. ejus Ecclesiæ Indulgentia, & Altare privilegiatum in perpetuum conceditur, *fol.* 88. Fratribus, Confessiones Monialium Ordinis Cisterciensis audire indulgetur, *fol.* 83. in earum Ecclesia Duces de Beauvillier sepeliuntur, *fol.* 89.

Anna, Regina Christianissima

Difficultates fabricæ Monasterii Monialium Turonii removet, *fol.* 72. confirmationi erectionis Conventûs Lugdunensis instat, *fol.* 122.

Fr. Antonio à Rehling

Lotharingiæ Provinciali, & Regiæ Lotharingiæ Ducissæ, ac Natorum Confessario commodum itineris permittitur, *fol.* 200

Aquitaniæ Provinciæ

Erectio, *fol.* 222. secundùm nomen laus ejus. *ibi*. floret Fratribus nobilis generis, *ibi*. & vitæ sanctioris, *fol.* 223. beneficiis Principum fovetur, *ibi*. affectu Ducum Perrooæ & Bullionii, ac assumpto ab Archiepiscopo Auscitano nostro Habitu clarescit, *fol.* 224. Capitulum appellatione interjecta non obstante, validum declaratur, *fol.* 225.

Fr. Archangelus à Treclis

Missionarius Candiæ in suo ad Provinciam regressu naufragatur, *fol.* 28. cadavere ejus mirè ad portam Conventûs Blesensis delato, *ibi*.

De Argenson Comes.

Vide Marcus de Voyer.

Arnaldus Sordinus, Episcopus

Prioratum S. Valeriæ Domui Fratrum Nivernensi unit, *fol.* 66. ejus cor in Ecclesia Fratrum reconditur, *ibi*. Zelus ejus pro Domo Dei commendatur, *fol.* 67.

Fr. Athanasii, Episcopi

Memoria renovatur, *fol.* 25. *Vide de Mesgriny*.

Fr. Athanasius Parisiensis

Institutum Magdelitarum fundat, *fol.* 28.

In Avenionense Civitate

Fratres pro libitu Crucem propriam in processionibus portare posse declaratur, *fol.* 166. pro Domo Novitiatûs construenda summa legatur, *fol.* 170. lis desuper orta dirimitur, *ibi*. exactione gabellarum Fratres molestari prohibetur, *fol.* 181.

Augii

B. V. Maria *de Mertania* dicta signis coruscat, *fol.* 95.

Fr. Augustinus à Quimperelio

Definitor Generalis, *fol.* 104.

B

Fr. Basilius de Aria

Visitator Ordinis S. Pauli primi Eremitæ constituitur, *fol.*265.

De Beauvillier, Duces

Fundârunt Domum S. Aniani pro Fratribus, *fol.*49. & pro se in hujus Ecclesia sepulturam, *ibi*.

De Beauvillier, Paulus Hippolytus

Pro Ecclesia Fratrum loci Sancti Aniani Indulgentiam & Altare privilegiatum in perpetuum obtinet, *fol.* 89. Fratribus favet, *ibi*.

De Belsunce, Henricus

Episcopus Massiliensis Fratrum charitatem tempore pestis amplè describit, *fol.*154. Pallium Archiepiscopale ei mittitur, *fol.*181.

Fr. Benedictus Anglo-Canfeldensis

Reformationem Monasterii Ordinis S. Benedicti *de Mont-Martre*, seu Monte Martyrum assumit, *fol.* 28.

Fr. Bernardi Abbavillani

Opus, epistolâ Apostolicâ commendatur, *fol.*62.

In Bisuntinæ Fratrum Domûs

Fabrica, fundamenta mirè aptata reperiuntur, *fol.*145.

Bisuntinum Monialium Ord. S. Claræ Monasterium

Fratres Confessarii ingrediuntur, *fol.*148. Sacramentorum administrationem ab his suscipi Imperatrix Eleonora instat, *fol.* 149. Indulgentiæ & gratiæ spirituales Monialium Capucinarum iis communicantur, *ibi*. Missas omnes pro Monialibus defunctis celebrandas tantùm valere, ac si essent in Altari privilegiato celebratæ, Decreto in perpetuum valituro indulgetur, *fol.*150., ac Altare in earum Ecclesia pariter in perpetuum privilegiatur, *ibi*.

Bonagratia Habsensis

Virtute & doctrina pollet, *fol.*129.

Sor. Bona Parisiensis

Sortitur animam bonam, *fol.* 179. Alphabetum Crucis componit, *ibi*. signis & prodigiis claret, *fol.*180.

Fr. Bonaventura Bellomontanus, seu Tornacensis

Ab Archiepiscopo, & Episcopo Attrebatensi & aliis in æstimatione habetur, *fol.*235. in persecutione micat ut aurum, *ibi*. donis & prodigiis coruscat, *ibi*.

Fr. Bonaventura Bethunensis

In vita ad Cœlos raptus, & post mortem diu incorruptus, *fol.*255.

Fr. Bonaventura Tolosanus

Definitor Generalis, *fol.*206. aliis mitis, sibi durus, *ibi*.

Borbonia de Montpensier, Maria

Capellam B.V. Gratiarum Honflorii Fratrum curæ committit, *fol.*95.

Borboniæ Mariæ

Cadaver in Ecclesia Monialium Ambiani quiescit, *fol.* 30.

Brinolii

Conventum Fratrum erigendi facultas conceditur, *fol.*160.

De Briſſac, Franciſci Ducis

Pietas memoratur, *fol.* 102. in Hennebontenſi Conventu cellas, & in ejus Eccleſia ſepulturam ſeligit, *ibi*.

Britanniæ Provincia

Fundatur, *fol.* 202. amplus ad Proceſſionem in poſitione primi lapidis confluxus, *ibi*. Conventus plures ære Perſonarum particularium conſtruuntur, *ibi*. Miſſiones adminiſtrat in Oriente, *fol.* 103. Viris Evangelicis & nobilibus claret, *ibi*. Dat Epiſcopum, Martyrem, & Sedis Apoſtolicæ Deputatos Eccleſiæ, *ibi*. Ordini Definitores Generales quatuor, *fol.* 104. claret Scriptoribus, *ibi*. à Provincia Turonenſi ſeparatur, *fol.* 105. Diviſionis Decretum confirmatur, *fol.* 109. ejus tranquillitas reſtituitur, *ibi*. à cura Monialium Ulyſſiponenſium eximitur, *fol.* 102.

Bullionii Dux, Fridericus Mauritius

A' Fr. Carolo Arembergenſi ad Fidem convertitur, *fol.* 123. duos Conventus Fratribus conſtruit, *ibi*. & plura beneficia largitur, *ibi*.

Bullionii Ducis Conjux, Anna

Conventum Uzetiæ ingrediendi facultate potitur, *fol.* 181.

Burgundiæ Provincia

Coaleſcit in ortu ſuo in Provinciam cum Lugdunenſi, *fol.* 144. ab hac ſeparatur, *ibi*. illi reuniri jubetur, *fol.* 123. ſine effectu, *ibi*. Viros ſpiritu Dei plenos numerat, *fol.* 144. ſicut & Nobilis proſapiæ, *fol.* 145. Rex Galliæ gratioſè iis favet, *ibi*. Fratres tempore peſtis, extra tempora ordinari &c. indulgetur, *fol.* 147.

C

Caleſii

FRatribus venenatum vinum ab Hugenotis mittitur, *fol.* 27. quo moriuntur omnes, uno excepto, *ibi*.

Calvarii, noſtræ Dominæ

Monialium inſtitutum à Fr. Joſepho le Clere de Tremblay erigitur, *fol.* 28. & *fol.* 50.

In Calvomontano Conventu

Servi Dei Fr. Honorati à Champinio oſſa requieſcunt, *fol.* 202.

Camberii

Capella B. V. Mariæ ad pontem Cognini Fratrum Domui unitur, *fol.* 132.

Campaniæ Provinciæ

Fundatio, & diverſus ſtatus, *fol.* 202. in ea Fratres animarum ſaluti incumbunt, *ibi*. Conventus quoſdam Provinciæ Lugdunenſi uniri mandatur, *fol.* 123. effectus non ſequitur, *ibi*.

In Candiæ Regno

Miſſionarius in odium Fidei ſauciatur, *fol.* 28. & alii ad Provinciam regreſſuri naufragantur, *ibi*.

Capitulum

Appellatione interjectâ non obſtante validum declaratur, *fol.* 225.

Capucinæ Moniales

In Flandria florent, *fol.* 236. Monaſteria earum Epiſcopo, *ibi*. ſubjiciuntur, *fol.* 237. ac Profeſſiones validæ declarantur, *fol.* 238. Vita Fundatricis compendiatur, *fol.* 239. Conſtitutiones earum confirmantur, *fol.* 245. quæ recenſentur, *ibi*. *Vide Monaſteria Monialium Pariſienſe, Turonenſe, Maſſilienſe, Ulyſſiponenſe, Limarum &c.*

Capucini

Tranſitus ad Canonicos Regulares S. Spiritûs validus declaratur, *fol.* 124. ad RR. PP. Obſervantes nullus, *fol.* 224. De PP. Obſervantibus ad nos tranſiens moleſtari inhibetur, *fol.* 279. Privilegium Fratrum quoad confeſſionem tempore Jubilæi, *fol.* 143.

Caputium rotundum

Et largiorem Mozzettam à RR. PP. Recollectis assumi præscribitur, *fol.* 8. *& seq.*

Pro Carcassonensi Conventu

Concessio Ecclesiæ, & donatio Domûs ratihabentur, *fol.* 209.

Carolus Card. à Lotharingia.

Vide à Lotharingia, Carolus Cardinalis.

Carolus Emmanuel, Dux Sabaudiæ.

Vide Sabaudiæ Dux, Carolus Emmanuel.

Carolus de Colbert.

Vide infra Colbert.

Fr. Carolus Tolonensis

Episcopus Bethlehemi nominatus dicitur, *fol.* 159.

Servi Dei, Fr. Cassiani Nannetensis

Via, Vita, & Martyrium describuntur, *fol.* 84. de ejus beatificatione agitur, *ibi*. & *fol.* 109.

In Castilionis loco

Octo duntaxat Fratres commorari indulgetur, *fol.* 142.

Pro Castro Naudarii fabrica

Ecclesia & Hospitale S. Rochi Fratribus donantur, *fol.* 110,

Catharina de Medicis, Regina Christianissima

In Galliis, & ultra montes Ordinem nostrum propagari instat, *fol.* 2. Situm pro primo Conventu Parisiensi donat 24. Fratres in Civitate Lugdunensi recipi commendat, *fol.* 115.

Cereti

Causa Domûs à PP. Carmelitis construendæ aliis Judicibus committitur &c. *fol.* 219. denuo examinari jubetur, *fol.* 220.

Sor. Cherubina Tarasconensis

Marito defuncto, Monasterium Massiliense ingreditur, *fol.* 180. conversionem Filii majoris obtinet, *ibi*. heroa devotione erga B. V. fertur, *ibi*.

Fr. Cherubinus Arelatensis

Ex prosapia de Boufficad, inter nos ad Mitram Grassensem aptatur, *fol.* 158. hanc inter Observantes recipit, *ibi*. mortuus ad nos redit, *ibi*.

Fr. Cherubinus Maurianensis

Zelo, signis & prodigiis claret, *fol.* 130. instituit Domum asyli pro Neo-conversis Tononii, *fol.* 137. ubi & fidem exulem restituit, *ibi*.

Fr. Cherubinus à Noves

Variis officiis in — & extra Religionem decoratur, *fol.* 159. Nuntius pro Episcopo Massiliensi Pallium petit, *fol.* 181. Tarascei Bibliothecam libris, & Ecclesiam SS. Reliquiis replet, *fol.* 188. pro utraque varia indulta procurat, *ibi*. necnon pro Provinciis Galliæ & aliis sparsim, *ibi & seq.* Procurator Missionum Galliæ, Hiberniæ &c. constituitur, *fol.* 184. Confessiones excipiendi generalem facultatem obtinet, *fol.* 186. Definitor Generalis pro parte Galliæ subrogatur, *f.* 19. in hoc munere confirmatur, *f.* 159.

Fr. Claudius Athensis

In Palæstinam à Rege Ludovico XIII. & Regina, voti ergò ablegatur, *fol.* 28.

Fr. Claudius Bituricensis

Bina vice Definitor Generalis renuntiatur, *fol.* 66.

In

In S. Claudii loco

Fabrica Monasterii R R. PP. Carmelitanis inhibetur, *fol.* 147.

De Colbert de Terron, Carolus

Fratres Rupeforti stabiliri urget, *fol.* 66.

Colmariæ

Missio instituitur, *fol.* 231.

Fr. Columbanus Ensishemianus

Electoris Bavariæ Theologus & Confessarius, *fol.* 229. Regularis Observantiæ tenax Custos, *ibi*. Officiis Provinciæ fungitur, *ibi*.

Confessarius ordinarius

Extraordinario Monialium confessiones excipiente, in Conventu permanere debet, *fol.* 20.

D

Dedicandi

Libros, templa, Urbes mos antiquus, *fol.* 152.

Fr. Didacus à Civitate nova

Regi Christianissimo pro negotio in Civitate Gebennensi peragendo commendatur, *fol.* 141. nec non Reginæ Christianissimæ, *ibi*.

Fr. Dionysii Viriensis

Meritum epitaphio concluditur, *fol.* 93. & *seq.*

In Dolensis Conventûs Ecclesia

Altare S. Margaritæ in perpetuum privilegiatur, *fol.* 146.

Fr. Dominicus Sabaudus

Cum nuncio electionis Hilteprandi in Episcopum Sedunensem Romam ablegatur, *fol.* 140.

Dunkerchæ

Confraternitas B. V. Mariæ Auxiliatricis viget, *fol.* 235. Imago miraculosa asservatur, *fol.* 236.

Durantus, Stephanus

Fratres Tolosam vocat, *fol.* 204. agitatur contra eos, *fol.* 205.

E

Ecclesiæ visitatio.

Vide Episcopus.

Eleemosynam

Quærentes Fratres Episcopus turbare prohibetur, *fol.* 97. pro revidenda quæstuantium licentia Parochos constitui præscribitur, *fol.* 170.

Eleonora, Imperatrix

A' Fratribus administrationem Sacramentorum in Bisuntino Monialium Ordin. Sanctæ Claræ Monasterio suscipi instat, *fol.* 149.

Fr. Emericus Matisconensis

Definitor Generalis, merita humilitate occulit, *fol.* 117.

Fr. Emmanuel de Laissé

Definitor Generalis, spiritu consilii pollet, *fol.* 117.

D' Espernon

Vide Perona Dux.

Epiſcopis

Feſta & jejunia transferentibus Fratres noſtros parere nec poſſe, nec debere declaratur, *fol.* 14. cauſis Fratrum ſe immiſcere inhibentur, *fol.* 74 Epiſcopus Fratres in queſtuatione eleemoſynæ turbans deſiſtere monetur, *fol.* 79. Eccleſiæ noſtræ viſitatio reprobatur, *fol.* 168.

F. Eugenius Inſulenſis

Primogenituram cum paupertate commutat, *fol.* 236. cui miram humilitatem jungit, *ibi.* & auſteritatem, *ibi.* claret donis & famâ ſanctitatis, *ibi.*

Euſtachius de Lys, Epiſcopus.

Vide de Lys, Euſtachius.

F

In Flandria

Erectio Confraternitatum, aut erectarum ad uſum reductio conceditur, *fol.* 3. Capucinæ Moniales florent, *fol.* 236. *Vide Capucinæ Moniales.*

Sororis Franciſcæ Avenionenſis

Cadaver flexibile & incorruptum reperitur, *fol.* 178.

Sor. Franciſcæ à S. Audomaro

Fundatricis Monialium Capuciuarum in Flandria, vita compendiatur, *fol.* 239.

Fr. Franciſci Nugentii

Virtus & meritum noviter commendatur, *fol.* 276.

Fr. Franciſcus à Maclovio

Definitor Generalis, *fol.* 104.

Fr. Franciſcus Joſephus de Matignon

Definitor Generalis, *fol.* 104.

G

Fr. Gabriel à Neocaſtro

Miſſiones cum Epiſcopali laude peragit, *fol.* 196.

Fr. Gabrielem à Dinano

Virtus vitæ, & prodigia mortis commendant, *fol.* 104.

In Gallia

Domos, Cuſtodias, & Provincias erigere Fratribus indulgetur, *fol.* 1. Confraternitates ibi erigi, aut jam erectas ad uſum revocari, cum indulgentiarum lucro conceditur, *fol.* 3. Fratres cum licentia ſuorum Superiorum ſcriptâ Monaſteria Monialium accedere, ac Confeſſarios earum clauſtra, pro excipiendis infirmarum confeſſionibus ingredi poſſe declaratur, *fol.* 18. *Vide & Confeſſarius.* Comitantibus Proceſſionem ad Crucem pro nova Domo Regulari erigendam Indulgentia plenaria conceditur, *fol.* 6. Controverſia Habitûs RR. PP. Tertiarios de Pœnitentia inter - & nos agitata dirimitur, *fol.* 6. ſicut & cauſa de Caputio & largiore Mozzeta à RR. PP. Recollectis aſſumenda, *fol.* 8. A Fratribus intra Provincias, Miſſiones inſtitui conceditur, *fol.* 13. In cauſis, aliàs ad S. Officium Inquiſitionis ſpectantibus, Provinciales contra ſubditos procedunt, *fol.* 14. Fratres Epiſcopis jejunia & feſta transferentibus parere nec poſſe, nec debere declaratur, *fol.* 14. ad Tertium Ordinem Sæculares recipere Fratribus vetitur, *fol.* 15. Conſtitutio revocatur, *fol* 16. Syndici Provinciarum pietas Pontificia laude effertur, *fol.* 17. & alios Syndicos conſtituendi facultas datur, *ibi.* In locis Miſſionum Indulgentiæ Ordinis, ad Eccleſias Sæculares extenduntur, *fol.* 19. Fr. Cherubinus à Noves Definitor Generalis pro parte Galliæ ſubſtituitur, *fol.* 19. Fratribus quarumdam Provinciarum libros hæreticos legendi, ab hæreſi abſolvendi facultas conceditur, *fol.* 21. facultates locis Miſſionum conceſſæ enumerantur, *ibi.* Cauſas Fratrum Provinciales excluſo Epiſcopo judicant, *fol.* 74. *quibus Conſtitutio de Secretario tom.* 1. *fol.* 61. *poſita adjungi poteſt.*

In Galvienſi Civitate

Fratres Hiberni firmantur, *fol.* 284. protectione Reginæ adjuti, *ibi*.

Genevæ

Pro Fratribus Domus aſyli petitur, *fol.* 129.

In Germania

A' Fratribus intra Provincias Miſſiones inſtitui conceditur, *fol.* 13. ceram contra maleficia confici permittitur, *fol.* 270.

Fr. Gervaſius Briſacenſis

Officiis Ordinis claret & libris, *fol.* 229.

Gerundæ

RR. PP. Carmelitarum Conventum Fratribus conſignari jubetur, *fol.* 140.

Godefridus, Epiſcopus Pictavienſis

Eccleſiam Parochialem S. Gregorii, Pictavienſi Conventui unit, *fol.* 66.

Graiaci

Privilegium Altaris transfertur, *fol.* 151. Imago B. V. coruſcat prodigiis, *ibi*. maximus ad illam concurſus, *ibi*.

Ex Granatenſi Conventu

Fratres ad carceres ducuntur, *fol.* 205.

De la Grange le Roy.

Vide Magdalena Monialis.

Guilielmus d'Huges, Epiſcopus Nivernenſis

Fratres variis gratiis dignatur, *fol.* 66.

H

Habitûs

Cauſa contra Tertiarios de Pœnitentia deciditur, *fol.* 6. ſicut & illa Capucii & Mozzettæ largioris contra RR. PP. Recollectos, *fol.* 8.

Habitum Tertii Ordinis.

Vide Tertium Ordinem.

Ab Hæreſi

Abſolvendi, libros hæreticos legendi &c. Fratribus conceditur, *fol.* 21.

Hæretici

Fratres in Conventuum fabricia impedire conantur, *fol.* 205.

Henricus III. Rex Chrianiſſimus

Ordini noſtro ſuam Protectionem addicit, eumque ad omnia Regni loca propagari indulget, *fol.* 2.

Henricus de Belſunce.

Vide De Belſunce, Henricus.

Henricus, Epiſcopus Virodunenſis.

Vide à Lotharingia Henricus, Epiſcopus.

Henricus Montmorancius.

Vide Montmorancius Dux, Henricus.

Fr. Hieronymus Arelatenſis

Ex Laurentiorum genere duorum Archiepiſcoporum Frater, & ad tres Archiepiſcopatus nominatus, nullum acceptat, *fol.* 159.

Hiberniæ Insulæ, & Regni

Felicitas describitur, *fol.* 271. claret Viris doctis & sanctis, *fol.* 272. modernus Religionis status deplorandus, *ibi.* Fratrum Zelus in adjutorium vocatur per litteras varias, quæ adducuntur, *ibi, & seq.* in Regno eos stabiliri Rex instat, *f.* 275.

Provinciæ Hiberniæ

Missio confirmatur, *fol.* 278. cui privilegia aliorum Regularium conceduntur, *ibi.* sicut & Residentias &c. RR. PP. Conventualium occupandi facultas, *fol.* 275. Circa Missionarios quædam præscribuntur, *fol.* 279. Domus eorum in Constitutionibus de Monasteriis non comprehendi declaratur, *fol.* 280. Collegium in Civitate Insulensi pro Missionis augmento erigitur, *fol.* 281. quod ad Provincias Lageniæ & Mediæ restrictum declaratur, *ibi.* Sedani Missionarii diplomate regio stabiliuntur, *fol.* 283. Conventus per decennium erigendi facultas datur, *fol.* 285. cujus confirmationem Hiberniæ Antistites sollicitant, *ibi.* & Regni Proceres, *fol.* 288. Fratres in beneficium Nautarum Anglorum Missionarii declarantur &c. *fol.* 289. Decretum de Electione Custodis & jure &c. confirmatur, *ibi.* in Provinciam erigitur, *fol.* 290. elaret Viris zelo fidei munitis, *fol.* 276. quorum plures graves persecutiones patiuntur, *ibi.*

Hilteprandus, Episcopus Sedunensis.

Fratrum Sabaudiæ zelum commendat, *fol.* 128. electio ejus in Episcopum Sedunensem Papæ intimatur, *fol.* 140.

Fr. Honoratus Cannetensis

Celebris Præco, & Missionarius, *fol.* 159. ab Episcopis ad Missiones universim expetitur, *ibi.* *Magnus Vir* laudatur, *ibi.*

Servi Dei, Fr. Honorati à Champignio

Virtus celebratur, *fol.* 16. pro ejus Beatificatione insistitur, *ibi.* Reformat Monasterium Monialium Ordinis S. Benedicti loci *de Montevilliers*, *fol.* 28. *Vide Companiæ Provinciæ.*

Honflorii

Capella B.V. Gratiarum Fratrum curæ committitur, *fol.* 95. Conventus PP. Servorum Beatæ Mariæ, Provinciæ unitur, *fol.* 97.

Hugenoti

Fr. Petrum à Droco occidunt, *fol.* 27. Fratribus Calesii venenatum vinum mittunt, omnibus eorum exin extinctis, uno solùm excepto, *ibi.*

D'Hugues

Vide Guilielmus, Episcopus Nivernensis.

Fr. Hyacinthus Avenionensis

Ex stirpe de Verelos, Episcopatum recusat, *fol.* 159.

I

Jacobæa de Baccallier

Habitu Capucino induta mirè vivit, *fol.* 206. sanctè moritur, *ibi.*

Jacobus Blunketus

Dominus de Longvvort, de suo fidei Zelo commendatur, *fol.* 280. Fratres in socios vocare monetur, *ibi.*

Indulgentia

Plenaria comitantibus Processionem in erectione Crucis nuvarum Domuum institutam conceditur, *fol.* 6. & 162.

Fr. Innocentius ab Assarico

Vir Dei babetur, *fol.* 223. in fama sanctitatis obit, *ibi.*

In Insulæ Oppido

Monasterium Monialium Capucinarum erigitur, *fol.* 160. circa dotes & guberoium ei providetur, *ibi.* & Capucinarum Monialium privilegia communicantur, *f.* 161.

Pro

Pro Insulæ Fratrum Conventu

Emptio, & donatio factæ confirmantur, *fol.* 263. Fratres in eo morari præscribitur, *ibi*.

In Flandro-Insulensi Civitate

Collegium pro Missione Hiberniæ erigitur, *fol.* 281.

Insulensis Provinciæ

Origo, *fol.* 234. *&* *fol.* 266. colit studia, *ibi*. peste infectis inservit, *ibi*. in quo obsequio plures Fratres moriuntur, *ibi*. hæresi obstat, *fol.* 235. in ea Fratres, Cathedras insignes & ordinarias conscendunt, *ibi*. claret Fratrum nobilitate & virtute, *ibi*, *& seq.* Confraternitatem B. Virginis *Auxiliatricis* variè instituit, *ibi*. In ea Monialium Capucinarum Institutum floret, *fol.* 236. operâ Fr. Augustini Bethunensis potissimùm inductum, *ibi*. Transactio circa prima Officia confirmatur, *fol.* 269. confectio ceræ contra maleficia permittitur, *f.* 270

Inquisitio

Vide Officium Inquisitionis.

Fr. Joan. Maria à Treslon

Henricæ Borboniæ, Angliæ Reginæ, à confessionibus, ad Ædes Lauretanas, & ad Summum Pontificem ablegatur, *fol.* 28.

Fr. Joan. Franciscus de Piegon

De Equite Melitensi fit Ordinis laicus, *f.* 160.

Fr. Joannes Pessulanus

Regi Christianissimo à Summo Pontifice commendatur, *fol.* 217.

De Jojosa, Fr. Angelus

Vide Fr. Angelus.

De Iojosa, Franciscus Cardin.

Ædes D. Nicolai pro fabrica Domûs Turonensis, *fol.* 66. & Capellam S. Lupi pro Domo Narbonensi donat, *fol.* 207.

F. Ioseph le Clerc de Tremblay

Congregationem nostræ Dominæ Calvarii instituit, *fol.* 28. Ejus adventum sibi gratum fuisse Papa renuntiat, *fol.* 48. ac vita epitomatur, *ibi*.

Fr. Iovita Dolanus

Definitor Generalis, Provinciam Burgundiæ ex ortu illustrat, *fol.* 145.

Iubilæi tempore

Fratres privilegio confitendi fruuntur, *f.* 143.

Fr. Iustinus Biterrensis

Definitoris Generalis officium bina vice sortitur, pluribus dignus, *fol.* 206.

K

Keiserspergensi, seu Kienshemiano Conventui

Situs ab Abbate Stivagiensi donatur, *fol.* 230. quod ab Episcopo Basileensi laudatur, *ibi*. Miraculosa Imago in Ecclesia Fratrum asservatur, *fol.* 230. *Vide Vinbachii*.

L

Laicus

Ad statum clericalem transire volens, in sua prima vocatione manere jubetur, *fol.* 290.

Fr. Leonardus Carnotensis

In regno Candiæ vulneratur, *fol.* 28. in alia Insula Missionarios laborea complet. *ibi*.

Leonardus de Mesmey &c.

Provinciæ Burgundiæ insignia Benefactor, *fol.* 144.

Fr. Leonardi Parisiensis

Definitoris Generalis Zelus Missionum, & virtus vitæ memoratur, *fol. 27.*

Leonardus de Trape

Archiepiscopus Auscitanus Capucinorum Professionem emittit, *fol.* 224. inter eos vivit, *ibi.* & Habitu nostro sepelitur, *ibi.*

In Lyneyensis Conventûs Ecclesia

Indulgentiæ tum plenariæ, tum partiales perpetuantur, *fol.* 198.

De Lys, Eustachius Episcopus

Nivernensis, cor in Ecclesia Fratrum sepeliri mandat, *fol.66.*

In Lingonensis Conventûs

Fabrica, numisma memoriâ dignum reperitur, *fol.*203.

In Lotharingia

Missiones intra Provinciam à Fratribus institui conceditur, *fol.*13.

A' Lotharingia, Carolus Cardinalis

Fratres in Galliam mitti urget, *fol.*23. varios Conventus construit, *fol.*149.

A' Lotharingia, Henricus

Episcopus Virdunensis, Conventum Fratrum ædificat, *fol.* 149. Habitum Ordinis assumit, *fol.*195. & hocce indutus sepelitur, *ibi.*

A' Lotharingia, Ludovicus Cardinalis

Conventui Remensi tria terræ jugera donat, *fol.57.*

A' Lotharingia, Ludovica

Franciæ Regina, constructionem Monasterii Monialium Capucinarum in Civitate Bituricensi disponit, *fol.*37. vita & mors commendantur, *fol.*40. commutata ejus voluntate, Monasterium Lutetiæ Parisiorum erigitur, *ibi.* ad cujus Ecclesiam cadaver illius transfertur, *fol.*42.

In Lotharingiæ Provincia

Conventus fundare Proceres & alii æmulantur, *fol.* 195. Domui Regiæ plurimùm debet, *ibi.* In via Domini impigra laborat, *fol.*196. Ejus cum Provincia Lugdunensi unio, *ibi.* & ab illa Campaniæ separatio, *ibi.* Monialium Nancei curam suscipere jubetur, *fol.*199. Domus in dominio Regis Christianissimi sitæ, ab ea separantur, *fol.* 199. extra tempus Capituli Guardianos eligere indulgetur, *ibi.*

Lotharingiæ Regia Domus

Optimè de Ordine nostro merita, *fol.*194. beneficia carptim recensentur, *ibi.* Plures Conventus construit, *ibi.* plura alia beneficia Ordini confert, *ibi & seq.* huncque vario honore prosequitur, *ibi.*

Fr. Ludovici de Mornay, Episcopi

Virtus commendatur, *fol.*25.

S. Ludovici Provincia

Hujus patrocinio dedicatur, *fol.*152. quem Brinolii natum prætendit, *ibi.* ejus origo, *ibi.* character distinctionis, *charitas*, *fol.*153. hanc tempore pestis commendant Civitates, status, & Episcopi, *fol.*154. & ad longum enarrat modernus Massiliæ Antistes, *ibi.* Missiones fructuosè instituit, *fol.* 156. quorum plures pro ea privativè & stabiles fundatæ sunt, *fol.* 157. A' Regibus Christianissimis gratiosè semper fota, *ibi.* Syndici Conventuum ab omni civili officio eximuntur, *ibi.* Viros dignitate Ecclesiæ dignos habuit, *fol.*159. & ex genere Nobiles, *ibi.* claret & tertii Ordinis directione, *fol.* 160. in ea Missionarios, eleemosynas conservare posse declaratur, *fol.* 169.

Fr. Ludovicus à Iulio

Definitor Generalis, virtute & Ordinis officiis clarescit, *fol.*27.

Ludovica à Lotharingia Regina

Vide suprà à Lotharingia Ludovica.

Ludovicus XIII. Rex Christianissimus

Processum Beatificationis Fr. Honorati à Champignio urget, *fol.* 26. Fratres in Confessarios Monialium Ambiani deputari instat, *fol.*30. Conventum Angariacensem construi jubet, *fol.* 65. Monialium Turonensium curam à Fratribus suscipi instat, *fol.* 70. difficultates fabricæ removet, *fol.* 72. Domum asyli Fratribus Genevæ dari commendat, *f.*129.

Ludovicus XIV.

Novum Monasterium Monialium in Civitate Parisiensi asse suo fundat, *fol.* 41. sicut & aliud Massiliæ, *fol.*178. Pro Beatificatione FF. Agathangeli & Cassiani instat, *fol.* 86. Syndicos Conventuum in Provincia S. Ludovici à civicis officiis eximit, *fol.* 157. in San-Manechildensi Fratrum Ecclesia votum Regni renovat, *fol.*203.

Ludovicus XV.

Monialibus Parisiensibus Campanam donat, *fol.*42. eas & invisit, *ibi*.

Fr. Ludovicus Franciscus Argentomensis

Scriptor disertus, *fol.*95. & notus, *ibi*.

Lugdunensis Provincia

Fundatur, *fol.*115. numero Conventuum excedit omnes Provincias, *ibi*. aliarum Provinciarum Mater, *ibi*. ejus præcedentia decernitur, *ibi*. animarum saluti incumbit, *fol.* 116. Familiæ Pianellæ de Valletta plurimùm devincitur, *fol.* 117. de zelo suo Apostolicis litteris laudatur, *fol.* 223. ei Provinciam Burgundiæ uniri mandatur, *ibi*. effectu non secuto, *ibi*.

Lugdunensis Fratrum Conventûs

Erectio confirmatur, non servatâ distantiâ, *fol.*121.

A Luxemburgo, Maria Ducissa Mercurii

De mutanda Ludovicæ Reginæ dispositione circa Monasterium Monialium Romæ agit, *fol.*40. curam fabricæ in se suscipit, *ibi*. de sua substantia promovet, *ibi*. difficultates constans superat, *ibi*. Puellas pro novo Monasteriò aptat, ac in ejus Palatio instituit, *ibi*. aliud Monasterium Monialium Turonii fundat, *fol.* 70. & 71. *Vide & ibi*.

M

Sor. Magdalena de la Grange

Monialis, genere, & virtute nitet, *fol.* 42.

Magdelitarum

Institutum à Fr. Athanasio Parisiensi fundatur, *fol.*28.

Marci le Voyer, Comitis de Argerson

Provinciarum Galliæ Syndici pietas commendatur, *fol.* 17. & alios Syndicos substituendi facultas datur, *ibi*.

Maria Borbonia

Vide Borbonia Maria.

Maria à Neoburgo

Regina Catholica, Capellam Sancti Antonii in Ecclesia Pali construit, *fol.* 223. Bajonæ illam Sancti Caroli, *ibi*. & Sacramentum exponi sancit, *ibi*.

Maria à Luxemburgo, Ducissa Mercurii

Vide à Luxemburgo.

Maria, Regina Christianissima

Fratres in causa Habitûs commendat, *fol.* 7. & 8.

Martici seu Maritimæ

Processioni ad Crucis plantandæ locum intervenientibus, Indulgentiæ ad decennium, *fol.* 162. aliæ in festis B. V., ac S. P. Francisci orantibus in perpetuum conceduntur, *ibi*.

Martha d'Oraison, Baronissa

Ingressum Monasterii Parisiensis poscit, *fol.* 176. repulsam patitur, *ibi.* ipsa Monasterium Capucinarum fundare statuit, *ibi*. Civitatem Tulonensem ad id feligit, *fol.* 177. Regia jam obtenta facultate consilium mutatur, & Massilia destinatur, *ibi.* Crux plantatur, *ibi.* Institutrices Parisiis vocantur, *ibi.* Martha Novitiatum ingreditur, *fol.* 178. transit Parisios, ubi non excipitur, *ibi.* Inservit Xenodochiis, *ibi.* moritur, & in Ecclesia Monialium ibi sepelitur, *ibi.* para menti Monialibus Massiliæ mittitur, *ibi.*

Massiliæ

Aliisque Diœceseos locis, Conventus erigendi facultas datur, *fol.* 153.

Massiliense Monalium Monasterium

Fratribus restricta gubernandi facultas perpetuatur, *fol.* 173. Moniales adinstar Monasterii Parisiensis vivere debere decernitur, *ibi*. Destruitur ordine regio, *fol.* 178. Moniales in alias Ædes, & postea in novum Monasterium ducuntur, *fol.* 179. Fundatoris titulum Rex sibi retinet, *ibi*. Austerioris vitæ ibi disciplina viget, *ibi*. Moniales sanctioris vitæ famam acquirunt, *ibi*.

Fr. Mathiæ à Salodio

In Gallia, Sabaudia, & Flandria Confraternitates erigendi, aut erectas ad usum revocandi facultas conceditur, *fol.* 3.

In S. Mauritii loco

Domum terminari, & sex Fratres in ea morari indulgetur, *fol.* 142.

De Melun d'Epinois

Familiæ Matronis, Abbavillensem Conventum ingrediendi facultas datur, *fol.* 60.

In Mervillensis Conventûs

Fundamentis plura cadavera cum Habitu Ord. S. Benedicti incorrupta reperiuntur, *fol.* 236.

De Mesgrigny, Fr. Athanasius

Episcopus Grasensis, ad jura Ecclesiæ tenenda monetur, *fol.* 60. ejus obedientia commendatur. *fol.* 61.

In Milliarii Conventu

Facta situs donatio ratihabetur, *fol.* 217. Fratres ab Hæreticis vexantur, *fol.* 205.

Mimatensis Conventûs

Fratres de zelo, Apostolicis litteris commendantur, *fol.* 123.

Missa, & Officium

De SS. Reliquiis concedi solita extenduntur, *fol.* 123.

A Missionariis

Eleemosynas collectas conservari posse declaratur, *fol.* 159.

In Missionum locis

Indulgentiæ Ordinis ad Ecclesias Sæcularium extenduntur. *fol.* 19. Facultates Apo-
sto-

ftolicæ locis Missionum concessæ enumerantur, *fol.* 21.

Monialibus

Officia Ordinis Nostri recitare conceditur, *fol.* 101.

Monialium Monasteria

Fratres cum licentia suorum Superiorum scripta accedere posse declaratur, *fol.* 5. ac earum claustra Confessarii pro excipiendis Infirmarum Confessionibus ingrediuntur, *fol.* 18. earum confessiones excipiente Confessario extraordinario, Ordinarius in Conventu suo remanere debet, *fol.* 20.

In Morgiaci loco

Sex tantùm Fratres degere indulgetur, *fol.* 142.

De Monsmartre, seu Montis Martyrum Monasterii

Ord. S. Benedicti reformatio à Fr. Benedicto Anglo Canfeldensi inchoatur, *fol.* 28. à Fr. Angelo à Jojosa absolvitur, *ibi*.

De Monte-Villiars Monasterium

Monialium Ord. S. Benedicti Reformatarum à Fr. Honorato à Champignio ad florem observantiæ reducitur, *fol.* 28.

Montis Pessulani Conventûs

Fabricam Hæretici impedire moliuntur, *fol.* 205.

Dux Montmorancius, Henricus

Par, & Marechallus Franciæ &c. Aulam deserit, *fol.* 105. in Domo S. Agathæ animæ negotia curat, *ibi*. piè & inter Fratres obit, & in nostro Habitu sepelitur, *ibi*.

N

Nanceiani Monialium Monasterii

CUram Fratres in se suscipere jubentur, *fol.* 199.

Pro Narbonensis Conventûs fabrica

Capella S. Lupi Fratribus donatur, *fol.* 207.

Fr. Nicolaus Divionensis

Definitor Generalis, sapientia sermonis nitet, *fol.* 117.

Fr. Nicolaum à Flexia

A Papa benignè exceptum esse, Duci Longavillæ scribitur, *fol.* 99.

Nivernensis Domus

Fundatur, *fol.* 67. cui Ædes S. Valeriæ uniuntur, *fol.* 66.

Normanniæ Provincia

Erigitur, *fol.* 90. claret Viris illustribus, *fol.* 93. & Martyribus sanguinis, *ibi*. ac charitatis, *ibi*. in ea populus Fratribus favet, & fovet, *fol.* 95. Habitum Tertii Ordinis conferre posse declaratur, *fol.* 100.

O

De PP. Observantibus

AD nos transiens Frater molestari inhibetur, *fol.* 279.

S. Officii Inquisitionis

Causas, Provinciales in Gallia judicant, *fol.* 14.

Officium & Missa

De Sanctis non canonizatis &c. *Vide infra S. Ovidii*.

D'Orai-

D'Oraiſon, Martha Comitiſſa

Vide Martha d'Oraiſon.

Ordinis Noſtri

Officia Monialibus Rothomagi &c. recitare indulgetur, *fol.* 101.

Ordo Tertius

Vide Tertius Ordo.

Ad Conventûs B. V. de Oriente

Beneficium, ſitus Eccleſiæ ſæcularis permutatur, *fol.*218.

S. Ovidii Mart. Corpus

In Eccleſia Monialium Pariſienſium colitur, *fol.* 62. continuatio ejus Officii tolleratur, *ibi.*

P

Pariſienſe Monialium Monaſterium

Fundatur, *fol.* 37. in id Moniales introducuntur, *f.*41. Ordinis juri ſubditur, *f.*38. cujus privilegia ei communicantur, *ibi.* Confeſſarios & Capellanos à Miniſtro Generali deputari mandatur, *ibi.* ad plateam triumphi transfertur, *fol.* 41. Regia protectio ei addicitur, *ibi.* Moniales virtute clarent, *ibi.* A' Rege, Regina, Principibus inviſuntur, *fol.*42. SS. Reliquias accipiunt, *ibi.* In earum Eccleſia cadavera primarum Familiarum ſepeliuntur, *ibi.* quæ ordine chronologico recenſentur, *ibi.* Ex Monaſterio Fundatrices Ulyſſiponem mittuntur, *fol.*59.

Pariſienſis Provincia

Fundatur, *fol.* 23. aliarum Provinciarum Mater, *fol.*25. Filiis nobilitatis claret, *fol.*27. zelum animarum ad Orientis plagas extendit, *ibi.* ſanguine Martyrum coruſcum, *ibi.* Regum Chriſtianiſſimorum favore fovetur, *fol.* 28. Ordines Regulares fundat, vel reformat, *ibi.*

Fr. Paſchalis à Treclis

Miſſionarius Candiæ in reditu naufragatur, *fol.* 28. cadaver ejus per aquas ad Conventum Bleſenſem portatur, *ibi.*

Fr. Paulus à Ceſena

Ad viſitandas ſacram Tononii Domum & vicinas Miſſiones à Summo Pontifice ablegatur, *fol.* 136.

De Pelletiers

Vide Angelica Monialis.

Peronæ Dux, Ioannes Ludovicus

Cadillacenſem Conventum ædificat, *fol.* 223. cellas pro ſuo receſſu, *ibi.* & aliàs fabricas, opere & ope juvat, *ibi.*

Pro Perpinianenſi Conventu

Voluntas Teſtatoris commutatur, *fol.*215.

Pertuſii

Conventum veterem vendi &c. indulgetur, *fol.* 159.

Fr. Petrus à Droco

Ab Hugenotis occiditur, *fol.* 27.

Fr. Petri Dublinenſis

Virtus commendatur, *fol.*277.

Fr. Petrus Pictavienſis

Virtute & doctrina celebris, Definitor Generalis renuntiatur, *fol.* 66.

Philippus

Vide de Saveuſe.

Pictavienſi Domui

Eccleſia Parochialis S. Gregorii unitur, *f.*66.

Pia-

Piannella de Valetta Familia

De Provincia Lugdunensi optimè meretur, *fol.* 117.

Fr. Polycarpi Salinensis

Charitatem & mortem in obsequio pestis, faces commendant, *fol.*145.

Portugallia.

Vide Ulyssipo.

Provinciales Ministri

Causas Fratrum judicant, *fol.*74. & acta Episcopi se se intrudentis annullantur, *ibi.*

Q

Quæstuare.

Vide Eleemosyna.

R

RR. PP. Recollecti

In Gallia Capucium rotundum, & Mozettam largiorem assumere jubentur, *fol.*8. & *seq.*

Reliquiæ.

Vide Officium & Missa.

Remensi Conventui

Facta terreni donatio confirmatur, *fol.*57.

De Riedmatten, Hilteprandus Episcopus.

Vide Hilteprandus Episcopus.

Rothomagi

In Cœmeterio 20. Fratres in obsequio pestis defuncti quiescunt, *fol.* 93. eorum Epitaphium, *ibi.* Ecclesiâ Fratrum tabulis insignibus ornatur, *fol.*95. & Imago B.V. de sanitate gratiis fulget, *ibi*, à Regina Maria commendata, *fol.*95. & 96.

De Rouvre.

Vide Agnes Monialis.

Rupeforti

Fratres stabiliuntur, *fol.*66.

Rupella

Fratrum fidei & incolatui destinatur, *fol.*66.

S

In Sabaudia

Confraternitatum erectio, aut jam erectarum ad usum revocatio cum indulgentiis conceditur, *fol.*3. Missiones intra Provinciam institui conceditur, *f.*13.

A' Sabaudia Dux, Carolus Emmanuel

Zelo Fratrum contra Acatholicos utitur, *fol.* 127. eis in Domo Compassionis votum deliberativum concedit, *fol.* 130. nec non officium Missionis & prædicationis tum in dicta Domo, tum in Præfecturis &c. *ibi.*

A' Sabaudia, Elisabeth Francisca

Regina, Moniales Capucinas in Civitate Ulyssiponensi fundat, *fol.*60.

Sabaudiæ Provinciæ

Fundatur, *fol.* 117. Persecutiones patitur ab Acatholicis, *fol.*126. & 128. eorum zelus Dux Carolus litteris commendat, *fol.*127. sicut & Episcopus Sedunensis, *fol.*128. & Respublica Vallesiæ se zelo Fratrum potissimùm in fide servatam testatur, *fol.*131. ablegatis ad Missiones Fratribus facultates conceduntur Apostolicæ, *fol.*133. & *seq.* Provincia erigitur, *fol.* 138. Zelus Missionariorum litteris Apostolicis encomiatur, *fol.*143.

Salinensi Domui

Relictum pium legatum remittitur, *fol.* 146.

In San-Manechildensi

Fratrum EcclesiaRex Christianissimus votum erga B. V. M. renovat, *fol.* 203.

De Saveuse, Philippus

Ambiani Monasterium Ordinis Sanctæ Claræ fundat, *fol.* 29.

Sedani

FF. Missionarii Hiberni ordine regio stabiliuntur, *fol.* 283.

In Sedunensi Civitate

Fratrum Domum construi, Episcopus monetur, *fol.* 136.

Sepulchrum Domini

Invisendi quibusdam Fratribus licentia datur, *fol.* 237.

Sor. Seraphina Avenionensis

Siccam plantam germinare facit, *fol.* 180. componit 15. gradus orationis, *ibi.* raptus & visiones babet, *ibi.*

Fr. Seraphini Rothomagensis

Meritum memoratur, *fol.* 95.

Simoniacos

Tempore orationis 40. horarum absolvendi, sex Fratribus facultas datur, *fol.* 69.

Sirenen locus.

Vide Gerundæ.

Fr. Spiritum

Sibi commissa retulisse Papa (nunc Sancto) Francisco de Sales renuntiat, *fol.* 133.

Fr. Spiritus

A' Rege ad Papam ablegatus, de executione negotii commendatur, *fol.* 57.

Fr. Spiritus Blessensis

Visitator Monasterii Monialium Fontis Ebraldi constituitur, *fol.* 67.

Syndici

Provinciarum Galliæ pietas commendatur, *fol.* 17. *Vide Marcus le Voyer.*

T

Tarasci

Orantibus in Capella B. V. M. in variis festis indulgentiæ perpetuæ conceduntur, *fol.* 165. in Ecclesia ibi officium de S. Martha fieri debere sancitur, *fol.* 180. libros è Bibliotheca extrahi vetitur, *fol.* 182. etiam collocandos, *fol.* 183. ac prohibitos in ea asservari conceditur, *ibi.* curâ P. Cherubini libri ampliantur, *fol.* 184. Inscriptio, *ibi.* In Ecclesia orantibus Litanias omnium Sanctorum indulgentiæ 500. annorum, *fol.* 192. & aliis semel in anno indulgentia plenaria conceduntur, *fol.* 186. quæ utrinque perpetuantur, *f.* 187. & *f.* 192. Ex ea Reliquias extrahi vetitur, *f.* 187. quæ recensentur, *fol.* 188. & pro quibus Officium & Missa conceduntur, *fol.* 190. quæ memorantur, *ibi.* Scalam Sanctam prope Ecclesiam ascendentes solitas indulgentias acquirunt, *fol.* 192. quæ perpetuantur, *fol.* 193. Præter hasce indulgentias sunt & aliæ partiales, *ibi.* viget & ibi Confraternitas sub titulo Compassionis D. N. J. C. cum facultate benedicendi coronas, Camaldulenses dictas, *ibi.* sicut & Confraternitas Compassionis B. V. Mariæ, *ibi.*

RR. PP. Tertiariis de Pœnitentia

Forma Habitûs &c. præscribitur, *fol.* 6.

Tertii Ordinis

Habitum concedere Fratribus denegatur, *fol.* 15. conceditur, *fol.* 16. & 100.

Fr. Thimotheus à Flexia

Episcopus, *fol.* 103. Definitor Generalis, *fol.* 104. Cardinali de Polignac, *fol.* 110. Regis Christianissimi Confessario, nec non Hetruriæ Magno Duci commendatur, *fol.* 111. Eidem pro mortis articulo Apostolica benedictio conceditur, *fol.* 112.

Fr. Thimotheus à Meduano

Vitæ sanctitate nitet, *fol.* 103.

Tolosana Provincia

Fundatur, *fol.* 204. Fratrum fervor plures ad sequelam vitæ Capucinæ allicit, *ibi.* patitur persecutiones ab Acatholicis, *fol.*205. ab ea Aquitaniæ Conventus separantur, *ibi*. claret conversione & morte Ducis Montmorancii, *ibi.* ac prodigio vitæ Jacobææ de Bachellier, *fol.* 206. dedit Ordini Definitores Generales tres, *ibi*. Provincialis in causa Capituli PP. Recollectorum Commissarius Apostolicus constituitur, *fol.* 213. Missis perpetuis consulitur, *fol.* 219.

Pro Tolosani Conventûs Constructione

Sacellum SS. Hyppoliti & Cassiani designatur, *fol.*204.

Tononii

Sacra Domus instituitur, *fol.* 137. à Provincia Lugdunensi separatur, *fol.* 138. cum Provinciæ titulo, *ibi.* Fratribus ibi in Confraternitatis conciliis dictæ Domûs votum deliberativum conceditur, *fol.* 130. nec non officium Missionis & prædicationis tum ibi, tum alibi, *ibi. & fol.* 137. Confraternitatis, seu dictæ Sacræ Domûs Auctores declarantur, *ibi*. *& fol.* 137. Missionarius illuc ablegatis variæ facultates conceduntur, *fol.* 137. *& seq.* ad visitandam sacram Domum, aliasque Missiones Fr. Paulus à Cesena à Papa ablegatur, *fol.* 136.

Transitus ad Canonicos Regulares

Capucini ratihabetur, *fol.* 124.

Turonense Monialium Monasterium

Fundatur, *fol.* 70. curæ Fratrum subjicitur, *ibi*, *& fol.* 71. ex eo Institutrices Ulyssiponem mittuntur, *fol.* 59. claret virtute Monialium, *fol.* 73. à Card. Protectore Ordinis commendantur, *ibi.*

Turonensis Provincia

Ex fide, spe & charitate commendatur, *fol.* 64. Episcopi variis favoribus eam prosequuntur, *fol.*66. à Parisiensi Provincia secatur, *ibi.* Fratribus Apostolica privilegia conceduntur, *fol.*69. Monialium curam suscipere jubentur, *fol.*70. Ministro Capitulum PP. Recollectorum annullare committitur, *fol.* 75. in causa divisionis acta P. Generalis annullantur, *ibi*. Decretum Definitorii Generalis confirmatur, *fol.*76. ac diffidentes non ampliùs audiri mandatur, *fol.* 81. In utraque Custodia officia dividi, seu alternari conceditur, *fol.* 86. ab ea Conventus Britanniæ separantur, *fol.* 105.

Turonensi Fratrum Conventui

Ædes S. Nicolai uniuntur, *fol.* 66. Capella pro fabrica donata permutatur, *fol.*68.

V

Valesia Respublica

Depositum fidei in se potissimùm Fratrum Sabaudorum zelo servatum publicâ tabulâ testatur, *fol.* 131.

Valentiæ in Delphinatu

RR. PP. Recollectis Domum construere inhibetur, *fol.* 118.

Fr. Valentinus Altkirchensis

Spiritu dulcedinis pollet, *fol.* 229. genere, & officiis Provinciæ clarus, *ibi*.

Vinbacensis, seu Kiensishemiani Fratres

Monialium Alspachensium confessiones excipiunt, *fol.* 231. *Vide & Keisersperg.*

Visitare Ecclesias.

Vide Episcopus.

Ulyssiponem

Ad fundationem Monasterii Monialium Institutrices mittuntur, *fol.* 59.

Uzetiæ

Conventum Principissa Bullionia ingreditur, *fol.* 181.

Z

Fr. Zacharias Lexoviensis

A Regina Angliæ Concionator petitur, *fol.* 93. spiritus Scriptorum ejus commendatur, *fol.* 95.

INDEX
RERUM PRINCIPALIORUM,
Quæ in hujus V. Tomi parte secunda continentur.

A

Fr. Alexander à Valentia

Regius Concionator confirmatur, *fol.* 370. virtus ejus commendatur, *ibi*.

Antiquariæ

Veteris Domûs situm vendi conceditur, *f.* 376

Fr. Anton. à Fuente la Penna

Sanguine & virtute clarus Congregationem sub titulo Patris Æterni promovet, *fol.* 365.

Aragoniæ Provinciæ

Origo, *fol.* 342. Zelatur pro animarum salute, *ibi*. Prole nobili, docta & religiosâ fœcunda, *ibi*. ad discordiam in ea sopiendam P. Generali speciales facultates conceduntur, *fol.* 349.

Aragoniæ Conventus

Novo oliveti petio ampliatur, *fol.* 347. & facta desuper permutatio ratihabetur, *ibi*.

Arensi Fratrum Domui

Legatum pium applicatur, *fol.* 315.

B

Balneolarum Conventui

Legatum pium applicatur, *fol.* 316. non amplius existenti, *ibi*.

Barcinonense Monialium Monasterium

Erigitur, *fol.* 312. erectio approbatur, *fol.* 313. & privilegiorum usus conceditur, *ibi*. & *fol.* 314. cura earum in Episcopum transfertur, *ibi*.

Barcinonensis Civitatis

Consules pro Domo ibi construenda instant, *fol.* 306. tres successivè in ea fundantur, *ibi*. dein ex duabus una, & major, *f.* 308.

Fr. Bartholomeus à S. Michaële

Missionarius telis propter fidem configitur, *fol.* 373. & signis claret, *ibi*.

Bæticæ Provinciæ

Origo, *fol.* 373. in Provinciam erectio, *fol.* 376. charitas erga proximum tempore pestis, *ibi*. Zelus animarum in America, *ibi*. Sanguine & signis conspicuus, *ibi*. Pro restituenda ejus quiete Regis opera imploratur, *fol.* 279. & 379.

In Villa Biar

Hospitium in Conventum erigi committitur, *fol.* 337.

Fr. Bonaventura à S. Matthæo

Bina vice sedem Definitorii Generalis occupat, *fol.* 333.

C

Capucinus

A DRR. PP. Observantes transiens, in Provincia suscepti primi Habitûs permanere nequit, *fol.* 318.

Castellæ Provinciæ

Origo, *fol.* 361. Viris nobilitate generis, officiis, & virtute conspicuis pollet, *fol.* 364. quorum aliqui recensentur, *ibi*. Palladem

dem colit, & eâ corufcat, *ibi*.mittit Fratres in Americam &c. *fol*. 366.

Cataloniæ Provincia

Fundatur, *fol*.306. ad alia Hifpaniæ loca Ordinem propagat, *fol*. 308. Floret Viris ortu & virtute illuftribus, *ibi*. & Martyribus charitatis & fanguinis, *fol*.309. electio Patronarum Provinciæ ratihabetur, *fol*.329.

Fr. Celidonius à Calahora

In Apoftolico pulpiti officio eminet, *fol*.352. & Definitorio Generali aggregatur, *ibi*.

Fr. Cyrillus à Cubla

Definitor Generalis, *fol*.333. & *fol*.375.

A' Cocentagnæ Monafterii

Monialibus fupellectilem ex argento, & corralio retineri indulgetur, *fol*. 336.

Congregatio

Vide Fr. Antonius à Fuente &c.

In Cuculladenfi loco

Novitiatum erigi conceditur, *fol*.348.

D

Darocenfe Monafterium

Ex ære fitûs venditi conftroitur, *fol*. 347.

Fr. Didaci à Quiroga.

Ampliffimum meritum compendistur, *f*.364.

Difcreti

In Hifpaniis abrogantur, *fol*.297. & *feq*. horum loco Cuftodibus & Ex-Provincialibus vota dandi facultas datur, *fol*. 301. non quidem in Definitorio, fed Capitulis, *ibi*. Difcreti reftituuntur, *fol*.302. noviter abrogantur, *fol*. 303.

Domûs erectio

Fratrum Conventui dominans inhibetur, *fol*. 318.

E

Fr. Emmanuel Matritenfis

Officiis claret, *f*.367. prudentia pollet, *ibi*. & Definitor Generalis legitur, *ibi*.

Ezizæ feu Aftigitanæ

Veteris Domûs fitum vendi conceditur, *f*.376

F

Ferdinandus VI. Rex Cathol.

P. Miniftrum Generalem Ordini Magnatum primæ Claffis aggregat, *fol*. 363. Fr. Paulum à Colindris Epifcopum Barcinonenfem nominat, *fol*.367.

Figueriarum Domus

Ab onere Miffarum eximitur, *fol*. 316.

Fr. Francifcus à Pampelona

Ortûs fplendorem virtute fuperat, *fol*. 352. laicus in Indiis Miffionarium agit, *ibi*.

Fr.Francifcus à Santander

Poft gradus officiorum locum Definitoris Generalis confequitur, *fol*.375.

Fr. Francifcus à Velafco

Meritis & miraculis claret, *fol*.364. tres Provincias illuftrat, *ibi*, & *fol*. 375.

Fr. Francifcus de Xeres

Concionator Regius, Scriptor celebris, & bina vice Definitor Generalis, *fol*.375.

G

Pro Gerundenfis Domûs

Fabrica tranfactio firmatur, *fol*. 319.

Granatenfe Monialium Monafterium

Sepulturas alienare prohibetur, *fol*. 377.

In

In Granatensi Conventu

Novitios seorsim à corpore Familiæ habitare indulgetur, *fol.* 377.

H

Pro Hispalensi

Fratrum Domo situs permutatur, *fol.* 375.

In Hispaniarum Regnis

Cooventus construendi Fratribus facultas conceditur, *fol.* 295. à Rege jam concessa, *f.* 362. Constitutione Clem. VIII. nno obstante, *fol.* 195. Monialium Confessarii deputantur, *fol.* 296. revocatur 312. Capitula triennalia iostituuntur, *fol.* 296. Discreti abrogantur. *Vide supra Discreti.* Io locis Missiooum Indulgentiæ Ordinis Ecelesiis sæculsribus communieantur, *fol.* 305. Magnatum in Domibus fundaodis æmulus zelus, *fol.* 362.

Hispaniæ Reges Catholici

Ordioi & Fratribus congenitâ elementia favent, *fol.* 306. 360 & 364. Ministrum Generalem ordini Magnatum primæ classis aggregant, *ibi.* fundant ære suo Fratrum Domus, *fol.* 361. & *seq.*

I

Fr. Jacobus à Corella

Regius Concionator, & Scriptor insignis, *fol* 352.

Fr. Joannes à Villafranca

Virtute & prodigiis fulget, *fol.* 364.

Servus Dei, Fr. Iosephus à Carabantes

Animarum lucro ineumbit, *fol.* 342. signis corusceat, *ibi.*

Fr. Iosephus à Zurita

Definitor Generalis renuntiatur, *fol.* 333.

L

Ven. Dei Servus F. Laurentius à Brundusio

Constructionem Domûs Matritensis obtioet, *fol.* 361. In Aula regia mira operatur, *ibi.* Fundator Provinciæ Castellæ, *ibi.*

Lerini

Fratres io novam Domum induenntur, *f.* 357.

Libros

Extra Bibliothecam deferri sub cautelis conceditur, *fol.* 372.

Limam in America

Missæ primæ Moniales ab Anglis capiuntur, *fol.* 387. qui honorificè & charitativè eas tractant, *ibi.* Regi Portugalliæ relinquunt, *ibi.* De absoluta fabrica Papa iis gratulatur, *ibi.* ac virtute laudat, *ibi.*

M

In Majoricæ Insula

Conventus Fratrum prohibetur, *fol.* 382. conceditur, *fol* 384.

Fr. Marcellinus à S. Vincentio

In Americanis Missionibus per 60 annos desudat, *fol* 366. pericula & miserias sustinet, *fol.* 367. & fructum uberem colligit, *ibi.*

Maria Anna, Regina Catholica

Constructionem Domûs Fratribus in Jnen Vianæ permitti instat, & obtinet, *f.* 355.

Maria, Marchionissa S. Crucis

Io Domum io terra *del Viso* constructam Fratres induci iostat, *fol.* 368.

Marti, Paulus

Monialium Monasterium Mataronæ fundat, *fol.* 330.

Fr.

Fr. Martinus à Torrecilla

Doctrina eminet, *fol.* 367. Definitorio Generali adscribitur, *ibi*.

Mataronæ

Fratribus pro constructione Domûs Capella conceditur, *fol.* 310.

Matriti

Monialium Monasterium erigitur, *fol.* 371.

Matritensis Conventus

Operâ Ven. Dei Servi Laurentii à Brundusio ædificatur, *f.* 362. in illo Patientiæ libros extra Bibliothecam deferri conceditur, *fol.* 372.

Monialium

Monasteria sine Pontificia facultate ingredi personis sæcularibus prohibetur, *f.* 296. cura earum Fratribus committitur, *ibi.* revocatur, *fol.* 312.

In Villa Monovar.

Constructio Conventûs omittitur, *fol.* 337.

N

Navarræ Provinciæ

Origo, *fol.* 351. à Regni Proceribus & Episcopis colitur, *ibi*. Nitet Viris bono publico datis, *fol.* 352. ad officia extra Ordinem promotis, *fol.* 350. & sanguine claris, *fol.* 352. ejus in Provinciam erectio statuitur, *fol.* 356.

Novitios

Seorsim à corpore Familiæ habitare conceditur, *f.* 377.

O

Circa Oriolensis Domûs

Fabricam litem terminari mandatur, *fol.* 333.

Ad Oscensem Monialium Ecclesiam

Cadaver Comitis de Atares transferri, *f.* 348. & legatum &c. in emptionem parsmentorum applicari indulgetur, *ibi.*

P

***Del Pardo* Conventus**

Construitur, *fol.* 362. transfertur, *f.* 366.

Fr. Paulus à Colindres

Ex nobili prosapia, *fol.* 367. in sæculo Alumnus Collegii majoris Vallis-oletani, *ibi.* juris utriusque Professor, *ibi*. in Salmantina Universitate SS. Canonum Doctor, Cathedraticus & Canonicus, *ibi.* pluribus Ordinis officiis fungitur, *ibi.* & *fol.* 340. Episcopus Barcinonensis nominatur, *ibi.* constans honori obstat, *fol.* 388.

Philippus III. Rex Catholicus

Conventus in Regno fundandi licentiam largitur, *fol.* 362. P. Ministrum Generalem in cœtum Magnatum primæ classis cooptat, *fol.* 363.

Philippus IV.

Duas Fratrum Domos ad salubriorem situm transferri jubet, *fol.* 363.

Philippus V.

Barcellonæ ex duobus Conventibus majorem construit, *fol.* 308. ejus opera pro quiete Provinciæ Bæticæ requiritur, *fol.* 379. *& seq.*

Fr. Placidus à Valizena

Ab Indis in odium fidei occiditur, *fol.* 373.

S

In Salmantina

Fratrum sepultura cadaver Principis Gonzagæ sepeliri indulgetur, *fol.* 371.

In Sarriæ Villa

Fabrica PP. Carmelitis interdicitur, *f.* 315.

In Segobiensi Civitate

Fratrum Domum, distantia non attentâ, construi conceditur, *fol* 370.

Fr. Sigismundus à Ferraria Minister Generalis

Ordini Magnatum &c. inscribitur, *fol.* 363.

T

Circa Tamaritensis Domûs

Fabricam concordia firmatur, *fol.* 343.

V

Valentina Provincia

Sub titulo SS. Sanguinis Christi fundatur, *fol.* 331. floruit semper Viris doctrina, ortu, & virtute claria, *ibi.* deditque Ordini Definitores Generales, *fol.* 333. in Provincia Custodias erigi, & alternativam circa officia statui committitur, *fol.* 339. sancita reformantur, *fol.* 340.

Valentini Monasterii

Moniales sub peccato nec ad regulam, nec ad statuta obligari declaratur, *fol.* 335.

In Veræ loco

Fundatio Fratribus conceditur, *fol.* 357. & econtra RR. PP. Carmelitis Hospitium merè sæculare permittitur, *fol.* 358.

Vianæ

Fabrica Domûs interdicitur, *fol.* 353. conceditur, *ibi.* concessio revocatur, *fol.* 353. denuo admittitur, *ibi.*

Vicense Monasterium

Vivente S. P. Francisco constructum, Fratribus obtingit, *fol.* 309.

Vincentii Gonzagæ Principis

Cadaver in Sepultura Fratrum humari indulgetur, *fol.* 371.

In terra *del Viso*

Vide Maria, Marchionissa &c.

Ad Ulyssiponense Monialium Monasterium

Aliæ Institutrices mittuntur, *fol.* 386. ab illius cura Fratres Missionarii eximuntur, *ibi.*

F I N I S.

Errata Corrigenda.

fol. 13. *lin.* 54. proganda, lege propaganda.
fol. 89. *lin.* 38. Cellit, lege Celsis.
fol. 133. *lin.* 36. Missiones, lege Missione.
fol. 159. *lin.* 4. Heronymus, lege Hieronymus.
fol. 223. *lin.* 41. snstulit, lege sustulit.
fol. 289. *lin.* 6. *col.* 1. Missionarios, lege Missionarii.
fol. 326. omissus numerus marginalis 327. & 328.
fol. 375. *lin.* 17. *col.* Monasteria Monialium v., lege vi.

Alia, quæ occurrent, spalmata, Lector sua humanitate corriget, & excusabit.